This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

600097048Y

DE VITA ET LIPSANIS

S. MARCI EVANGELISTAE

LIBRI DUO.

DE VITA ET LIPSANIS

S. MARCI EVANGELISTAE

LIBRI DUO

AUGUSTINI MARIAE MOLINI

BASILICAE PATRIARCHALIS VENETAE CANONICI THEOLOGI

EDEBAT

SANCTES PIERALISI

PRAEFECTUS BIBLIOTHECAE BARBERINIANAE

ROMAE

TYPIS COLLEGII URBANI

MDCCCLXIV.

19

110. C. 46.

BIBLIOTHECA · BODLEIANA ·

IOSEPHO ALOISIO TREVISANATO

CARDINALI S. R. E.

PATRIARCHAE VENETIARVM

PRIMATI DALMATIAE

METROPOLITAE PROVINCIARVM VENETARVM

S. C. R. A. MAIESTATIS A CONSILIIS INTIMIS

EQVITI A CORONA FERREA I. CLASSIS

SANCTES PIERALISI

Francisci Mariae Milesii et Augustini Mariae Molini memoriam et recordationem Tibi, Cardinalis Patriarcha amplissime, fore iucundam, mihi quam maxime exploratum est. Tu enim in spem expectationemque Ecclesiae Venetae crescens, alterum, antistitem et antecessorem tuum, omni cultu et observantia prosecutus es; alterum, tunc temporis in seminario tradentem canones hermeneuticae sacrae et ad linguas exoticas provocantem iuvenes, cum voluptate haud mediocri ac fructu uberrimo laetissimoque audivisti: non ut Scripturam caelestem terrenae philosophiae cogitationibus, omissa religione, sustentares; sed ut priscis sanctorum Patrum vestigiis instando, religionem coleres cum sapientia. De quo studiorum tuorum profectu testis sit mihi idem sacrae Scripturae magisterium, quod haud multo post tenuisti, ut non tantum quae a diserto ac erudito viro didiceras, sed quae tua solertia, diligentia ac precibus ad Deum in dies addideras, summo

honore tuo ac Venetorum utilitate doceres. Testis sit mihi, Molino patriarchalis basilicae canonico theologo ab hac luce sublato, successio tua in istam electissimi tui Capituli dignitatem. Testis denique et civium et exterorum consultationes sive de rebus theologicis sive de sacra archeologia, quibus respondisti, postquam peritia graecarum et orientalium litterarum domi splendorem et foris auctoritatem Tibi comparaverat. Sane igitur gaudeo vehementerque laetor, Te tantum recti bonique a tuis studiis accepisse, ut et ipse praeceptor tuus dicere soleret, se neminem vidisse unquam tui similem; et, egregia indole tua perspecta, Te aptum ad primos honores praesentiret. Nec eum fefellit animus; nam tua gravitas et iustitia, rerum civilium et ecclesiasticarum prudentia, sollicitudines pro animarum salute (spectante has tuas virtutes, easque honestare volente Francisco Iosepho I. imperatore ac rege tuo clementissimo) ita probatae a PIO IX. P. O. M. fuerunt, ut primo ad archiepiscopatum utinensem, dein ad istam patriarchalem Ecclesiam, quam et Franciscus Maria Milesius gubernaverat, Te evexerit; ac tandem sanctis operibus instantem, immo laboribus pro fide catholica insudantem, in Patrum Cardinalium Senatum adsciverit, ut sacra Purpura Te ornaret, et ipsa tuis virtutibus ornaretur. Praetereo consulto quae gesta sunt abs Te tantis honoribus aucto; neque enim narrare necesse est quae omnium iudicio ac testimonio confirmantur; et si id liceret, longius a meo proposito divagarer, et a tua modestia ac sanctimonia impedirer.

Sed Tu iure optimo quaeres ex me: Cur ego, cum Tu et alios clarissimos praeceptores in eloquentia, in philosophia iisdemque sacris litteris adieris, aliosque praesules Tibi carissimos, antecessores et successores Milesii, honoraveris, hos duos Tibi praecipue commemoraverim. Ast Tibi ut satisfaciam, praesto est volumen, quod haud prorsus indignum putavi, ut Tibi inscriberetur. Huius enim auctores Milesius et Molinus fuerunt. Hic scripsit, ille mandavit. Et quodnam illorum consilium, nisi ut opus sanctitate argumenti insigne et Venetorum gloriae apprime coniunctum ederetur? Iam titulum inspexisti, qui est: De vita et lipsanis S. Marci Evangelistae. Quisque christianus, cum S. Marci,

qui pro universorum salute Evangelium scripsit, res gestas memoria repetit, effertur gaudio: sed specialis exsultatio est Venetis, qui, praeter commune gaudium, eius lipsana in templo, quod inter praeclarissima Europae totius aedificia haberi solet, singulari pietate custodiunt: maxima Tibi, qui eam cathedram tenes, in qua primus Venetiarum patriarcha sedit S. Laurentius Iustinianus. Hic enim cum a Gradensibus patriarchis, auctoritate Nicolai V. Pont. Max., eam accepisset, sicut Gradenses ab Aquileiensibus acceperant; cumque Aquileiensis Ecclesia a S. Marco exordia susceperit, merito dici potest, Te in partem illius apostolatus successisse. In partem, inquam; nam ipse Marcus alexandrinam quoque Ecclesiam fundaverat. Multis igitur nominibus Tibi debitum hunc librum putaverim, qui tandem non ex hominum industria, sed divino potius quodam nutu Tibi servatus est. Nam Milesius, vita comite, Francisco I. imperatori clementissimo ac religiosissimo illum dedicare decreverat. Sed, cum Milesius quinque fere post menses, ex quibus hunc Molinus exarare coeperat, morte sua ingens Venetis desiderium reliquisset, omnia mutata sunt; et auctor ab edendis, quae scripserat, operibus perpetua dissensit vita. Aliquam ne igitur temporis iacturam et dignitatis hoc opus fecit? Aliquam temporis, non diffiteor; quod enim omnium oculis ab anno MDCCCXX. exponi potuisset, nunc tantum publica luce donatur. Aliquam fortasse et honoris et dignitatis, nonnulli affirmabunt; cum quod fere natum intelligant, ut Apostolico Imperatori esset sacrum, in tuas manus, Cardinalis Patriarcha humanissime et optime, nunc primum deveniat. At ego non idem sentio: nam imperatores et reges tanquam Dei ministros colere, *non enim sine causa gladium portant;* eisque subditos esse *non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam* ab Apostolo iubemur; et ab Apostolorum principe traditur: *Deum timete, regem honorificate.* Sed maiori obsequio et veneratione Sacerdotes prosequimur: qui dum inter Deum et reges medii intercedunt, *duplici honore,* Paulo docente, *digni habentur; maxime qui laborant in verbo et doctrina.* Ex hoc fonte derivatum putarem illud Constitutionum Apostolicarum effatum: *Quanto anima corpore praestantior est, tanto sacerdotium im-*

perio. Et qui hanc sententiam, a Patribus et praecipue a Chrysostomo in libris de sacerdotio explanatam, sectatur, is feliciorem honoratioremque libri eventum agnoscet. Si quam igitur iacturam nunc opus patitur, ea quidem tota est ex me, qui nec insignioribus typis, nec melioribus curis, ut decebat, adornavi. Sed his omnibus ut ignoscas, praeter humanitatem tuam, appellabo vinculum amoris et grati animi erga Molinum, quod Tibi mihique commune est. Et quam illius sapientiam Tu in Te transtulisti, eam ego pluribus voluminibus consignatam in Barberiniorum bibliotheca, ne periret, locavi. Gratum sit Tibi hoc meum officium in hominem venetum, Venetis carum et tua memoria dignum. Gratiores vero hi duo elucubrati libri de S. Marco, qui veluti exules clarissimi patriam repetunt, et, ut eos diligas ac patrocinio tuearis, ad te confugiunt. Interim a Te reverenter deposco, ut me tui studiosissimum et obsequentissimum perpetuo existimes.

Dabam Romae v. kal. Septembris MDCCCLXIV.

EDITORIS PRAEFATIO

Augustinum Mariam Molinum de vita et lipsanis S. Marci Evangelistae *editurus, primo consilium et summam operis, secundo auctoris vitam, quam nemo adhuc scripsit, breviter in praefatione proponam; haec enim duo a lectoribus praecipue desiderantur.*

I.

Plerique ex Venetis, ut in S. Marcum patronum suum pietatem significarent, et templum immensi operis incredibilisque splendoris magis magisque exornarent, anno MDCCCXIX. ineunte, in novo decentiorique sepulcro sanctissima eius lipsana condere, et altare, quod angustum illis videbatur, aperire atque dilatare cupiebant. Eodem desiderio tenebatur Augustinus Maria Molinus, patriarchalis basilicae canonicus theologus. Is cum rem hanc et suo et aliorum nomine Franciscum Mariam Milesium patriarcham rogasset, eum difficilem sollicitumque invenit. Putabat enim Antistes prudentissimus, etsi et ipse crederet lipsana S. Marci esse Venetiis, fidemque suam confirmaret argumentis innumeris ex multorum scriptis ac traditione desumptis, quasdam semper in procurandis his sacris negotiis inauditas quaestiones oriri, quae et in novissima sacri corporis inventione an. MDCCCVIII. non defuerunt, quaeque semper religiosorum hominum animos implicant atque perturbant. Illae insuper disputationes circa corpus S. Francisci, Assisii inventum, quae, quamvis eo tempore debilitatae, adhuc tamen vagabantur, eum, ne incautus hanc provinciam ingrederetur, admonebant. Infensissimi enim religionis hostes vel dubiis, vel cavillationibus, vel monumentorum defectu, vel arte critica, qua tantopere se iactant, omnia sacra vel infirmare vel irridere conantur. His de causis se hanc translationem ac depositionem facturum negabat, nisi quis ad criticas leges eiusdem Evangelistae historiam a martyrio, quod Alexandriae perpessus est, ad nostra usque tempora ita exegisset, ut adversarii nil certi aut solidi contra hanc venetam pretiosissimam possessionem possent afferre. Nugas autem et sophismata eorum insipientium, qui plus ceteris sapere putant, quique

per suas ephemerides venena mittunt improvidis, delebit dies. Hanc accuratam Patriarchae considerationem aequo animo excepit Molinus, qui fere omnia legerat, quae ad hanc contentionem spectant, et adversariorum argumenta numeraverat et expenderat. Cum vero et propulsare quae obiiciebuntur, et quae pro Venetis afferebantur confirmare, haud difficile existimaret, Patriarchae respondit: Mihi instructus ad hanc veritatem demonstrandam et paratus videor; ita ut viro critico hac super re nullus ambigendi locus relinquatur. *His verbis commotus Antistes hanc ei causam laetus commendavit, adiiciens, se prudentes sapientesque viros delecturum, qui de iis, quae in hoc argumento scripsisset, iudicarent: in posterum quid sibi agendum consuleret. Interim Molinus, dum ea omnia disponeret, quae ad hanc tractationem necessaria erant, materiem suis manibus crescere, librumque ampliandum esse pervidit; quare Patriarchae optimo, qui eum tot beneficiis cumulaverat, post paucos dies declaravit, sibi non tantum de lipsanis, sed et de vita Evangelistae scribendum esse, ut quaecumque ad eum referuntur, eadem ratione ac methodo expendantur; quod Milesio fuit quam gratissimum. En igitur duorum librorum consilium, quos exarare coepit die III. kal. Maii MDCCCXIX., eodemque anno absolvit XII. kal. Ianuarii. Synopsis primi libri haec est.*

Marcus evangelista non solum religione, sed etiam gente fuit iudaeus, et Hebraeis potius quam Hellenistis accensendus. Cyrenaeum fuisse origine et patria hierosolymitanum veritati proxime accedit. Cum ea aetate a Iudaeis, qui inter gentes degebant, graeca et latina nomina usurparentur, is in gratiam Romanorum Marci nomen assumpsit, ut suum, quod fortasse erat Mardochaeus, *barbarum et in ludibrium apud Latinos, dissimularet. Ille Marcus in Actibus Apostolorum et ab Apostolo in epistolis ad Colossenses, ad Philemonem et ad Timotheum commemoratus, haud confundendus est cum Evangelista, de quo tantum incidit mentio in prima Petri epistola. Anno aerae christianae* (pag. 164.) *XXXVII., post Christi ascensionem III. aut IV., quo anno Tiberius obiit, missus fuit ab Apostolis in Aegyptum et Pentapolim, ut illis gentibus, et Iudaeis praesertim inter gentes illas degentibus, Evangelium praedicaret.... Ideo autem ad gentes illas Marcum misere, quod origine fortasse cyrenaeus esset; unde etiam illud accidit, ut prius Cyrenaeis aliisque Pentapoleos civitatibus Evangelium nuntiaret, quam Alexandriam et Aegyptum ingrederetur. Nam pentapolitanam missionem alexandrinae et aegyptiae omnes fere anteponunt. Cum vero triennium in cyrenaico illo apostolatu vicinisque regionibus illustrandis insumpsisset, demum Christi anno XL, Caii caesaris III. aut IV. Alexandriam profectus, celeberrimae illius Ecclesiae fundamenta iecit, ibidemque triennio aut quadriennio moratus, ceteras quoque Ecclesias Aegypti magna ex parte constituit. At cum Claudii anno III. aut IV., hoc est Christi XLIII. aut XLIV. Petrus Romam profectus esset, Marcum ex Aegypto vocatum secum assumpsit, qui illi* interpretis *officium per aliquot annos exhibuit, fortasse usque ad annum Claudii IX., Christi vero XLIX., quo anno Iudaeos universos Roma excedere iussit Claudius. Dum autem apud Petrum moraretur, Evangelium conscripsit, et ab ipso Aquileiam missus fuit; ubi cum ultra biennium fuisset, ad Petrum reversus anno circiter Claudii IX., ab eodem Apostolorum principe iterum in Aegyptum anno eiusdem Caesaris X., Christi L. cum*

Apostoli potestate legatus est. Quamvis nec illud absurdum, si quis diceret, Marcum Petro usque ad annum Claudii IX. perpetuo adhaesisse: eo vero anno, cum Roma excedere, utpote qui iudaeus esset, cogeretur, venisse Aquileiam; deinde duobus annis et dimidio transactis, adiisse iterum Petrum sive alibi, sive Romae morantem, ab eodemque iterum in Aegyptum missum fuisse. Ceterum sive X. Claudii anno, sive XIII. hoc est Christi LIII. in Aegyptum reversus fuerit, tenuit ille alexandrinam sedem usque ad Christi annum LXII., Neronis vero imperatoris VIII., quo anno, martyrio facto, ad superos evolavit. Ad hanc chronologiam Marci vitam auctor exegit, ut variae veterum scriptorum epochae conciliarentur. Petri apostoli filius dictus fuit non carne, sed fide et fortasse etiam baptismo. Eum Christi discipulum putarunt nonnulli, sed perperam: quid enim opus erat Marco, siquidem Christum vidisset, cum eoque inter discipulos versatus esset, ea a Petro discere, quae in Evangelio suo erat narraturus? Fuit igitur Petri familiaris, frequens auditor, comes, discipulus et interpres; et proprie ac vere (etsi ad duodecim illos a Christo electos minime ipse pertineat) Apostolus fuit. Evangelium autem non Aquileiae neque Alexandriae, sed Romae scripsit sub Claudio anno tertio, quarto vel quinto, illudque non latine neque coptice aut syriace, sed graece primitus. Dicendi ratio humilis, neglecta et brevis, sed aperta et perspicua. Marci Evangelium omnium brevissimum, et Christi potius facta quam dicta refert. Nec Acta S. Barnabae, nec epistola Pauli ad Hebraeos, nec syriaca N. T. versio, nec liturgia praesanctificatorum huic Evangelistae sunt adscribenda. Probabilior coniectura (pag. 111.), *primam S. Petri epistolam ab eodem fuisse conscriptam, non quod illa Marci revera sit, ac perperam Petro apostolo tribuatur, sed quod a Petro iussus, ipsius nomine illam scripserit sanctus Evangelista, Petro ipso rerum sensa suppeditante. Alexandrinae Ecclesiae liturgiam (quoad formam et essentiam) verbo tradidit; et auctor* (pag. 116.) *contra Balsamonem, negantem liturgiam S. Marci esse recipiendam, acriter insurgit.*

Cum primus hic liber sit criticum commentarium de iis omnibus, quae ad Marci vitam spectant, quisque videt antiquorum monumenta perenniter esse prolata, eaque vel certa vel probabiliora, vel dubia vel falsa existimari. Auctor innumerabiles quidem fontes ecclesiasticae eruditionis in hoc libro pangendo gustavit. Quo ordine, qua sagacitate, qua orationis vi, qua denique criticae artis praestantia id effecerit, eruditi lectores iudicent. In tradenda de Interpretibus *doctrina* (cap. IV.), *in assignanda conscripti a Marco Evangelii epocha* (cap. VIII.) (1), *in eruendo ex epistola Pauli ad Romanos firmissimo ac novo argumento pro Ecclesia romana a Petro fundata* (2), *mihi admiratione dignus videtur. Quid evi-*

---

(1) *Franciscus Xaverius Patritius e Societate Iesu et quando scripserit Marcus et quibus et quo auctore et consilio eruditissime et critice disputavit in opere:* De Evangeliis *lib. primo pag.* 33-62. *Friburgii Brisgoviae* 1853. vol. 2. in 4.

(2) *Nonnullos intemperantis ingenii haereticos romanum Petri iter, romanumque ab eo gestum episcopatum, ex silentio Lucae et Pauli negantes, secutus est hac nostra aetate anonymus, quem hoc ipso anno Ioannes Perrone sapientissime refutavit:* S. Pietro in Roma, ossia la verità storica

dentius quam Marci Evangelium graece scriptum fuisse? (cap. IX.) *Et codicem eiusdem Evangelii, Venetiis in basilica servatum, latinum esse, et post Hieronymi aetatem?* (cap. XII.) *Missio aquileiensis luculenter et fortiter contra Tillemontium aliosque pertractata est* (cap. XIV.), *et acutis eruditisque Hieronymi Tartarotti argumentis in malam causam productis, graviter, ingeniose et ornate respondetur.* (ad cap. XIV. appendix pag. 141.) *Disquisitio de Therapeutis* (cap. XVIII.), *qui si christiani erant, a Marco instituti fuerant, doctissima. Qui illos christianos negant, chronologicis ut plurimum supputationibus retardantur; at qui cum auctore nostro res gestas ab Evangelista supputabunt, facile intelligent, Philonem iudaeum potuisse sub Claudio referre, quae iam antea sub Caio Caligula Alexandriae fuerant instituta. Sacra et episcopalis est cathedra marmorea, capite XIX. descripta, quam ex saxo unico artifex scalpro in sedem cavavit, exiguam tamen et puero potius quam homini opportunam. Ad Marci aetatem minime assurgit, sed in Oriente confecta et caelata fuit saeculo V. vel VI. Nil mirum, nullos characteres vel ab auctore vel ab artifice, qui eam delineavit anno MDCCCXIX., visos fuisse; nam super altare baptisterii marcianae basilicae posita erat in sacello, quod Andreas Dandulus exornavit, nec pulverem aut sordes deposuerat. Ex eo loco demissa anno MDCCCXXX., ut in marciano thesauro inter reliquias servaretur, eam detersit architectus Biondetti, et in antica eius parte primus epigraphen vidit* (1). *Posteriora duo libri primi capita S. Evangelistae martyrium spectant, quorum primum, ad firmandam sententiam Eusebii et Hieronymi, qui tradunt anno Christi LXII. et Neronis VIII. Marcum obiisse, et ad diem paschatis sta-*

---

del viaggio di S. Pietro a Roma, dimostrata contro un novello impugnatore da Giovanni Perrone D.C.D.G. Roma 1864. *Hac in quaestione nunc interroganti Molino respondeant adversarii necesse erit: Quis, dempto Petro, romanae ecclesiae auctor fuerit, cum florentissima et celebratissima haec iam esset, et Paulus nondum Romam venisset?*

(1) *Molino, cum esset Auximi, innotuit haec inscriptio eiusque interpretatio prima, edita a Petro Pasino:* Giornale di belle arti e tecnologia anno I. Decembre 1833. n. 8. pag. 369. *Huic interpreti Langobardorum characteres visi sunt; nunc vero, epigraphe diligentissime inspecta, puras esse hebraicas litteras eruditi omnes fatentur. Post Pasinum eam illustravit Io. Petrus Secchius in opere, cui titulus:* La Cattedra Alessandrina di S. Marco Evangelista e Martire conservata in Venezia entro il Tesoro Marciano delle Reliquie, riconosciuta e dimostrata dal P. Giampietro Secchi della Compagnia di Gesù per la scoperta in essa di una epigrafe aramaica e pe' suoi ornati istorici e simbolici. Venezia P. Naratovich. 1853. in 4. *Additum huic operi accuratum inscriptionis exemplar, cuius parvam et nos imaginem, ne huic operi desit tam insigne antiquitatis monumentum, addidimus in tabula tertia. Interpretatus fuerat Secchius:* Cathedra Marci haec ipsa: Robur regularum Marci *(est):* In aeternum iuxta Romam; *vel:* Cathedra Marci haec eadem. Summa regularum Marci est: In aeternum iuxta Romam; *aliis praetermissis interpretationibus, quae non re, sed quibusdam discrepant verbis. Acerrimum et adversarium invenies in opere:* Studi orientali e linguistici. Raccolta periodica di G. I. Ascoli, membro della Società orientale Germanica di Halle, Lipsia, Venezia, Trieste, Vienna, Munster 1855. fascicolo II. con fac-simile dell' iscrizione pag. 147-185. *Asculus hanc expositionem edidit:* Martyr adorandus *(est)* Marcus Evangelista Alexandriae. *B. Veratti, nulla addita nova interpretatione, pro Secchio in pluribus pugnavit contra Asculum. Vide:* Di alcune censure all' opera del P. Giampietro Secchi D. C. D. G. intorno alla Cattedra Alessandrina di S. Marco Evangelista, Estratto dal Tomo II. degli Opuscoli religiosi, letterari e morali, che si stampano in Modena dagli Eredi Soliani Tipografi Reali. *Nescio, an alii huiusmodi senticetum ingressi fuerint.*

tuendam conciliandamque cum actis eiusdem, ceteris fere omnibus, ob permixtas ac intricatas chronologicas difficultates, operosius apparet.

In parte operis secunda haec habes. Marcus, fune collo eius iniecto, et per aspera loca raptatus exanimatur. Ethnici eius corpus in rogum iniiciunt; sed cum ingens repente tempestas coorta esset, fugam capessunt, illudque semiustulatum relinquunt. At Christiani corpus custodibus nudatum conspicati, illud furtim eripiunt, eoque deferunt quo convenire orationis causa consueverunt; qui locus in Bucoliis *situs, postea* ad Angelos *sive* Angelium *est appellatus. Pro Aegyptiorum consuetudine corpus unguentis atque aromatibus conditum fuit, ac in sepulcro in petra exciso depositum, qua parte ad occidentem solem alexandrina civitas patet. Ecclesiam ibi a Christianis erectam nemo dubitabit, qui probe tenuerit, maiores nostros, ut primum extruendorum templorum facultas facta est, non alibi, ut plurimum, illa aedificare consuevisse, nisi ubi triumphales sanctorum martyrum exuviae conditae essent* (pag. 236.). *Quapropter Evangelistae sepulcrum Alexandriae et notum et in honore ab ipsa Marci morte usque ad venetam translationem fuit. Et falluntur profecto qui Marci corpus ita ab Ethnicis crematum fuisse tradunt, ut, ipso in cinerem et favillas soluto, nullae omnino ipsius reliquiae, quas Christiani sepulcro conderent, superessent. Saeculo IX. ineunte S. Marci corpus Alexandria Venetias delatum est. Mirum sane et incredibile videtur, fuisse ex heterodoxis nonnullos, qui historiam tot ac tantis antiquitatis testimoniis munitam in dubium revocare superiori aetate potuerint* (pag. 242.). *Tillemontius inter catholicos de hac re dubitavit, affirmans, Acta translationis nullius prorsus esse auctoritatis* (pag. 252.). *Quid ad haec Molinus? Translationis veritatem aliorum scriptorum testimoniis ita confirmat, ut, iisdem Actis praetermissis, nullo modo certitudo possit nutare. Et chronologicis omnibus ambagibus expeditus, translationem factam fuisse tradit anno DCCCXXVIII. Venetorum more, qui a XXV. Martii inchoant annum: cum iam aliorum more, qui annorum principium sumunt a kalendis Ianuarii, ingressus esset DCCCXXIX. Dein Actorum auctoritatem contra Tillemontium tuetur, Acta ipsa afferens, pluribus additis animadversionibus. At sicuti in his Actis omnia veritatis et antiquitatis indicia insunt, ita in historiola translationis S. Marci Venetiis ad Augiam Divitem insulam omnia falsa et commentitia monstrantur capp. VI. VII. et VIII.; quamquam veneto scriptori et in Venetorum praesertim gratiam scribenti, qui quaecumque ad S. Marcum referuntur expendenda esse decreverat* (pag. 288.), *parcendum est, si contra absurdissimum Augiensium commentum, quod contemptu potius excipiendum quis duxerit quam serio refutandum, tot momentis ponderaverit.*

Interim Iustinianus Particiacus dux, qui anno DCCCXXIX. reipublicae principatum tenebat, templum statim extruere coepit (pag. 333.), *quo sacrum Marci corpus honorifice conderetur. Verum morte praeventus, cum opus perficere non potuisset, Ioannes Iustiniani germanus frater, atque in ducatu successor, templum illud explevit, regio cultu exornavit, et sacratissima Evangelistae lipsana eodem illata honorificentissime condidit. Qua vero illa templi parte collocaverit, silent historici. At certum est, Ioannem ea non alibi quam in ipsa maioris arae mensa sive abside reposuisse. Praesertim cum marciana illa basilica rotunda esset, ac in Do-*

minici Sepulcri similitudinem conformata: ita ut idem tholus et lipsanis S. Marci et altari immineret, quemadmodum hierosolymitani templi tholus et altari et Christi sepulcro imminebat. Post Ioannem ducem alii undecim spatio annorum CXLVI. circiter rempublicam tenuere, quin unquam sacra lipsana loco moverentur. Sed cum in populari seditione anni CMLXXVI., in qua Petrus Candianus IV. interfectus est, palatium et templum conflagrasset, S. Petrus Urseolus novam aedificationem molitus est, quam Petrus Urseolus II. complevit. Eam denique post annos fere XL. laxavit, ampliavit et in hanc formam, qua constantinopolitanum SS. Apostolorum templum refert, redegit Dominicus Contarenus: quod cum nonnisi immensa substructione fieri potuerit, recte illam a Contareno constructam affirmare possumus. Fuisse tempus aliquando, cum Veneti, quo loco S. Marci corpus conditum fuisset, nescirent; idemque corpus deinde non sine prodigio, repente discissis marmoribus, ex pila quadam extitisse, certum est atque exploratum (pag. 342.). *En quomodo et quando id fieri potuit* (pag. 344.). *Tunc in ea pila abditum est Marci corpus, cum altare illud ac ciborium, quod modo exstat, condi coepit. Novae molitionis causa sacer ille thesaurus loco movetur; utque tutius asservaretur, includitur pilae, donec ara erigatur: idque consciis duce tantum, atque uno fortasse aut altero ex caementariis. Moritur dux, et statim vel post illum vel paulo ante unus aut alter, quem dux in secreti partem admiserat, nullo rei indicio relicto. At Ecclesia perfecta, altare etiam absolvitur; ac proinde de solemni utriusque dedicatione agi coepit. Quaeritur Marci corpus altari includendum, in cuius honore altare ipsum et basilica sacranda est. At corpus nullibi apparet, ac quo loco conditum fuerit, mortalium nemo indicare potest. Amissum sibi carissimum pignus, sublatum, ereptum populus timet; cumque diu diligentissime conquisitum nullatenus reperiretur, ad preces et vota confugitur. Tunc demum, reclusis repente latebris, miro modo innotescit. Sive Contarenus sive Silvius abdito illo loco Marci lipsana condiderit, incertum. De Silvio tamen coniectura proponitur. Certissimum vero est, ea non ultra annos L. delituisse; apparuisse autem die XXV. Iunii an. X. Vitalis Faledri, Christi MXCIV.*

Eodem anno, VIII. idus Octobris corpus S. Marci in eadem Ecclesia secreto collocatur, consciis tantum duce, primicerio et procuratore; ea vero lege, ut ubi quis horum trium obiisset, superstites duo sepulcri locum ei, qui in demortui vices successisset, revelarent; cum ille prius, sacramento dato, se nemini mortalium quidquam de re illa manifestaturum spopondisset. His igitur, quibus marcianae basilicae cura demandata maxime erat, arcani custodia concredita fuit. Certus igitur omnibus depositionis dies, quamvis locus incertus. Sed arae maximae magnificentia, eiusque forma, magnitudo abditumque artificium, picturae, communis Venetorum usus, qui illam sese S. Marco commendaturi circuibant, supplicationes solemnes, aliaque innumera pretiosissimum corpus intra ipsam aram requiescere haud absurde significabant. Itaque per ea tempora et notus simul et ignotus erat Marci loculus. Notum enim tot indicia demonstrabant, ignotum vero mos ille ac ritus solemnis, quo duci, procuratori, primicerio manifestabatur. In ipso igitur altari omnibus notissimo ignotus iste locus quaerendus erat. Nam in quo tandem abnormis illius massae angulo corpus illud delitesceret, id vulgo ignotum esse

voluerunt reipublicae moderatores. Haec totius arcani summa. Hinc triplex ille in una eademque massa loculus conditus, hinc tot illi in ipso molis sinu recessus et labyrinthi, hinc denique ipsis molis illius structoribus ac fabris ignotus fortasse conditi corporis locus: cum facile omnino fuerit tot inter conditoria ita negotium administrare, ut caementarii ipsi atque marmorarii, quibus usus est Faledrus, locum illum ignorarent. Porro tot illae ambages nonne occultum omnino locum reddere debuere, quamvis sub ara maxima conditum pretiosissimum thesaurum nemo nesciret?

At cum Veneti ingenti desiderio inveniendi lipsana patroni sui tenerentur, Xaverius Gambonus patriarcha anno MDCCCVIII. illa requirere statuit. Amota maioris altaris mensa, ara in magnae capsae formam cavata inventa est, in qua marmorea columella reperta cum aliquot Sanctorum reliquiis. Tum tres marmoreae tabulae moveri coeptae, quae in arcae fundo conspiciebantur, quibusque tota iam eversae arae moles innitebatur. Loculus alter apparuit vacuus omnino, sed in quo mortui hominis corpus commode aptari posset. Tunc Xaverius antistes spem universam illius thesauri obtinendi ex animo deposuit, et, re infecta, paulo post obiit Mediolani. At anno MDCCCXI., VII. kal. Februarii curatores marcianae basilicae aliique cryptam ingressi, operi manum admoverunt. Mirum quantum operis et laboris insumpserint, cum ferri aciem marmorum rigor hebetaret atque retunderet. Denique exigua rima patefacta, per quam immissus baculus, dum vacuum locum pertentant, in mollius nescio quid incurrunt, quod ligneae capsae simile visum est. Itaque rima latius deducta, ingestoque lumine, loculus commodius exploratur, et feretrum apparet purpureo panno contectum. Tum demum gaudere omnes, inventumque thesaurum invicem gratulari; osculari marmora illa atque collacrymari: maiorum consilium atque omnia circumspicientem sapientiam extollere, qui pretiosissimum corpus tam munito ac paene inexpugnabili loco condidissent, unde nulla vis aut ingenium, non ignis, non ferrum, non rapina illud posset eruere. Feretro ipso detecto et eius operculo ablato, integri fere hominis ossa apparuere, eoque ferme ordine disposita, quo in viventis corpore sita sunt. Capsae fundum ingens argenteorum nummorum vis paene tegebat. Ibique etiam inventus annulus aureus, incensi micae plurimae, lignea pyxis concreto balsamo oppleta, lignea pyxis altera pone Evangelistae caput cum graeca epigraphe in operculo, capsula, quam extima ex parte eburneae tabellae tegebant, aenea crux auro obducta, et plumbea lamina inscripta, ut innotesceret quo die, quo anno quove duce sacra illa lipsana ibidem locata fuerint. Corpus ex veteri feretro iam fatiscente et corrupto in novum translatum fuit, et appositis omnibus, quae cum ipso inventa fuerant, ac clauso loculo sigillisque munito, iterum sub ara maxima fuit collocatum.

Praecipuae huius secundi libri partes translationem S. Marci venetam, primam et secundam lipsanorum eius inventionem cum historia Basilicae coniunctam amplectuntur. Hanc causam pro patria sua ita agere videtur auctor, ut probet, ut delectet, ut flectat. *Erunt profecto qui dicent, oratorem copulate hanc a Tullio desideratam perfectionem minime assecutum fuisse; nec ego dissentiam. Conatum tamen omnem sua eruditione ac sagacitate paravit, ut nihil deesset, quod*

causa postulabat. Et gloriam Venetis de lipsanis S. Marci non perituram ita rationibus et testibus confirmavit, ut qui caute et circumspecte veritatem inquirit, Tillemontium catholicum eosque heterodoxos, qui sententiam contra Venetos pronuntiarunt, absque sectatoribus, audito Molino, relinquat.

Hanc synopsin de vita et lipsanis S. Marci, a me ut plurimum ex ipsis Auctoris verbis expressam, excipiat Augustini Mariae Molini vita.

II.

Ortus Venetiis patre Iacobo de Violis hebraeae gentis mercatore, matre eiusdem generis Regina Tedeschia, sexennis baptizatus est nonis Martii anno reparatae salutis MDCCLXXXII. Salomon primo dictus fuit; dein cum baptismum susciperet, addito ex nobilissima Molinorum familia nomine gentilicio, Philippus; cum denique Carmelitarum institutum ingrederetur, Augustinus Maria. Eum et fratrem Iosephum, adhuc lactentem puerulum, ad catholicam religionem pater perduxit, qui domum catechumenorum una cum uxore et filiis anno MDCCLXXX. ingressus fuerat. Pater, baptismate suscepto, Fridericus Gratiati, et filius natu minor Gregorius Gratiati nuncupati sunt. Regina in Iudaeorum perfidia mansit. Molinus iam christianus Io. Baptistae Mazzario presbytero veneto et aedis S. Agnetis parocho instituendus traditur, quo docente italicae et latinae linguae, sacrae et venetae historiae rudimenta didicit. Cum duodecimum aetatis annum attigisset, Patavium a patre mittitur; ibique inter celeberrimi seminarii clericos adscitus, avide politiorum litterarum studia, graecam linguam et philosophiam arripuit. Nam erat ingenio solers, memoria tenax, ad poesim proclivis, proclivior ad eloquentiam. Quam ut adipisceretur, disserendi subtilitatem cum orationis elegantia omnique eruditione coniunctam amare coepit. Etsi vero nimium illud studium in dilatandis argumentis et in eligendis orationis flosculis, cum matura esset aetate, ipse improbaverit, ita tamen a natura ferebatur, ut magis copiam quam sobrietatem dicendi sequeretur.

Sanctioris vitae genus amplectens, vetus Carmelitarum institutum ceteris praeoptavit, inter sodales patavinae familiae sacri illius ordinis adscriptus. Tirocinio et theologiae cursu absolutis, philosophiae placita, et theologiae dogmata suis tradebat. Inter haec Gregorium fratrem suum et clericum, insignibus a Deo ingenii dotibus ornatum, et Venetiis vita functum an. MDCCIIC. nondum sacerdos lacrymavit: ac dein demortui schedas per otium evolvens, ac plurima lectu non indigna reperiens, ea, commentariolo de illius vita praemisso, additisque carminibus, quae in eiusdem obitum Patavini quidam et Veneti scripserant, in unum veluti corpus coniunxit. Epistolam Pauli ad Hebraeos praecipuum sibi stimulum exstitisse ad suscipiendam rationem biblicorum studiorum, ipse affirmavit. Quod cum sine adiumento orientalium linguarum fieri non posset, Romam se contulit. Unius anni spatio hebraicae et affinium linguarum elementa excepit, et fere universas sacras conciones scripsit, quas in maiori ieiunio peroraret ad populum. Iam et academicis dissertationibus, carminibus praecipue latinis, et sacris pane-

gyricis apprime notus erat Venetis, quibus iniecerat admirationem sui, tum quod celeritate ingenii fere vinceret omnes, tum quod ita disertus et eruditus esset, ut ne in privatis quidem disputationibus quis ei posset resistere. At, absolutis concionibus, statim eas in pluribus Italiae urbibus habere coepit. Veritatis amicus, humilis et caritate ferventissimus, virtutes suaviter excolebat; et fortis cum esset et magnanimus, vitia acriter carpebat: nihilque aliud nisi quae ad Auctorem fidei et Ecclesiam pertinerent prospiciens, ea omnia firmissimo praesidio constantissime tuebatur; nec se a periculis et laboribus abstinebat, ut propulsaret impiorum iniurias. Audientium animos ad suum veluti pertrahebat arbitrium; praesertim cum, quod non raro ei contigisse scimus, extra gyrum orationis quam scripserat dicendo decurrens, quasi imparatus concionaretur. Diras oratori imprecabantur homines improbi; nec mirum si, qui oves omni assiduitate et diligentia pascebat, lupis infensissimus evaderet; quamvis et quidam lupi ipsius ope naturam ovium susceperint. Haec omnia ei bene et feliciter eveniebant; nam et artem callebat, et sollicitus erat de orationis perspicuitate, numero ac vi; sed multo magis de rebus et sui muneris sanctitate. Hanc non cum provectior esset, sed semper adamavit: cum enim in hisce exercitationibus adhuc iuvenis esset, nobis de hac re duo exempla reliquit. De modo et ratione divini verbi exponendi *locutus est anno MDCCCII., ibique etiam illorum oratorum vitia momordit, qui academicorum more magis seipsos et philosophorum sententias, quam Evangelium nuntiarent. Accidit, ut putarent qui aderant, adversus concionatorem, quem praecedenti anno audierant, haec se dixisse, et hunc magis philosophum quam Apostolum hac de re admonitum quidam voluerunt. Admonitus illico indignatus est; sed processu temporis cum orator uterque in eadem urbe eodemque anno conciones haberent, compertum fuit Molino, ipsum, quem non laeserat, sed qui se laesum existimaverat, ad frugem bonam se recepisse; ac promisisse auditoribus, se in posterum, inani ostentatione posthabita,* Iesum Christum et hunc crucifixum *praedicaturum. Etsi haec, non de industria (nam innocenter egerat Molinus), sed ex improba nonnullorum coniectura evenissent, tamen gavisus est. Sed data opera aliud de convenientia sacrae orationis argumentum praestitit Patavii an. MDCCCIII. Quidam praecedenti anno de laudibus S. Annae disseruerat, ab illo Oseae textu exorditus:* Gloria eorum a partu et ab utero et a conceptu (*IX.* 11.) *Indignatione exarserunt docti religiosique homines, hanc orationem physicis et anatomicis descriptionibus refertam, omnique reverentia et cultu vacuam audientes. Quid Molinus? Ab eodem textu, quem nunquam suo consilio elegisset, exorditur; eandem, etsi sacris eloquentiae ornamentis infecundam existimasset, partitionem sequitur; et zelo religionis ductus, quod iuvenilem quandam temeritatem quidam fortasse appellabunt, quid maxime deceret in huiusmodi orationibus oratori annoso monstravit.*

Patavii aut Venetiis immorabatur, et in obeundis religionis officiis, in confessionibus excipiendis, in tradendis spiritualibus exercitiis, in panegyricis orationibus hac illac habendis, maxime vero in Bibliis et SS. Patrum aliorumque operibus evolvendis, scribendisque libris totus erat. Architecturam per otium coluit, eo vero successu, ut Hadriae cathedralis ecclesia formam ab eo acceperit.

Apud Muranum in collegio a Camaldulensibus erecto, post gravissimam omnium regularium ordinum calamitatem, rhetoricam docuit; ibique cum Placido Zurla abbate, postea cardinali, et cum Mauro Cappellario abbate, dein cardinali, ac demum, nomine Gregorii XVI. sibi vindicato, Pontifice Maximo, omnes amicitiae necessitudines coniunxit. Sed cum Cappellarius Romam et Zurla in seminarium venetum se conferrent, Molinus Castrum Francorum, ut illius esset collegii rector, petebat. Veneti maximo tenebantur desiderio, ut patriam repeteret; eique in lyceo publico cathedram religionis, eo tempore doctore vacuam, Iosepho Maria Milesio patriarcha impulsore, pollicebantur. Sed ille non maiora emolumenta ac praemia quaerens, repugnabat; quietis ac pacis, quam opportunam in Castro Francorum suis studiis invenerat, amantissimus.

Illius tandem animum expugnavit idem Milesius patriarcha. Is enim cum clericorum seminarium erexisset, ut in eligendo theologo patriarchalis ecclesiae dignitati canonicorum consuleret, sibi persuasit virum esse inquirendum, qui et theologus esset in canonicorum collegio, quique graeca, hebraica et orientalibus linguis instructus Bibliorum Sacrorum expositionem ad erudiendos clericos susciperet. Nec alius Augustino Maria Molino aut doctrina dignior, aut fama illustrior, aut consilio et opere sanctior in mente sibi versabatur. Illius animum exploraturus, Placido Zurlae aliisque Molini amicis, ut ei de hoc negotio litteras darent, committit. Etsi ille de sua tranquillitate et studiis et de voto religionis retinendo multa rescripsisset, tamen Dei voluntatem in hoc inopinato praesulis mandato admirans, habita temporum ratione, fere acquievit et assentitus est. Cohortationibus amicorum firmissimis commoto, accessit praesulis epistola, quae acriores stimulos subiecit. Utilitas, *haec inter cetera aiebat*, et summum bonum huius dioecesis postulat, te hic esse; et ego mihi ipsi deesse cognoscerem, nisi pietatem tuam et singularem tuam sapientiam adirem, incitaremque obsequium tuum in tuum antistitem, ut hic convenias, neque periculum in theologicis facultatibus facere repugnes, ut canonicus efficiaris. Cum hac dignitate onus etiam et munus publicae religiosaeque instructionis in hoc meo seminario suscipies. Augustissimum Imperatorem nostrum, qui illud ab insula S. Cypriani in aedem S. Mariae ab Salute transtulit, nec sumptui pepercit, ut suum in nos amorem ostenderet, te ad id muneris designatum pro sua humanitate ac clementia confirmaturum confido. Quae de tua modestia, humilitate et vinculis tui sacri instituti dictitari possunt abs te, mea erunt; et ego ipse, ut omnia rite solvantur, operam dabo. *Pius VII. P. M. Patriarchae votis assentitur, et postulatis indulsit die XIX. Iunii an. MDCCCXVIII., hoc negotium, ut Milesio et Molino obsequeretur, Romae gerente eodem Mauro Cappellario camaldulensi abbate. Omnibus persolutis, non sine ingenti Venetorum gratulatione seminarium adiit, canonici munus gerere coepit, rerum sacrarum vel studio vel exercitatione semper intentus.*

Mortuo Milesio XIV. kal. Octobris an. MDCCCXIX, Ioannes Ladislaus Pirker patriarcha renunciatur, eique gratulationem XVII. kal. Maii an. MDCCCXXI., tunc typis editam, Molinus capituli nomine in marciana basilica habuit. Autumno eiusdem anni Veronae cum esset, certior factus est, calumniatorum morsibus,

rumoribus in plebe excitatis, famam suam Venetiis dilaniari. Probi honestique homines commenta invidorum iniquorumque et callidas fallendi artes senserunt, ut virum perderent absentem, doctum, integerrima vita et eloquentia clarum, bene de civitate et de religione merentem. Ad hoc nuncium, quo nil tristius esse poterat, quid Molinus? Haesit anceps, an Venetias rediret, nec ne. Tandem sua integritate fidens, vulgi rumoribus despectis, patriam petiit. Sed iisdem vocibus, quas per litteras acceperat, et etiam timore necis perterritus, Deo primum, postremo Patriarchae et Imperatoris administris innocentiam suam commendans, facultate interim abeundi ab ecclesiastica et civili potestate sibi data, e finibus venetis exivit. Apud Forocornelienses amicus ei erat, qui eum peramanter excepit, ibique brevi tempore moratus est. Interim ad leniendum animi dolorem poeticam Psalmorum paraphrasim inchoavit, ut veritatem uno ore a sanctis Patribus conclamatam, Psalmos nempe perpetuam omnium medicinam esse malorum, experiretur. A Forocorneliensibus ad Aesinates contendit. Patres eiusdem sui instituti maxima laetitia venientem amplexi sunt, et hospitium dederunt: eum enim noverant an. MDCCCV. cum ad S. Mariae ab Gratiis ascendebat in concionem. Ubi primum (de quotidianis enim sermonibus loquor) in hoc genere orationum se exercuerat, ibi postremum hoc sacrum ministerium explevit. Erat Aesinatum antistes Franciscus Caesareius de Leonibus cardinalis, omnium virtutum genere, sed praecipue singulari prudentia praeditus. Is cum hominem novum, quamvis doctrina insignem, in civitate videret, datis Patriarchae Venetiarum epistolis, aliisque investigandi modis adhibitis, causam illius absentiae a patria inquirendam putavit. De Molini innocentia, deque nonnullorum in electissimum sacerdotem odio certior factus, eum in posterum tanto amore prosecutus est, ut et in lyceo publico rhetoricam docentem, seminarii alumnis et mulieribus Deo dicatis pluries spiritualia exercitia tradentem, in philosophicis ac theologicis disciplinis clericorum iudicem adhibuerit. Caesareius haec suae in eum voluntatis testimonia patrocinio suo, quoad vixit, confirmavit.

Leo XII. P. M. Timotheum Mariam Ascensium episcopum reatinum elegit anno MDCCCXXIV., eique Molinum commendavit. Nil carius Ascensio accidere poterat, quam ut amicissimum suum eiusdemque sacri instituti alumnum, quem semper plurimi fecerat, addita Summi Pontificis voluntate, ad se trahere posset. Molinus, etsi id aegre ferret Caesareius De Leonibus, Reate venit; ac dein Ascensium, reatina sede relicta, ad auximanam et cingulanam evectum secutus est. Reatini et Auximates mutuum inter duos hos viros amoris et reverentiae vinculum, quod mors dissolvit cum cardinalis designatus decessisset episcopus VII. idus Decembris anni MDCCCXXVIII., admirati sunt. Auximatum clerus et magistratus Molinum, ne ab eis discederet, nec sacras litteras in collegio-seminario intermitteret, vehementer rogarunt, et voti compotes facti sunt. Nec minori humanitatis studio ac benevolentia eum prosecuti fuerunt Ascensii Successores, nimirum S. R. E. Cardinales Iohannes Antonius Benvenuti anno MDCCCXXVIII. et Iohannes Soglia anno MDCCCXXXIX. Quo altero episcopo Molinus ita etiam aegrotavit, ut ultimo apoplexiae ictu arreptus, sumptis Ecclesiae sacramentis, Deum deprecans, ut sibi ac suis inimicis parceret, inter suavissima nomina Iesu *et* Mariae *et*

adstantium lacrymas VI. kal. Novembris anno MDCCCXL. sanctissime obierit. Corpus in aede S. Petri Apostoli, quam Timotheus Ascensius sodalibus S. Mariae de Monte Carmelo donaverat, sepultum fuit.

Non dubito fore nonnullos, qui putent, me non ita haec omnia exposuisse, ut qui legunt omnem de aliquo crimine in hoc homine suspicionem deponant, cum videatur exul caruisse patria. A quibus in praesentia pro sanctitate operis, quod nunc primum ad eruditorum notitiam usumque perferimus, hoc unum peto: an vulgus incautum, sine nomine, sine consilio, sine auctoritate, et ab uno aut altero invido ac perdito emptum; an sapientes a vulgi iudicio discrepantes, et civilis et ecclesiastica auctoritas de alicuius fama decernere debeant: Audet aliquis vestrum habens negotium adversus alterum iudicari apud iniquos et non apud sanctos?.... Saecularia igitur iudicia si habueritis, contemptibiles, qui sunt in Ecclesia, illos constituite ad iudicandum. Ad ignominiam vestram dico *(I. Corinth. VI, 1. et seq.). His positis, quaero: quando Molinus in iudicium vocatus fuit? Nunquam, et canonicus patriarchalis Ecclesiae obiit, cui immediate suffectus fuit Iosephus Aloisius Trevisanatus, nunc cardinalis patriarcha. Peccantem in Caesarem credis? At Caesaris ministri, imperiali ac regio edicto nonis Iulii MDCCCXXXVI. eum in venetas provincias cum poenarum comminatione revocarunt. Quis ergo praecepto Principis eum exulem dicet? Et quid ad haec Molinus? Perpetua valetudine se in lectulo vel in cubiculo detineri, medico aliisque testibus adhibitis, imperiali ac regio administro nunciavit; addita per amanuensem ad eundem epistola, quae et suam singularem erga Principem observantiam et suum ingens sed inane adeundi patriam visendique amicos desiderium significabat. Peccantem in suos praesules Pirkerium et Monicum putas? At unus eum, a Venetis discedentem, nullo crimine vel delicto inquisitum declaravit V. idus Novemb. MDCCCXXI., alter vero XVIII. kal. Februarii MDCCCXXVIII., datis litteris Aesinatum antistiti et cardinali:* Molini res, *aiebat,* fere oblivione deleta est, nocitura multis, si revivisceret. *Integerrimos vero praesules et cardinales, quos supra commemoravi, quique ad amplissimam eminentissimamque dignitatem post tot probitatis et prudentiae in rempublicam christianam insignia pervenerunt, omnes ne ita leves, improvidos facilesque putabo, ut hominem maxime diligerent haud innoxium, eique praesertim committerent, ut clericorum animos moderaretur, ingenia excoleret, fingeret mores? An nescimus, excellentissimos homines aliquando calumnia notari, hunc vero evangelica sua libertate gravem evasisse haereticis, occultasque sectas sequentibus? An invidi nullum ex eius prosperitate moerorem passi essent, et omnia intentata derelinquerent adversus hominem origine hebraeum, cui facilis erat ad aliquod summum fastigium ascensus? An ignoramus, obtrectationem et livorem pronis auribus accipi, et tempus fere omnia in lucem veritatis proferre? Quanta moliti sunt, ne ulli ei essent maecenates! Quanta (nullus enim ei supererat propinqua cognatione coniunctus) ne libri, quos scripserat, ad posteros venirent! Omnia quam levissime dico; nam haec Molini apologia non est, nec ut sit volo. Exstant apud me, quas mihi tradidit, multorum epistolae, vel sibi vel aliis viris probatissimis datae, ex quibus colligi posset, eum aequabiliter mendaciis, perfidiae, calumniis et fraudibus veritatem, patientiam, silentium,*

et caritatem opposuisse. Praeceptum enim de inimicorum dilectione, quod saepissime aliis inculcaverat, mirifice coluit.

Quaeres fortasse, quomodo eius scripta in insigni Barberiniorum bibliotheca serventur. Paucis te expediam. Cum esset Aesi, plurimum me eiusdem civitatis iuvenem diligebat, et ego ita eius sermonibus et consuetudine fruebar, ut frequenter illum adirem, frequentius vero, postquam adeo gravi morbo affectus fuit, ut, cum ad aeque bene scribendum sua manu uti non posset, mea uteretur. Absentes vero ita mutuis recreabamur epistolis, ut mea in eum observantia et eius in me amor maxime creverit. Auximum contendi anno MDCCCXL., ut eum morti proximum inviserem. Tunc ille lacrymans: Quae scripsi aut dictavi, *inquit,* mihi crede, vel peribunt, vel aliorum nomine, ut oblivioni tradar, vulgabuntur. In rogum meos filios imponerem, sed id mihi nec Deus iussit, nec in me est fides Abrahami et fortitudo. *Consilium de illis in hac romana bibliotheca locandis (nam ego tunc recens eidem bibliothecae praefectus fueram) placuit; actoque codicillo, nam testamentum fecerat, mihi LX. volumina, vel sua vel aliorum manu conscripta, tradidit, quorum catalogum ad calcem italicae Psalmorum paraphrasis, Patavii editae anno MDCCCXLV., invenies. Ne hic eandem telam minutatim conficiam, causam potius meritumque illorum per summa capita referam. Scripsit enim et ad se ipsum erudiendum et ad aliorum utilitatem; ad honeste suaviterque subsecivas horas agendas, ad calamitatum oblivionem petendam, ad confirmandam fidem, et ad eam Ecclesiae sanctitatem cognoscendam, quae clarior et pulcrior est recte studentibus. Quo factum est, ut quae Ecclesia reiicit, semper improbaverit, utque eiusdem iudicio sui libri subiecti essent, perpetuo voluerit. Haec de scribendi causa. Quid vero de scriptorum merito dicam? Nil in iis absonum a moribus. Anno MDCCCIV. amicorum desiderio acquievit, ut Patavii poematium,* Calandrino *inscriptum, ederetur, ab eo, antequam esset religiosi instituti alumnus, compositum. Iocosum certe carmen italicum, sed modestum. Attamen, supervenientibus annis, is de hac sua in amicos indulgentia semper sibi displicuit, utpote qui civilibus et ecclesiasticis disciplinis non ad ostentationem, sed ad vitam ducendam, et aliorum mores castigandos uteretur, et nugas pugnare cum clericali et monastica gravitate putaret. Exemplum de eius pietate et ingenio sint nunc libri:* De vita et lipsanis S. Marci Evangelistae; *et qui legis, quod Basilius Gregorio nazianzeno rescripsit, in memoriam revoca:* Agnovi, *inquit sanctus ad sanctum,* epistolam tuam, velut qui amicorum liberos ex apparente in ipsis similitudine cum parentibus cognoscunt. *In horum librorum igitur vel liberorum effigie Molinum parentem agnosces. Epigrammata, inscriptiones, carmina italica maxime vero latina, epistolae, conciones sacrae et panegyricae orationes, Sanctorum vitae, varii de eloquentia et poesi, de philosophicis ac theologicis disciplinis tractatus ob perspicuitatem, vim, ordinem, elegantiam et eruditionem, exiguam fortasse, sed, ut icunculis etiam suus est decor et color, eandem animi imaginem referunt. Magnum hoc certe de S. Marco opus mihi videtur; et quidem maius his omnibus, quae recensuimus. At huic sua magnitudine pares sunt* De Rhetorica ecclesiastica libri sex. *Par vel paulo minor* Philibertus, *seu* de Perfecto Theologo dialogi XXI. *Maiores profecto sunt* De humilitate christiana libri VI.

Maior etiam S. Augustinus De Civitate Dei italice redditus, *quem innumerae translatoris notae et observationes comitantur. Utinam quatuor hisce operibus secundae auctoris curae accessissent, nec, ex animi aegritudine paralysi contracta ab anno MDCCCXXIV., et ad scribendum omnino ineptus, amanuensibus ea dictasset. Tabula vero maxima et bene sua manu picta, immensoque quatuordecim fere annorum studio suo lumine collocata, sunt* De Divinis apud Hebraeos eisque finitimas gentes nominibus dissertationes VIII., *quas excipiunt* De Christi nominibus dissertationes CXLIII. *quibus elucubrandis plurimum diligentiae impendere solebat; et quibus, coronidis loco, addi possunt* In Hexaemeron dissertationes sex, Commentarium in Hexaemeron, *etsi ad v.* 28. *primi capitis Geneseos desinat, et* Commentarium in caput primum epistolae ad Hebraeos: *haec enim omnia ad biblicam et orientalem eruditionem, qua pasci, qua delectari, qua perfrui nunquam intermisit, potissimum pertinent.*

DE VITA ET LIPSANIS

S. MARCI EVANGELISTAE

LIBER PRIMUS.

CAPUT I.

DE S. MARCI GENTE ET PATRIA.

I. *Patria Marci incerta. Cyrenaeus origine, patria hierosolymitanus videtur.* II. *Iudaeus gente et religione Marcus, quod ex eius stilo intelligitur.* III. *Utrum Marcus hebraeus, an hellenista. De Hebraeis et Hellenistis nonnulla.* IV. *Ex stilo Marcus Hebraeis potius quam Hellenistis accensendus videtur.* V. *Nec obstat quod graece scripserit; nam graeca lingua Hebraeis ea aetate communis.* VI. *Nec Marci nomen Hellenisten demonstrat. Graeca et latina nomina ab Iudaeis cur assumpta. Marci nomen fortasse Mardochaeus.* VII. *Cur LXX. interpretum versione, hebraeus licet, utatur.* VIII. *Conclusio.*

I. Qui de S. Marco inter antiquos scripserunt, nihil omnino nobis de eiusdem patria certum tradidere. Illum quidem Sandinus (1) Cyrene in Libya, sive Pentapoli, ortum fuisse docet: ductus fortasse Graecorum Actorum (2) auctoritate, ubi dicitur: Τὸ γένος ἐκ τῆς Κυρήνης ὁρμώμενος, *ex Cyrene oriundus*; quod tamen non tam cyrenaeum quam cyrenaeis ortum maioribus significat. Sed animadvertendum est, Graeca illa Acta, ut optime monet Henschenius (3), interpolata passim fuisse: in latinis vero ita legi (4): *Erant illic*, h. e. Cyrene, *secundum genus eiusdem religionis indigenae:* quae verba satis perplexa innuere videntur Cyrenaeos eiusdem cum Marco religionis fuisse, eo quod ad eandem cum Marco gentem pertinerent: hoc est mosaicis ritibus addictos fuisse, eo quod essent, perinde ac Marcus, iudaei. Graecis tamen Actis consentiunt quae commemorat in historia Alexandrinorum Patriarcharum (5) Severus aschmoninensis episcopus (6); ubi Afer fuisse traditur, et ex quadam civitate Pentapolis, patre Aristobulo, matre Maria. Hi cum divites essent, sed deinde, barbarorum incursionibus vexati, facultates omnes amisissent, relicta Pentapoli, sese prope Hierosolyma

(1) Hist. Apost. in Marc. n. 1. — (2) Apud Bolland. in appendice ad tom. III. April. p. XLVI. B. edit. venetae. — (3) Ibidem ad diem XXV. Apr. ad acta S. Marci §. 1. num. 4. pag. 344. E. — (4) Ibid. pag. 347. F. — (5) Apud Renaudot. Hist. Patriarch. Alex. in Marco pag. 2. — (6) De Severo vide Renaudot. opere cit. in praefat.

recepere, Marco secum adducto, qui Ioannes tunc temporis vocabatur. Quae omnia cyrenaeum illum fuisse confirmare videntur, cum Cyrene pentapolitanis urbibus accenseretur (1). At quam parum in his Severo fidendum sit, praeter quam quod optime monuit Renaudotius (2), ex tot illis fabulis, quae paulo post subiiciuntur, facile potest intelligi. Nec iis maior fides adhibenda est, qui hierosolymitanum arbitrantur, eo quod illum aut Petri apostoli ex sorore nepotem tradat in historia Nicephorus (3); aut Mariae cuiusdam hierosolymitanae filium, ad quam Petrus apostolus, e custodia ab angelo eductus, sese recepit (4), doceant Victor antiochenus (5) et Anonymus (6) a Possino (7) vulgati. Nam hi quidem perperam Marcum, seu potius *Ioannem Marcum*, de quo illo loco loquitur S. Lucas, cum Marco evangelista confundunt; qui tamen ab illo omnino est distinguendus, ut paullo post (8) ostendemus. Nicephorus vero non is est, cui, ubi aliquid retulerit, statim iniurato credendum sit: nam et ab aetate Marci plurimum distat, (floruit siquidem saeculo XIV) et haud magna fide esse solet (9), in iis praesertim, quae ultimam Christianae Ecclesiae antiquitatem respiciunt. In iisdem porro Actis ab Henschenio vulgatis, et ad mss. codices XII. ab eodem exactis, *galilaeus* dicitur; cui sententiae et illi quodammodo favere videntur, qui Marcum unum ex LXX. Christi discipulis fuisse dicunt: nam Christi discipulos fere omnes fuisse galilaeos ex Actibus Apostolorum (10) haud inepte coniicitur. Verum animadvertendum est, eo loco Marcum non ab Actorum Scriptore ita appellari, sed Aegyptios ita de illo loquentes induci; nec tantam esse illorum Actorum auctoritatem, ut quaecumque ab aliis dicta referant, ea ab illis totidem verbis prolata fuisse existimemus. Videtur enim eorum Scriptor, ex historicorum more, sermones illos pro rerum, quas narrabat, indole suo arbitratu confinxisse. Itaque nihil certi de Marci patria haberi apud antiquos fatendum est. Si quid tamen in tanta scriptorum discrepantia coniectando assequi licet, quod veritati proxime accedat, putarem illum origine quidem cyrenaeum, altum tamen educatumque in Iudaea, fortasse etiam Hierosolymis; quam quidem ὑπόθεσιν miro modo confirmant, quae de cyrenaica eius missione dicturi sumus (11).

II. At si Marci patria ignota atque incerta, non idem de eius gente ac religione dicendum. Nam iudaeum et genere et secta fuisse, imo ex levitica tribu ortum duxisse, veteres scriptores magna consensione tradidere. Ut enim Nicephorum, Victorem, et Anonymum modo relatos praetermittam; id diserte docet Beda in praefatione ad commentarium in eiusdem Evangelium his verbis: *Tradunt hunc natione israelitica, et sacerdotali ortum prosapia;* eique Auctor commentariorum in Marcum (12), quae sub Hieronymi nomine circumferuntur, Procopius diaconus, et chartophylax (13), Anonymus in Acta (14), Freculphus lexo-

(1) Baudrand lex. geogr. voc. *Pentapolis.* — (2) Ibid. pag. 1. et 2. — (3) Hist. Eccl. l. XX. c. XLIII. — (4) Act. cap. XII. v. 12. — (5) Praefat. in Marcum. — (6) Praefat. in Marcum. — (7) Catena g. l. in S. Marcum edita Romae in fol. anno 1673. — (8) Infr. cap. II. num. 3. — (9) Vide Bellarm., Labbe, Oudin de Script. Eccl. — (10) Act. cap. II. v. 7. — (11) Infra cap. XVI. — (12) In Praefat. — (13) Apud Possinum in Catena. Encom. S. Marci. — (14) Apud Calmet praefat. in Marc.

viensis (1), et Petrus Damiani (2) suffragantur; qui licet antiquissimi minime sint, id se tamen ex probatissimis historicis accepisse testantur. *Fuit enim*, inquit S. Petrus Damiani, *sicut authentica historiarum tradit antiquitas, levita secundum carnis originem; sacerdos in Israel, secundum ordinis dignitatem*. Quin nec illud omnino praetereundum, quod de Marcione haeretico, qui sub initia saeculi tertii vivebat, memoriae proditum est (3); unicum nempe illum S. Lucae Evangelium recepisse, reiecisse vero cetera, eo quod Ioannem, Marcum et Matthaeum, iudaei cum essent, evangelicam historiam atque doctrinam iudaicis fabulis corrupisse dictitaret; non item Lucam, utpote qui ortum ducens ex gentibus (4), minime id committere potuisset: quod quidem est in rem nostram optimum, licet testis non optimi, testimonium. Sane, quicquid de sacerdotali eius atque levitica dignitate dicendum sit, iudaeum illum et natione et religione fuisse, facile intelliget quisquis hebraicis litteris vel leviter imbutus ad eius Evangelium legendum accesserit, quod tot hebraeis idiotismis refertum deprehendet, ut nonnisi ab hebraeo homine ita conscribi potuerit (5). Huiusmodi illa sunt (6): *Et factum est in illis diebus, venit Iesus etc.*; tum (7): *Et erat in synagoga eorum homo in spiritu immundo*, hoc est, habens spiritum immundum; tum (8): *Et convenit iterum turba, ita ut non possent neque panem manducare*, h. e. ita ut nec manducandi spatium illis relinqueretur; tum (9): *In principe daemoniorum eiicit daemonia*, hoc est, principis daemoniorum ope; tum (10): *Et mulier, quae erat in profluvio sanguinis*, h. e. quae profluvio sanguinis laborabat; tum denique (11): *Cum vidissent quosdam ex discipulis eius communibus manibus, id est non lotis, manducare panes*; sexcentaque id genus (12), quae non in iis tantum locis occurrunt, quae ex Matthaeo, ut videbimus (13), excerpsit Marcus, sed in iis etiam, quae ex se suoque marte exaravit. Porro haec omnia hebraeam phrasim omnino sapiunt, hominemque ostendunt sacrorum codicum lectioni ab infantia assuetum; iudaeum scilicet non religione tantum, sed etiam gente. Si enim proselytum credas, quomodo ille graecae linguae sin minus elegantiam, saltem proprietatem, quam a parentibus hauserat, aut oblivisci potuisset, aut ita dissimulare, ut barbaram illam dicendi rationem, qua Iudaei per ea tempora graece scribentes utebantur, non secus atque Ioannes et Paulus, qui iudaei erant, omnino exhiberet? Cum enim, ut optime a Richardo Simone est animadversum (14), Iudaei sacras litteras hebraica lingua sibi in synagogis legi continenter audirent, aut ita in graecum translatas, ut graeca interpretatio verbis quidem graecis constaret, hebraicae tamen linguae φράσιν et indolem repraesentaret; hinc effectum est, ut graece scribentes hebraicam dictionem perpetuo saperent; quod in universis Novi Testamenti libris videre est, utpote

(1) Chronic. tom. II. l. II. c. 4. — (2) De sancto Marco serm. I. — (3) Vide Iren. lib. III. c. XII. n. 12. Tertull. contra Marcionem lib. IV. cap. III. et IV. Millium Proleg. in Nov. Test. n. 308. — (4) Vide Sandinum Hist. Apostol. in Luca, interrog. I. — (5) Vide Grot. praefat. in Marcum. Dupin Diss. prélimin. sur la Bibl. l. II. chap. II. §. 4. — (6) Cap. I. v. 9. — (7) Cap. I. v. 23. — (8) Cap. III. v. 20. — (9) Cap. III. v. 22. — (10) Cap. V. v. 25. — (11) Cap. VII. v. 2. — (12) Vide Lightfoot Horae Thalmud. in Marcum. — (13) Infra cap. VI. n. IV. et seq. — (14) Histoire Critiq. du Nouv. Test. Chapit. XXV. XXVI.

*

quos hebraei scriptores elaboraverint (1). Quod in iis etiam libris, qui nostra hac aetate de religione ab Iudaeis procuduntur, imo in ipso eorundem sermone videre est. Licet enim hispanice, italice, aut alia vulgari lingua loquantur, nescio quid tamen in illis peregrinum, et ad hebraeam φράσιν accedens occurrit, praesertim ubi sacrarum litterarum testimonia ab iis proferuntur; quod, ut ceteros praetermittam, in Francisci Mariae Ferretti ex-iudaei opere (2) haud semel animadverti.

III. Constat igitur Marcum iudaeum fuisse: at utrum ex his, qui hellenistae dicebantur, modo est investigandum. Tamdiu enim a viris doctis est animadversum (3), Iudaeos Christi aetate in Hebraeos et Hellenistas dividi consuevisse; quod, licet inter ipsos nescio quam aemulationem ac simultatem inferret, nullum tamen in fide aut religione dissidium inducebat (4). Huius autem rei indicia plura habemus in Actibus Apostolorum (5), praesertim initio capitis sexti, ubi ita habet S. Lucas: *In diebus illis crescente numero discipulorum factum est murmur Graecorum adversus Hebraeos, eo quod despicerentur in ministerio quotidiano viduae eorum.* Huiusmodi *Graecos*, sive ut graece legitur Ἑλληνιστάς *Hellenistas*, iudaeos revera fuisse, non ethnicos, vel ex eo patet, quod nondum Ethnici in Ecclesia erant admissi: quos nonnisi post celebrem illam pendentis lintei visionem, baptizatumque Cornelium centurionem, Petrus recepit (6). Adde ipsam vocem ἑλληνιστής *hellenistes* non iam *graecum*, sed *graecizantem* (7) significare, h. e. qui Graecos aut lingua, aut re alia imitetur, graecus quamvis ipse non sit: cum ex adverso *Graecus* Ἕλλην dicatur; qua voce ad Ethnicos universos significandos identidem uti solent sacrae litterae (8). Hinc haud inepte syrus interpres, quo loco habet graecus (9): *Et loquebatur, et disputabat adversus Hellenistas*, vertit (10): *Et disputabat cum Iudaeis illis, qui sciebant graece:* quae quidem interpretatio maximi habenda est, cum et syrus interpres ipsa fere Apostolorum aetate, aut certe paullo post (11), floruerit: et eandem Chrysostomus (12), Oecumenius (13) et Theophylactus (14) sequantur. Nec audiendus Beza, (15), qui *Hellenistas* eosdem esse ac *Proselytos* arbitratur; hoc est, eos, qui ex gentibus ad iudaica sacra transierant: cum nunquam hoc nomine *Proselyti* aut in sacris litteris, aut apud Iosephum vocentur (16); imo nonnulla sint in Actibus loca, Lightfooto teste (17), quae omnino huic interpretationi repugnent. Erant igitur *Hellenistae* iudaei; eoque nomine appellabantur, qui inter Graecos degentes, aut in ipsa Graecia, aut in Asia minori, aut in Aegypto,

---

(1) Videndus de hac re Salmasius in com. de lingua hellenistica. — (2) La verità della fede cristiana svelata agli Ebrei. Venez. in 4. 1711. — (3) Richard. Sim. lib. cit. cap. XXVII. — (4) Vide Cunaeum de Rep. Hebrae. l. II. c. 23. — (5) Act. VI. v. 1. IX. v. 29. XI. v. 19. 20. etc. iuxt. text. graec. — (6) Vide Act. Apost. cap. X. — (7) Vide Erasm. et Drusium in h. l. — (8) Act. XVIII. v. 4. Rom. I. v. 16. II. 9. 10. III. v. 9. X. v. 12. I. Corinth. I. v. 22. 23. 24. Galat. III. v. 28. — (9) Act. IX. v. 29. Ἐλάλει τε καὶ συνεζήτει πρὸς τοὺς Ἑλληνιστάς. — (10) [illegible] — (11) Vide Walton. Proleg. XIII. n. 13. — (12) In Act. Apost. Hom. XXI. n. I. — (13) In Act. cap. IX. v. 29. — (14) In eund. loc. — (15) In Act. VI. v. 1. — (16) Vide Drusium in Act. VI. v. 1. — (17) In Act. VI. v. 1.

Cyrene, et Libya sibi domicilium elegerant; Alexandriae praesertim, siquidem alexandrini Hellenistae (1) omnium principes habebantur. Porro ut hi *Hellenistae* dicebantur, ita *Hebraei*, ii omnes, qui aut in Iudaea, aut in finitimis Iudaeae provinciis degebant, tum etiam in Perside caeterisque Asiae regionibus, in quas babylonicae captivitatis tempore dispersi fuerant. Erant autem tam *Hebraeis*, quam *Hellenistis* discretae Hierosolymis, atque alibi synagogae, quod ex Actibus Apostolorum iterum liquet; ubi diserte (2) *synagoga Libertinorum, et Cyrenensium, et Alexandrinorum, et Cilicum, et Asianorum* commemoratur; nisi forte totidem hic synagogae numerandae sunt, quot gentes: ea ferme ratione, qua nunc etiam Venetiis sua est germanicis Iudaeis synagoga, sive ut ipsi vocant *schola*, sua Orientalibus, sua Italis, sua Hispanis; ac unaquaeque eius gentis nomine censetur, a qua solet frequentari. Licet autem in Hellenistarum synagogis mosaica lex (3) hebraice recitaretur in solemni illa lectione, quae *fit per omne sabbatum* (4), cum tamen plurimi essent inter Hellenistas, qui hebraeam linguam omnino ignorarent, et graecam tantum callerent, statim eadem lectio ex LXX. interpretum versione graece etiam iterari solebat: neque enim adhuc Iudaei ita translationem illam aversabantur, quemadmodum processu temporis ipsam sunt abominati, postquam ea Christiani uti coepere, eandemque, veluti ab ipsis receptam, adversus illos urgere. Quin etiam legimus in Thalmude Hierosolymitano (5), Rabbinum quendam nomine Levi, filium Chitae, cum Caesaream venisset, ac quosdam phylacteria sua recitantes אליניסתין *ellenistin* h. e. *hellenistice* audisset, illos voluisse coarguere; sed a Rabbi Jose, quominus id faceret, fuisse prohibitum hisce verbis: *Num qui assyriace legere nescit, nullo modo illa leget? atqui satisfacit officio suo quacumque lingua, quam norit.* Quae quidem verba ostendunt, Iudaeos Hellenistas plerumque et hebraeae, et assyriacae h. e. chaldaicae linguae ignaros omnino fuisse, quod de ipso Philone Iudaeorum disertissimo est ab eruditis viris animadversum (6).

IV. Hisce eruditionis atque perspicuitatis gratia de *Hebraeis* et *Hellenistis* praemissis; videamus modo, utri parti Evangelista noster accensendus sit. Qua in re cum nulla omnino extent antiquitatis monumenta, quibus quaestio dissolvi possit, (neque enim Syrorum traditionem, quam alibi afferemus (7), valde moror) coniecturis tantum negotium erit transigendum. Ac primum, si quid ex ipso scriptoris stilo, quod vero proxime accedat, deduci potest, videtur Hebraeis potius, quam Hellenistis Marcus adnumerandus. Tot enim ac tantis, ut superius monuimus (8), hebraismis eius dictio referta est, ut inde constet, eum, qui ita scriberet, non obiter tantum atque perfunctorie hebraeos codices pervolutasse, sed iisdem legendis evolvendisque diuturnam sane operam atque diligentissimam tribuisse; ita ut hebraicae phrasi atque stilo assuetus, hebraicam dicendi rationem, etiam cum graece scriberet, repraesentaret. Id vero

(1) Vide Cunaeum de Rep. Hebraeor. l. II. cap. XXIII. — (2) Act. VI. v. 9. — (3) Vide Richard. Simon. loc. cit. — (4) Act. XV. v. 21. — (5) Tract. Sotan cap. VII. const. I. — (6) Vide Sixt. sen. Bibl. l. IV. Scalig. Elench. Trihaeres. Serrar. cap. XVIII. Hodium de Bibl. text. orig. l. III. part. I. cap. I. n. 3. — (7) Infr. cap. XIII. n. V. — (8) Sup. n. 2.

ab Hellenista ne, an ab Hebraeo facilius expectandum? Profecto ab Hebraeo. Nam licet hellenistae etiam scriptores (eos tantum dico qui hebraice noverant) ex frequenti hebraici codicis lectione, et ex ipsa LXX. interpretum translatione ad hebraeam phrasim adornata, nescio quid peregrinitatis contrahere possent; id tamên multo facilius Hebraeis contingere necesse fuit, qui et hebraeos codices frequentius et accuratius evolvebant, et versionibus utebantur chaldaica lingua vel assyriaca exaratis, quae hebraeae locutionis ingenio et phrasi suapte natura proxime accedit. Adde, Hebraeos, cum aut in Palaestina, aut in proximis Palaestinae locis degerent, ea lingua etiam in familiari sermone usos fuisse, quae barbara quamvis esset atque rudis, ex hebraea tamen et chaldaica orta erat (1), hebraeasque atque chaldaicas dicendi formas omnino servabat, quod cum ex Onkelosi et Ieonathanis *Thargumím*, sive translationibus, deprehendi potest, tum etiam ex syriaca novi foederis versione: quas omnes primis Ecclesiae saeculis fuisse elaboratas viri longe eruditissimi demonstrarunt (2). Hinc sapienter animadvertit Richardus Simonius (3), Hebraeos, qui in Palaestina degebant, ubi graece scriberent, propius hebraicae phrasi adhaesisse, quam Hellenistas; cum his quidem, utpote Graecis, graeca lingua familiaris esset, ac proinde plurimos dicendi modos sufficeret cuique rei explicandae peropportunos; illi vero et longe minori eiusdem linguae notitia instructi essent, et hebraeam phrasim, cui ab infantia assueverant, plenius callerent, et difficilius oblivisce-rentur. Porro quid inde in rem nostram deduco? Marcum scilicet, si ex eius stilo iudicium ferendum sit, hebraeum potius, quam hellenistam putandum.

V. Nec quis reponat, Marcum, si hebraeus revera fuisset, hebraica lingua Evangelium suum fuisse editurum, sive lingua illa ex hebraica atque chaldaica conflata, qua tunc temporis Palaestini utebantur; qua lingua Matthaeum in Evangelio suo conscribendo usum fuisse, universae antiquitatis (4) testimonio proditum est. Nam primum graecam etiam linguam Marco, hebraeo licet ac in Palaestina orto, notam utcumque fuisse, nil mirum, cum lingua illa post Macedonum imperium, ita in universa etiam Palaestina diffusa sit, ut nemo paullo excultior esset, qui non illam aliquo modo calleret (5). Quod cum ex multis indiciis, tum vero maxime ex ipso Crucis titulo, deprehendi potest, quem Pilatus hebraicis graecis et latinis litteris (6) scribi voluit, his nempe linguis, quarum altera propria esset hebraicae gentis, altera Praesidis, tertia denique apud omnes fere Iudaeos tunc temporis pervulgata. Quid, quod graece scripsere Petrus apostolus, Iacobus, Ioannes, Iudas, quos certo constat fuisse galilaeos (7)? Quid ni, quod illi rudes licet et imperiti praestare potuere, id Marcus praestiterit, homo fortasse illis longe eruditior, utpote (quod nonnulli

(1) Vide Walt. Proleg. ad Bibl. Londin. prol. XIII. n. 2. 3. 4. — (2) Walton Proleg. XII. n. 9. 10. Proleg. XIII. n. 15. Du-Pin. Diss. prélim. sur la Bibl. liv. I. chap. VIII. n. 1. etc. Vide infr. cap. XIII. n. 5. — (3) Histoire Critiq. du Nov. Test. chap. XXVIII. — (4) Vide Calmet, a Lapid. et proleg. in Matth. Sandin. Hist. Apost. in Matthaeo inter. VI. not. 9. — (5) Vide Hieron. in Epist. ad praef. Galat. litt. 2. Calmet proleg. in Ep. ad Hebr. cap. 2. Vorstium de Synedr. Hebr. §. I. Rabbi Abrah. Ben David de templo cap. XXIV. pag. 331. edit. venetae Ugolini. Lightfoote in Matth. I. v. 23.—(6) Luc. XXIII. v. 38. Ioan. XIX. v. 20. — (7) Vide Sandini hist. Apost. in Petro, Iacobo, Ioanne, et Iuda.

tradidere) ex levitico genere ortus (1), et, Procopio teste (2), opibus et nobilitate maxime florens? Adde, multas fuisse caussas, quae Marcum ad graece scribendum impellerent (3), ita ut perperam hebraeum illum non fuisse quispiam ex eo deducat, quod graeca lingua usus fuerit: cum potius, ex eo quod tot hebraeis idiotismis eius dictio redundet, hebraeum ipsum fuisse, esset deducendum.

VI. Nec maius nobis negotium facesseret, qui ex ipso Marci nomine illum Hellenistis esse adnumerandum deduceret. Equidem *Marci* nomen nec hebraeum esse, neque chaldaicum ultro concedam; ita ut oleum et operam perdere, ut aiunt, mihi videantur, quicumque hanc vocem ad hebraeas radices revocantes (4) nescio quae inde mysteria conantur extundere. At non hinc hellenistem illum fuisse recte concludas, siquidem vox haec latina est, non graeca; ac proinde, si ex illa de Marci genere esset iudicandum, romanus potius genere, quam hellenistes dicendus erit; quod tamen nemo unquam, quod ipse noverim, de Evangelista nostro, ne per somnium quidem existimavit. Quomodo igitur romanum nomen hebraeo homini impositum? Putat Walchius (5), idque ab aliis bene multis se accepisse testatur, Evangelistam ipsum hoc sibi nomen assumpsisse in gratiam Latinorum, quibus Evangelium praedicare debebat; quod cum nullo certo antiquorum testimonio confirmet, nemo pro indubitato recipiet. Melius Dupinius (6), id ex Iudaeorum illius aetatis more factum fuisse, arbitratur, qui graeca et latina nomina sibi assumere consueverant, tum ut patronis suis gratificarentur, tum ut inter Graecos et Latinos degentes barbara illa nomina dissimularent, quae ludibrio esse apud eosdem solebant. Porro receptae Christi aetate apud Iudaeos huiusmodi consuetudinis fidem faciunt tot illa graeca et latina nomina, quae in ipsis Apostolorum Actis occurrunt; ut illa sunt: *Alexander* (7), *Philippus* (8), *Paulus*, et *Marcus*, alter (9) ab Evangelista nostro omnino diversus; ut eos, qui utrum hebraei fuerint an hellenistae non liquet, praetermittam. Nam, quos commemoravi, hebraei revera fuerunt, cum Alexander quidem ex genere sacerdotali dicatur, Philippus apostolus ex Bethsaida Galilaeae urbe ortum duxerit (10); Paulus, tarsensis licet e Cilicia (11), Hierosolymis tamen altus fuerit educatusque (12), ac Pharisaeorum sectam professus (13), nonnisi sero (14) nomen romanum assumpserit, antea enim Saulus vocabatur; Marcus denique ille alter, qui tamen proprio nomine Ioannes appellabatur, Mariae cuiusdam, quae Hierosolymis degebat, filius esset (15). Idem ostendunt etiam plurimorum doctorum Misnicorum graeca nomina in Thalmude relata, ut illa sunt:

---

(1) Supr. §. II. — (2) Infr. §. VIII. vide etiam supr. n. 4. — (3) Vide infr. cap. IX. n. 10. et seq. — (4) Corn. a Lap. praefat. in S. Marci Evang. Auctor libri de Nom. Hebraic. inter opera S. Hieron. t. III. in Act. Apost. Epist. I. S. Petri et ad Coloss. Isid. Etymol. l. VII. cap. IX. Petrus Damian. serm. XV. praefat. in S. Marc. Evangelium in versione armena. — (5) Valch. Hist. Eccl. saec. I. cap. I. sect. 2. §. 42. in notis. — (6) Dissert. prélim. sur la Bibl. liv. II. chap. II. §. 4. Vide Grot. praef. in Marcum etc. — (7) Act. IV. v. 6. — (8) Act. I. v. 13. — (9) Act. XII. v. 12. — (10) Ioan. I. v. 44. — (11) Act. IX. v. 11. XXI. v. 39. XXII. v. 3. — (12) Act. XXII. v. 3. — (13) Act. XXIII. v. 6. — (14) Vide Sandini histor. Apost. in Paul. interrog. X. — (15) Act. XII. v. 12.

Dosithei (1), *Nicodemi* (2), *Antigoni* (3), *Tryphonis* (4), *Aristonis* (5), *Hyrcani* (6) *Antinoi* (7), *Nicanoris* (8), *Papiae* (9), *Symmachi* (10), *etc.*, quos inter plures hebraeos fuisse, non vero hellenistas ex ipsis Thalmudis verbis aperte patet. Quin imo ab ipsa Syro-Macedonum regum aetate morem hunc apud Iudaeos obtinuisse, uterque Machabaeorum liber ostendit: plurima siquidem huiusmodi nomina ibidem occurrunt, *Alcimus* (11), exempli gratia, *Eupolemus* (12), *Iason* (13), *Ptolemaeus* (14), *Menelaus* (15), *Dositheus* (16), *Sosipater* (17), aliaque huiusmodi, quae profecto non Hellenistarum erant, sed Hebraeorum in Palaestina degentium; praesertim cum ipsum *Hellenistarum* nomen nondum esset auditum. Perperam igitur ex latino Evangelistae nostri nomine illum hellenistem fuisse quispiam deduxerit. Sed nec alia Dupinii animadversio spernenda (18), existimantis, *Marci* vocem, non iam ipsum, ipsissimum Evangelistae nomen esse, sed eius potius interpretationem, aut detorsionem. Interpretationem dico, quae non tam ipsum hebraeum nomen, sed eius significationem exhibeat, ut si quis pro *Gregorio*, aut *Anastasio*, graecis nominibus, *Vigilantium*, aut *Paschalem* latine redderet; detorsionem vero, quae ex alia lingua nomen assumit, quod ipsi vero nomini, sono quidem, aliquo modo respondet, significatione non item: ut si quis pro *Antinoo*, aut *Berenice*, graecis vocibus, *Antonium*, aut *Veronicam* latine exhiberet. Utrinsque commutationis exempla etiam apud nostrae aetatis Iudaeos plurima occurrunt. Siquidem cui יהשוע sive *Iesus* nomen sit, hunc *Salvatorem* appellant; cui חיים *Chaiim* nuncupant *Vitam*, sive *Vitalem*; cui יהודה sive *Iuda*, *Leonem* dicunt: *et* in feminis quoque לבנה, et מלכה *Lebana*, et *Malcha*, in *Lunam*, sive *Blancham*, et *Reginam* commutant. Pari modo, alia nomina, solius soni ratione habita, ita convertunt, ut דינה *Dinà* pronuncient *Dianam*, שלמה *Selomò* sive *Salamon* pronuncient *Mòmmolo*, quod Venetis est *Hieronymus*, מנחם *Menachèm*, pronuncient *Mandolino*, quod item Venetis est *Amygdalum*, ישראל *Israel*, pronuncient *Angelo*, quod est *Angelus*; et, ut caetera praetermittam, ipsum *Marci* nomen, quo plures inter Iudaeos nuncupantur, nihil est aliud nisi מרדכי *Mordochai*, sive, ut Latini efferre amant, *Mardochaeus*. Quidni hoc fuerit verissimum Evangelistae nostri nomen (19)? Sed ut pro certo venditare id minime ausim, ita nec omnino negare: neque enim absurdum. Certe hanc nominum sive interpretationem, sive detorsionem apud Iudaeos esse antiquissimam certum est. Cum enim ab Hebraeis, ut diximus, ideo sit excogitata, ne barbarae illae appellationes ab hebraicae linguae ignaris ludibrio haberentur; videtur huiusmodi mos ab eo usque tempore repetendus, quo inter Graecos et Romanos versari coeperunt. Porro ad *Mordachài* nomen quod attinet, praeter vocis barbariem, nescio quid etiam in eo latet turpiusculum, si ad romanae linguae radices re-

---

(1) Horià c. II. 5. Nidda c. III. 31. — (2) Pirke Arot c. VII. — (3) Ibid. c. I. 3. — (4) Ibid. c. I. 15. 16. — (5) Challa IV. 11. — (6) Bava Metzia c. X. — (7) Challa IV. 11. — (8) Ioma c. V. — (9) Sekalin c. IV. 7. — (10) Eruvin. c. I. — (11) I. Machab. VII. v. 5. — (12) I. Machab. VIII. v. 17. — (13) Ibid. II. Machab. IV. v. 7. — (14) I. Machab. XVI. v. 11. — (15) II. Machab. IV. v. 23. — (16) II. Machab. XII. v. 19. — (17) Ibid. — (18) Dissert. prélim. sur la Bibl. l. 2. c. 2. — (19) Vide Grot. praef. in Marc. et in Epist. I. S. Petri cap. V. v. 13.

feratur; quo fit, ut illud etiam a christianis femellis, ludibrii gratia, in minus honestam significationem detorqueri nonnunquam audierim. Quid mirum, si illud hac ipsa de caussa Hebraei Christi aetate in *Marcum* converterint? Verum haec coniecturam minime excedunt.

VII. Postremum argumentum adversus sententiam illam, quam probabiliorem putamus, ex graeca τῶν LXX. versione identidem a S. Marco usurpata deducitur. Quaecumque enim ex Veteri Testamento loca afferuntur, ea sanctus Evangelista, non iam ex hebraeis codicibus, et iuxta hebraicam lectionem, sed ex translatione τῶν O. perpetuo mutuatur: qui tamen, si hebraeus revera fuisset, ad hebraeos potius codices, quam ad graecos provocasset. Attamen, si animadvertamus, Marcum Evangelium suum non in Iudaeorum in Palaestina degentium gratiam conscripsisse, quibus hebraeum textum consulere pronum erat; sed illud Romae (1) exarasse, rogatu Christianorum, sive ex hebraeis, sive ex gentibus, qui Petrum audierant, quibus graecos fontes potius quam hebraeos adire facile erat, quique LXX. interpretum versioni iamdiu assueverant; statim intelligemus, cur ille graecos potius codices, quam hebraeos in proferendis Scripturae locis secutus fuerit. Quae profecto caussa fuit, cur ad eosdem graecos codices et Paulus, et Petrus, et Ioannes, et alii Novi Testamenti scriptores identidem provocarent (2). Caeterum quemadmodum perperam hinc quis, Petrum ipsum, aut Iacobum, aut Iudam, aut Ioannem hellenistas putaret, quos galilaeos fuisse apprime constat; ita hoc ipso argumento de Marco concludi poterit prorsus nihil.

VIII. Atque haec de S. Evangelistae patria et gente dicta sint; in quibus si quis non ea, quae certissima sunt, a nobis afferri criminetur, animadvertat, in re tam vetusta ac veterum testimoniis destituta, non ea quae verissima sint requiri, sed satis esse, si ea quis afferat, quae veritati proxime accedere videantur. Quod vero addit Procopius (3), Marcum ineruditum hominem, atque adeo *idiotam, voce divina advocatum, propinquorum amorem generoso ausu superasse, pro nihilo generis honores habuisse, ac veluti fugacem umbram opum abundantiam despexisse;* horum omnium nemo me vadem requirat. Videtur enim haec Procopius dixisse oratorio potius modo, atque amplificationis gratia, qua maxime sese effert in oratione illa sua: quorum tamen omnium altum apud antiquos scriptores silentium est.

---

(1) Infr. cap. VII. n. 1. — (2) Vide de hac re Hodium de Bibl. Text. Orig. libr. III. part. I. cap. 2. — (3) Orat. in S. Marcum in Caten. Possini in Marcum.

CAPUT II.

UTRUM MARCUS EVANGELISTA IDEM SIT CUM IOANNE MARCO, DE QUO IN ACTIBUS APOSTOLORUM: TUM CUM MARCO ILLO, QUEM IN EPISTOLIS SUIS IDENTIDEM COMMEMORAT S. PAULUS.

I. *Utrum unus tantum an plures Marci in sacris litteris commemorentur.* II. *Loca sacrae scripturae afferuntur, ubi Marci nomen occurrit.* III. *Marcus, qui in Actis et in epp. S. Pauli commemoratur, unus et idem esse videtur.* IV. *Marcus in Actis et epp. ad Coloss. et Philem. memoratus non est Evangelista.* V. *Nec Marcus alter, de quo in epistola ad Timotheum.* VI. *Marcus in ep. S. Petri commemoratus est Marcus evangelista.*

I. Cum Marci nomen identidem in novo foedere occurrat, in Actis nempe, in epistolis S. Pauli, et in prima catholica S. Petri, quaesitum iamdiu est, utrum hoc nomine Evangelista noster innuatur. Qua de re in plures sententias ab expositoribus itum est; cum alii (1) semel tantum illius, hoc est in Petri epistola I. (2) mentionem fieri arbitrentur: alii (3) in Actis (4) quoque non alium Marcum, nisi nostrum commemorari existiment: alii (5) denique ubicumque (6) Marci nomen occurrat, de Evangelista accipiendum esse contendant. Porro criticorum dissidio ansam praebuit veterum scriptorum ac Patrum de huiusmodi re satis antiqua dissensio: qui cum diversi omnino abeant, nullum nobis ad hanc quaestionem enodandam praesidium contulere. Nam Auctor Constitutionum Apostolicarum, satis ille antiquus, licet ad Apostolorum aetatem minime assurgat (7), Lucam et Marcum evangelistas *Pauli συνεργούς* sive *adiutores* appellans (8), satis ostendit, putare se Marcum nostrum illum ipsum esse, quem in epistolis ad Colossenses et ad Philemonem (9) S. Apostolus Onesimo, Aristarcho et Iesu Iusto coniungit, quos omnes *adiutores συνεργούς suos in regno Dei* vocat: quod ipsum facit et Euthymius (10) et Anonymus (11) a Possino in Catena vulgatus: tum quicumque ille fuit, qui titulos armenicae Evangeliorum translationi praefixit, in quibus Marcus (12), quemadmodum in nonnullis etiam exemplaribus graecis, *συνέκδημος Παύλου*, h. e. *Pauli socius*, sive *comes* vocatur. Adamantius quoque, cuius *Dialogus de recta in Deum fide* inter Origenis opera (13) circum-

(1) Corn. a Lapid., Calmet, Grotius, Tirin. Menoch. Caietan. Lorin. in I. Petri V. v. 13. etc. — (2) Cap. V. v. 13. — (3) Vide Estium in I. Petri V. v. 13. Calmet. praef. in Marcum. Hug. Carens. in Epist. ad Coloss. IV. v. 10. — (4) Act. XII. v. 12. 25. XV. v. 37. 39. — (5) Remig. Rhem. in Epist. ad Colos. IV. v. 10. Haymo halberst. in Ep. ad Coloss., Oecum. in eund. loc. etc. Vide Io. Bapt. Sollerium inter Bolland. ad vitam S. Barnabae ad diem XI. Iunii. Sixtum Senens. Bibl. l. II. in Marco. — (6) Coloss. IV. v. 10. II. Timoth. IV. v. 11. Phil. v. 24. — (7) Vide Coteler. iudic. in Const. Apost. n. V. — (8) Const. Apost. l. II. cap. LVII. — (9) Coloss. IV. v. 10. Philem. v. 24. — (10) Prooemio in Marc. — (11) Prooemio in Marc. — (12) Praet. Evang. S. Marci arm. — (13) Oper. Orig. t. I. pag. 800. edit. parisiens.

fertur, ex hoc ipso ad Colossenses locò, Marcionitae cuidam, quocum disputat, conatur ostendere (1), Marcum et ex LXXII. Christi discipulis fuisse, et ipsi Παύλῳ τῷ ἀποστόλῳ εὐαγγελίσασθαι, *ipsi Paulo apostolo evangelizasse*, h. e., ut mihi videtur, in Evangelii praedicatione comitem fuisse. Idem sentit Hieronymus in commentariis in epistolam ad Philemonem (2), ubi de Marco ibidem ab Apostolo memorato ait: *quem puto Evangelii conditorem*, cui veterum Patrum compilator Atto vercellensis (3) subscribit. Itaque hi omnes duos simul Marcos coniungunt, alterum nempe a S. Petro memoratum, quem nemo fere dubitat unum omnino esse cum Evangelista, alterum ab apostolo Paulo haud semel cum laude in epistolis recensitum. At Victor (4), universis Novi Testamenti locis ubi Marci nomen occurrit prolatis, ea omnia explicat de Marco evangelista, quod item faciunt Oecumenius (5), Alexander cyprius in panegyri S. Barnabae (6), et Theophylactus (7), cum alibi, tum in commentario in Acta Apostolorum (8), qualis a Bonifacio Finetti editus est (9). Nam in Sifani editione (10) nonnisi subdubitans hac de re loqui videtur. Nec tamen desunt qui ex adverso non unum, sed plures Marcos, in illis Novi Testamenti locis memoratos agnoscant, quos inter Dorotheus, sive potius auctor incertus libelli de LXXII. Christi discipulis (11), diserte Marcum evangelistam a Ioanne Marco, de quo in Actibus sermo est, distinguit; atque illum quidem alexandrinum a Petro apostolo episcopum constitutum fuisse tradit, hunc vero Bybli in Phoenicia episcopatum gessisse, cui Martyrologium Romanum (12) et Menologia Graecorum fere universa (13) subscribunt. Mitto eos omnes, qui cum Evangelistam nostrum aut Petri discipulum, aut filium ex baptismate, aut interpretem, aut peregrinationis comitem dicant, illum profecto ab altero Marco, comite et discipulo Pauli distinguunt, de quibus infra (14) erit disputandum.

II. Haec vero cum ita se habeant, iam patet nihil de hac re ex antiqua traditione posse constitui, cum Ecclesiae Patres de Marco loquentes in diversa prorsus abierint. Attamen, si cui potius sententiae standum sit requiras, ea ceteris mihi anteferenda videtur, quae Marcum nostrum tum a Ioanne Marco, tum a Marco altero a S. Paulo memorato distinguit; in quam sententiam Baronius (15), Ioan. Bapt. Sollerius (16), Lorinus (17), Calmetus (18), aliique viri longe clarissimi (19) concessere. Id vero quibus momentis conficiant statim ostendam, ubi tamen primum, quid de hisce Marcis in sacro codice tradatur, breviter demonstravero. Ac in Actis quidem (20) refert S. Lucas, Petrum, postquam ab

---

(1) Pag. 806. 807. — (2) Ad vers. 24. — (3) In Ep. ad Coloss. IV. v. 10. in Epist. ad Philem. 24. — (4) Apud Possinum cat. in Marc. in prooem. — (5) In Act. XII. v. 12. — (6) Apud Contin. Bollandi ad diem XI. Iunii. — (7) In Praefat. ad Ev. S. Marci, et in Epist. ad Philemon. v. 24. — (8) In Act. XII. v. 12. — (9) Venet. fol. 1758. — (10) Colon. 1557. — (11) Num. XIV. et LXV. — (12) Ad dies XXV. April. et XXVII. Sept. Vide Baronii adnot. ad illos dies. — (13) Ad dies XXV. April. et XXVII. Sept. — (14) Vide infr. cap. III. et IV. — (15) Ad annum Christi XLV. num. XLIII. et seq. — (16) In ser. Patriarch. Alexandrin. apud Bolland. t. V. Iunii. — (17) In Act. XII. v. 12. — (18) In Diction. voc. Marcus, et praefat. in Ev. S. Marci. — (19) Sandini Hist. Apost. in Marco in terr. 3., Coteler. in not. ad Const. Apost. l. II. c. LVII., Du-Pin dissert. sur la Bibl. liv. II. chap. II. §. 4, nota B., a Lapid. in Act. XII. v. 12. — (20) Act. XII. v. 12.

angelo, qui illum e carcere eduxerat, dimissus est, *venisse ad domum Mariae matris Ioannis, qui cognominatus est Marcus, ubi erant multi congregati et orantes:* deinde paullo post addit (1): *Barnabam et Saulum expleto ministerio ab Ierosolymis Antiochiam perrexisse, assumpto secum Ioanne, qui Marcus dicebatur.* Refert deinde varias Barnabae ac Pauli peregrinationes, eosque per Asiam, atque Syriam non semel Evangelii disseminandi gratia circumducit, ac demum Antiochiae, unde haud semel digressi fuerant (2), *docentes* exhibet, *et evangelizantes cum aliis pluribus verbum Domini:* tum addit (3): *Post aliquot autem dies, dixit ad Barnabam Paulus: revertentes visitemus fratres per universas civitates, in quibus praedicavimus verbum Domini, quomodo se habeant. Barnabas autem volebat secum assumere et Ioannem, qui cognominabatur Marcus. Paulus autem rogabat eum (ut qui discessisset ab eis et non isset cum eis in opus) non debere recipi. Facta autem est dissensio, ita ut discederent ab invicem, et Barnabas quidem assumpto Marco navigaret in Cyprum, Paulus vero electo Sila profectus est.* Haec de Ioanne Marco S. Lucas, nec praeterea quidquam. Sanctus vero Paulus in epistola ad Colossenses (4) inter eos, quorum nomine eosdem salutat, et Marcum recenset: *Salutat vos,* inquit, *Aristarchus concaptivus meus, et Marcus consobrinus Barnabae.* Et paullo post (5): *Salutat vos Epaphras, qui ex vobis est, servus Christi Iesu... salutat vos Lucas medicus carissimus, et Demas.* Et in Epistola ad Philemonem (6): *Salutat te Epaphras concaptivus meus in Christo Iesu, Marcus, Aristarchus, Demas, et Lucas adiutores mei.* Demum in epistola ad Timotheum secunda (7): *Demas me reliquit, diligens hoc saeculum et abiit Thessalonicam... Lucas est mecum solus: Marcum assume, et adduc tecum: est enim mihi utilis in ministerium.* Denique S. Petrus in epist. catholica prima (8) Marci et ipse meminit, *salutat vos,* inquiens, *Ecclesia, quae est Babylone coëlecta, et Marcus filius meus.* Hi loci sunt, ubi Marci nomen occurrit: alibi nunquam. Porro quem postremum ex Petro retulimus ad Evangelistam pertinere, ceteros vero Marcum alium respicere, breviter demonstrabimus.

III. Ac primum quidem priora illa duo ex S. Paulo testimonia ad unum eundemque hominem esse referenda non dubito, imo et tertium etiam ex epistola ad Timotheum, ita ut nihil necesse sit duplicem Marcum ab Apostolo commemoratum inducere. Nam duobus quidem prioribus eundem Marcum commemorari, vel ex eo patet, quod utrobique cum *Demade, Luca, Epaphra, et Aristarcho* coniungitur, ac utrobique (9) hos omnes *συνεργούς*, h. e. *coadiutores suos* Apostolus vocat. Quin imo utraque epistola eodem tempore data fuit, dum Paulus Romae moraretur, ac in vinculis esset iussu Caesaris, ad quem appellaverat (10). Utrinque enim vinculorum suorum mentionem iniicit (11), utrinque Onesimum veluti praesentem (12) commemorat, quem tamen a Philemone

(1) Ibid. v. 25. iuxta text. graec. — (2) Act. XV. v. 35. — (3) Ibid. v. 37. — (4) Cap. IV. v. 10. — (5) Ibid. vers. 12. 14. — (6) Vers. 23. — (7) Cap. IV. v. 10. et 11. — (8) Cap. V. v. 13. — (9) Coloss. IV. v. 11. Philem. v. 24. — (10) Act. cap. XXV. v. 10. — (11) Coloss. cap. I. v. 24. 29. cap. IV. v. 10. 18. Philem. vers. 10. 13. — (12) Coloss. IV. v. 9. Philem. vers. 10. etc.

profugum, et ad se confugientem, se in vinculis baptizasse, et ad dominum suum statim remisisse testatur (1). Imo utriusque epistolae eundem Onesimum latorem fuisse pro certo habeo, utpote qui colossensis (2) et ipse esset, et ad dominum redux Colossos proficisceretur: quod et notae illae confirmant, quae singulis S. Pauli epistolis in graecis codicibus adiiciuntur, quae licet haud magni fieri soleant a criticis (3), non tamen recentissima manu adiectae sunt, cum in syriaca etiam, coptica, arabicaque versione retineantur. Siquidem ad calcem epistolae ad Colossenses legitur: Πρὸς Κολασσεῖς ἐγράφη ἀπὸ Ῥώμης διὰ Τυχίκου, καὶ Ὀνησίμου. *Ad Colossenses scripta est ex Roma per Tychicum et Onesimum,* quae inscriptio extat etiam in coptico (4) et arabico: ad calcem vero epistolae ad Philemonem: Πρὸς Φιλήμονα ἐγράφη ἀπὸ Ῥώμης διὰ Ὀνησίμου οἰκέτου: *Ad Philemonem scripta est ex Roma per Onesimum domesticum,* quae item in arabico et syriaco leguntur. Haec itaque omnia unum eundemque utrobique Marcum demonstrant. At non alium in epistola quoque ad Timotheum commemorari, ex eo mihi coniici posse videtur, quod Paulus in ea etiam eosdem *adiutores* enumerans, iterum et *Demadem* et *Lucam* et *Tychicum,* cuius in epistola ad Colossenses meminit (5), non sine amoris sensu recenset, ita ut mirum mihi videri possit, Marcum alium hoc loco a priori illo diversum induci. Quod quamvis non mihi constet omnino, non contemnenda tamen coniectura persuaderi videtur, ita ut nulla sit caussa alterius Marci inducendi, cum hic idem omnino cum altero illo esse possit. At sive idem est, sive ab illo alter, vix tamen Marcum, de quo in epistolis ad Colossenses et Philemonem sermo est, ab eo qui in Actibus Apostolorum occurrit, distinguendum esse existimaverim. Siquidem ille et in ministerium verbi a Paulo ac Barnaba assumitur, et ipsis peregrinantibus comes accedit, et offensione aliqua eius caussa inter utrumque suborta, Barnabae potius adhaeret, quam Paulo; eundemque in Cyprum proficiscentem consequitur: hic vero *consobrinus Barnabae* dicitur, quo ipso patet, cur ipse Barnabas eius patrocinium adversus Paulum tanto animi ardore suscepit, ita ut *dissensio* aliqua inter illos oriretur. Nec mirum tamen, eundem Marcum Paulo iterum deinde adhaesisse. Nam illud, quodcumque demum fuit, simultatis, diu in apostolicis pectoribus perseverare potuisse, nefas est existimare (6). Nec diu revera perseverasse ex eo evincitur, quod Paulus epistola I. ad Corinthios (7), quae post dissidium illud certissime scripta est (8), perinde de Barnaba loquitur, ac de homine quocum nulla sibi simultas intercedat. Quin imo Barnabam secum esse, secumque Evangelio disseminando operam dare innuere ibidem videtur: quo fit ut ab Theodoreti (9) atque Chrysostomi (10) sententia haud recedam, docentium, Barnabam paulo post a

(1) Ad Philem. 10. 11. — (2) Coloss. IV. v. 9. — (3) Vide Calmet in Epist. ad Rom. ad calcem. in I. ad Corinth. ad calcem. etc. — (4) Vide Millium in variant. ad calcem Epist. ad Coloss. — (5) Cap. IV. v. 7. — (6) Vide Chrysost. Hom. XXXIV. in Act. n. 1. 2. Hieron. contra Pelag. l. II. cap. VI. Damian. l. II. Epist. XI. — (7) Cap. IX. v. 6. 12. — (8) Vide Calmet. Proleg. in I. ad Corinth. — (9) In II. Corinth. VIII. v. 18. — (10) In Ep. 2. ad Corinth. Hom. XVIII. n. 1. vide etiam eund. in Epist. ad Coloss. Hom. XI. n. 3.

Paulo Corinthum missum fuisse; eundemque esse quem ille appellat (1) *fratrem, cuius laus est in Evangelio per omnes Ecclesias, non solum autem sed et ordinatus est ab Ecclesiis comes peregrinationis nostrae in hanc gratiam, quae ministratur a nobis*. Animis vero inter Apostolos reconciliatis, ac Marci constantia perspecta, quid prohibet credere Paulum eiusdem opera iterum usum fuisse?

IV. At hoc ipsum illud est, quod, ne in hoc Marco Evangelistam nostrum agnoscamus, maxime facit. Cum enim, ut universa docuit antiquitas, nosque inferius ostendemus (2), Marcus Petri *interpres* et *discipulus*, tum *peregrinationum comes* illius lateri ut plurimum haerere debuerit, ab illo deinde in Venetiam, Lybiam, Pentapolim, ac Aegyptum Evangelii vulgandi caussa missus fuerit, quomodo Paulo etiam peregrinanti adesse potuit? Siquidem dum Paulus Marco illo suo ministro apud Graecos atque Asianos utebatur, Petrus apud alias prorsus gentes degebat: eodemque Paulo Romae in vinculis, ob factam ad Caesarem provocationem, detento, Marcus apud Aegyptios atque Cyrenaeos versabatur. Nam Paulum ante annum Neronis III. hoc est Christi LVI. Romam venire non potuisse constat ex Actibus Apostolorum. Paulus enim a Festo ad Caesarem (3) provocavit; sed cum Festus, teste Eusebio (4), nonnisi anno Neronis II. in Iudaeam missus fuerit, iam sequitur Paulum, qui diutius in carcere apud Festum permansit (5), diuque in itinere illo conficiendo moratus est, nonnisi tertio Neronis anno desinente, Romam adventasse. Porro non statim ac Romam pervenit, illum Colossensibus et Philemoni scripsisse puto. Nam, qui ait se Onesimum *in vinculis genuisse* (6), hoc est baptizasse, certe tempus illud insumpsit, quod catechumeno suo instruendo atque probando necessarium erat, praesertim cum de servo nequam et fugitivo, qualis erat Onesimus, ageretur. Quare circa finem biennii illius, quo Romam versatus est in libera custodia, hoc est anno Neronis V. exeunte, epistola illa scripta est, quod ipse etiam Paulus innuit, dum ait (7): *Simul autem et para mihi hospitium, nam spero per orationes vestras donari me vobis*. Idem et de altera ad Colossenses dicendum. Ambae enim eodem tempore datae sunt (8). Atqui constat (9) ex illis litteris, Marcum Barnabae consobrinum, quem unum esse cum Ioanne Marco iam diximus (10), cum Paulo tunc temporis fuisse: anno igitur Neronis V. Marcus ille Romae versabatur. At per ea tempora Marcus evangelista in Aegypto, aut in Africa saltem degebat. Nam qui alexandrinam Marci missionem serissime collocant (11), non eam ultra annum Neronis septimum producunt. Illum tamen longe ante in Pentapolim et Cyrenem perrexisse fatentur, ac proinde anno Neronis IV. aut V. nullo modo Romae esse potuisse. Constat igitur Marcum in Actibus et in epistolis ad Colossenses et Philemonem memoratum ab Evangelista omnino esse distinguendum. Quod adhuc urget magis, si cum Usserio (12), Calmeto (13), et Du-

(1) II. Corinth. cap. VIII. v. 18. — (2) Infr. cap. III. et IV. — (3) Act. XXV. v. 10. — (4) In Chron. ad ann. Abrahae MMLXXII. — (5) Act. cap. XXVI. XXVII. — (6) Philem. v. 10. — (7) Phil. v. 22. — (8) Supr. n. III. — (9) Coloss. IV. v. 10. Philem. v. 24. — (10) Supr. n. III. — (11) Infr. cap. XV. n. 1. — (12) Ad ann. Mundi 4063. — (13) In Chron. praemissa comm. in Act. Apost.

Hamel (1) Pauli iter ad annum Christi LXI. h. e. Neronis VII. transferas, quod tamen multis patet difficultatibus, vixque cum Actis Apostolicis, Eusebio, et Josepho conciliari potest.

V. Sed neque Marcus alter in epistola ad Timotheum commemoratus (2) cum nostro est confundendus, etiamsi illum a Marco Barnabae consobrino quis distinguendum putaverit. Nam cum ea epistola tunc a Paulo scripta fuerit, cum ille iterum in carcerem coniectus est, illustri deinde martyrio sanctissimae vitae cursum coronaturus, hoc est, ut communis eruditorum sententia fert (3), anno Neronis XIII. Christi LXVII, iam non est cur quisquam putet, Marcum, qui in illa epistola occurrit, Evangelistam nostrum esse posse, qui iamdiu, ut diximus, in Aegypto degebat, imo qui fortasse iam ad superos martyrio facto (4) migraverat. Ac epistolam illam tunc temporis conscriptam fuisse, praeterquamquod interpretes omnes (5) uno ore fatentur, ipse etiam Apostolus ostendit, ubi ait (6): *Ego enim iam delibor, et tempus resolutionis meae instat. Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi: in reliquo reposita est mihi corona iustitiae.* Haec enim verba sunt hominis vicinam mortem Dei afflatu opperientis, ac promissam sibi recte factorum mercedem ob oculos positam intuentis. Neque quis mihi aut chronici orientalis, aut Irenaei lugdunensis auctoritatem reponat, quorum prius quidem, Marcum paulo ante SS. Apostolorum Petri et Pauli obitum Romam perrexisse tradit (7), eorumque agoni interfuisse; alter vero (8), illum post ipsorum mortem Evangelium suum conscripsisse: nam nec chronici illius fides tanta est, ut chronologicas illas rationes, quas deinde sequemur ac tuebimur, infirmare possit; neque rursus Irenaei auctoritas tanta, ut unanimi caeterorum Patrum consensioni opponi possit, qui uno ore, ut dicemus loco suo (9), Marcum antequam Alexandriam proficisceretur Evangelium suum scripsisse referunt, ac Petro apostolo probandum tradidisse. Quo loco iuverit cum Renaudotio (10), atque Sollerio (11) animadvertere, non esse multum in re chronologica orientalium traditionibus, ac historiis tribuendum, praesertim vero chronici huius auctori, qui nonnisi saeculo post Christum XIII. floruit, et ea, quae refert, ex Historia Patriarcharum Alexandrinorum Severi aschmoninensis (12) scriptoris X. saeculi deduxit. Uterque enim nimis distat a Marci aetate. Quod vero attinet ad Irenaeum, illud etiam notandum est, locum illum de Marco alio sensu ab aliis accipi, imo alio etiam modo legi a nonnullis (13); ita ut nihil prorsus ex ancipiti illo sancti Martyris testimonio deduci possit. Sed de his loco suo (14).

---

(1) Chron. sacr. in proleg. ad Biblia. — (2) Supr. n. II. — (3) Vide Usserium ad ann. M. 4070. — (4) Infr. cap. XX. n. 4. seq. — (5) Vide Calmet, a Lapid., Estium, Grotium etc. in Ep. II. ad Timoth. in praef. — (6) II. Timoth. IV. v. 6. 7. 8. — (7) In Praefat. ad Hist. Patriarcharum Coptic. — (8) Adversus Haeres. l. III. capit. I. — (9) Infr. cap. VIII. — (10) In Praefat. ad Hist. Patriarch. Alexandr. Iacobitarum. — (11) In serie Chronol. Patriarch. Alexandrin. n. 4. et 5. ante tom. V. Iunii inter continuat. operis Bollandiani. — (12) Sollerius l. c. — (13) Vide Fevardentii, Grabii, et Massueti adnotationes ad laudatum locum Irenaei, Valesium ad Eusebii Hist. Eccl. libr. V. cap. VIII. Possin. in notis ad Caten. in Marcum ad locum Irenaei etc. — (14) Infr. cap. VIII. n. 11.

VI. Restat igitur ut de Marco in Petri epistola I. (1) memorato dicamus, quem esse ipsum ipsissimum, de quo modo quaerimus, Evangelistam, universae antiquitatis testimonio facile est comprobare. Id enim et Hieronymus (2) docet et Papias apud Eusebium (3) et Origenes (4) et Beda (5) et Victor Antiochenus (6) et Theophylactus (7) et Oecumenius (8): quos inter Papias, quae de Apostolis virisque apostolicis refert, ea se diligentissime ab iis, qui cum Apostolis versati fuerant exquisivisse testatur (9): *Non eos secutum, qui multa, sed eos qui vera narrarent.* Iam vero Origenis et Hieronymi in hisce rebus fides quanta sit nemo ignorat: nec tamen eorum, qui posteriori aetate floruerunt, auctoritas contemnenda, utpote qui ea tradunt, quae ab antiquis plerumque scriptoribus acceperunt. His et illi addendi, qui Marcum aut Petri discipulum, aut ex baptismo filium appellant, quorum agmen ingens deinde afferemus (10), quique, ut plurimum, hoc ipso, de quo loquimur, catholicae Petri epistolae testimonio nituntur: tum (si quae tamen illa est) (11) arabicae Bibliorum versionis, quae in Waltonianis Bibliis exhibetur, auctoritas, ex qua constat in S. Marci solemnitate textum hunc legi solere in quibusdam Orientis Ecclesiis; fortasse in copticis (12), in quarum commodum versio illa videtur comparata. Siquidem in illa epistola ante versiculum quintum postremi capitis ita ferme legere est: *Lectio pro Marco Apostolo.* Quibus verbis ostendunt Ecclesiae illae, se hunc locum de Marco evangelista intelligere. Ut vero plurimi sunt, qui locum illum Petri ad Marcum nostrum referri putant, ita nemo hactenus repertus est, qui illum aut ad sanctum Evangelistam pertinere negaverit, aut alteri cuipiam accommodarit: quo effectum est, ut recentiores interpretes omnes ac critici (13) in hanc sententiam admirabili prorsus, et quae haud ita saepe inter criticos esse solet, consensione conspiraverint.

---

(1) Cap. V. v. 13. — (2) De viris illust. c. VIII. — (3) Hist. Eccl. l. II. c. XV. — (4) Apud Euseb. Hist. Eccl. lib. VI. c. 23. — (5) Praefat. in Marcum, et in I. Petr. cap. V. v. 13. — (6) Praefat. in Marc. apud Possinum. — (7) In I. Petri V. v. 13. — (8) Ibid. — (9) Apud Euseb. Hist. Eccl. l. III. c. XXXIX. — (10) Infr. cap. III. n. 1. — (11) Vide Richard Simon. Hist. Critiq. des Versions du Nouveau Test. chap. XVIII. — (12) Richard Simon. loc. cit. — (13) Calmet, a Lapid., Tirin., Calet., Grot., Revius etc. in I. Petr. V. v. 13. etc.

CAPUT III.

CURNAM MARCUS PETRI FILIUS DICATUR, ET UTRUM INTER LXX. CHRISTI DISCIPULOS NUMERANDUS SIT.

I. *Marcus non carne, sed fide Petri filius. Utrum etiam baptismo incertum.* II. *Christi discipulum putarunt nonnulli, sed perperam.* III. *Id enim negant ceteri Patres.*

I. Verum haec ipsa *Filii* vox, qua de Marco loquens utitur Petrus, operosius expendenda, ac quid de illa christiana antiquitas tradiderit, diligenter quaerendum. Qua in animadversione nemo mihi succenseat, si nec eorum sententiam excutiendam suscipio, qui Marcum verum Petri apostoli filium fuisse volunt, quod non modo in armenio martyrologio m. s. saeculi XIII. (1) a quibusdam tradi dicitur, sed apud orientales alios scriptores legisse memini: neque Nicephorum sequor (2), qui illum ex Petri sorore ortum dicens, videtur nescio quam satis probabilem huiusce appellationis caussam proferre. Neque enim haec, quae nullo antiquitatis testimonio nituntur, ea sunt, quibus operose refutandis sit insudandum. Illa autem est ab omnibus ferme Ecclesiae Patribus recepta sententia, sic Marcum a S. Petro vocatum fuisse, eo quod discipulus eius esset, quo fit ut vix eorum quisquam Marci evangelistae mentionem iniiciat, quin illum statim *Petri discipulum* etiam appellet (3). Nec id a recentioribus tantum; sed ab antiquissimo quoque factum est Papia (4), Irenaeo (5), Eusebio (6), Tertulliano (7) et Origene (8), quos inter Eusebius illum non *τοῦ Πέτρου μαθητήν*, h. e. *Petri discipulum*, quemadmodum Irenaeus appellat, sed *γνώριμον καὶ φοιτητήν*, h. e. *necessarium et frequentem auditorem.* Papias vero, cuius locum inferius (9) afferemus, et Papiae subscribens Origenes, omnia quae tradit Marcus, ea ex Petri disciplina hausisse ac didicisse testantur. Quin imo non desunt, qui Marcum, non modo Petri discipulum, sed

(1) Ad diem XVI. Areg. sive XXIV. — (2) Vide supr. cap. I. n. 1. — (3) Vide Theophylact. praefat. in Matth. et in Marcum etc., Pelagium praefat. in Marc. inter op. S. Hieron. tom. XI., Anony. apud Possin. Caten. in Marc. in praefat., Victor. Antioch. ibid., Hierony. praefat. in Matthaeum: de viris illustr. cap. VIII., Isidor. Hispal. de vita et morte sanctor. n. LXXXIV., Bed. praefat. in Marcum. Synod. mantuanam anni DCCCXXVII. apud Labbe edit. venetae. Leon. PP. Epist. XI. cap. I. Praefat. in Canon. Eccl. Romanae inter op. S. Leonis. Luitprandum in vitis Pontif. Rom. n. 1. Zachariam chrysopol. praefat. II. in Evang., Anast. bibliothecar. in Petro. Petrum Damian. Serm. XIV. Chrysostom. in Matth. homil. I. n. 2. hom. IV. n. 1. homil. LXXXV. al. LXXXVI. n. 1. Freculph. in Chron. tom. II. lib. I. cap. 20. Inscript. quae Marci Evang. praemittitur in Bibl. Armen. Martyrolog. Armen. ad diem XXIV. Apr. Liturg. S. Marci apud Renaudot. t. I. pag. 131. Honor. augustud. de Luminar. in Marc. Theodoret. Epist. LXXXVI. — (4) Apud Euseb. Hist. Eccl. L. III. c. XXXIX. — (5) De Haeres. l. III. cap. 1. — (6) Demonst. Evang. pag. 120. D. — (7) Contr. Marcion. l. IV. cap. V. — (8) In libr. I. comm. in Matth. apud Euseb. Histor. Eccl. l. VI. cap. XXV. et apud Niceph. l. V. cap. XVI. — (9) Inf. n. 3.

etiam *ex baptismo Filium* fuisse putent: hoc est ab ipso ad Evangelii notitiam vocatum, ac baptismo lustratum, quae est Isidori (1), Bedae (2), Hieronymi (3), Luitprandi ticinensis (4), Anastasii bibliothecarii (5), Petri Damiani (6) et Pseudo-Zachariae chrysopolitani (7) sententia. Eam vero et Patres synodi mantuanae anno DCCCXXVII. (8) collectae in caussa Gradensis et Aquileiensis Patriarcharum sequuntur, et auctor Glossae (9), quae dicitur interlinearis, ut recentiores praetermittam; quos omnes non inepte id ex appellatione ipsa *Filii* a Petro usurpata deduxisse putaverim; cum, ut etiam a Grotio (10) est animadversum, *generandi* vocabulum de baptismo a Paulo etiam quandoque usurpetur, eosque *Filios* vocent Apostoli, quos per baptismum regeneraverint (11). Verum ut hoc postremum, quod sola coniectura nititur licet longe probabili, pro certo obtrudere minime ausim, ita prius illud de Marco Petri auditore et discipulo certissimum puto, quod praeclarissimi testes ex omni antiquitate et perpetua Ecclesiae traditio tam asseveranter confirmant.

II. Nec tamen defuere qui de Marco nostro longe alia referrent, eumque in LXX. Christi discipulorum albo recenserent. Placuit id in primis Epiphanio (12) et Adamantio (13), quos deinde auctor Chronici Alexandrini (14), Procopius (15), Theophylactus (16) secuti sunt. Idem de illo apud Renaudotium (17) tradit aschmoninensis Severus, qui adiicit, Marcum unum *ex iis ministris fuisse* (18), *qui ad nuptias in Cana Galilaeae hauserunt aquam, quae in vinum mutata est:* tum illum (19), *quem amphoram aquae baiulantem secuti sunt Apostoli in domum Simonis, ubi ultimum Pascha paraverunt; quique discipulos in domum suam recepit passionis tempore, ubi post resurrectionem congregatis illis apparuit Christus* (20), *cum ad eos ianuis clausis introivisset:* quae omnia unde hauserit Severus quis dicat? cum vix videatur quisquam Christi aetate haec tam minuta et curiosa investigare et litteris diligenter mandare voluisse. Sed et copticum Evangelii exemplar quoddam, in Bibliotheca Vaticana servatum (21), in praefatiuncula Marco praemissa illum septuaginta discipulis adnumerat: *unus est,* inquit, *septuaginta discipulorum apostolorum.* Addam Hippolytum (22) etiam portuensem et Dorotheum tyrium (23), prout ad calcem Chronici Orientalis (24) ex duobus Bibliothecae Regiae Parisinae codicibus editus est: nam in antiquis editionibus non modo Christi discipulis, sed apostolis etiam tam Marcum quam

---

(1) De vita et mort. sanct. c. LXXXIV. — (2) In I. Petri V. v. 13. — (3) In Isai. cap. LXV. v. 25. — (4) In vitis Rom. Ponti. n. 1. — (5) In Petro. — (6) Sermo XIV. et XV. — (7) Praefat. secunda in IV. Evang. — (8) In decret. — (9) In I. Petri V. v. 13. — (10) In eund. loc. — (11) Vide I. Corinth. IV. v. 15. ad Galat. IV. v. 19. ad Philem. v. 10. — (12) Haeresi LI. quae est Alogor. n. 6. — (13) In Dialog. inter op. Orig. edit. paris. t. I. pag. 806. — (14) Edit. paris. pag. 224. Edit. venetae pag. 179. — (15) In Encom. S. Marci apud Possin. — (16) Praefat. in Matth. — (17) Praefat ad hist. Patriarch. Alexandr. — (18) Ioan. II. v. 7. — (19) Marc. XIV. v. 13. Luc. XXII. v. 10. — (20) Marc. XVI. v. 14. Luc. XXIV. v. 36. Ioann. XX. v. 19. — (21) Apud Guillelm. Bonjour. Monum. Copt. Biblioth. Vatic. n. XIV. — (22) Vide eius frag. de Marc. apud Millium in fronte Ev. S. Marci ex ms. Bibliot. Bodlej. — (23) De discipl. Christi n. XIV. — (24) Inter Script. Hist. Byzant. tom. IV.

Lucam accenset. Enimvero non haec tanta sunt, ut a communi ceterorum Patrum sententia recedamus. Nam, ut nihil de Dorotheo dicam et Hippolyto, quos ὑποβολιμαίους, sive *supposititios* eruditi viri arbitrantur (1), ut Severum et copticum Evangeliarium praetereamus; neque enim, ut diximus (2), Orientalium traditionibus incaute fidendum est; certe utcumque multum apud me Epiphanii et Theophylacti, tum etiam auctoris Chronici Paschalis, et alterius, qui sub Adamantii nomine delitescit, valeret auctoritas, non ea tamen esset, quae ad ceterorum Patrum consensionem labefactandam sufficeret, qui Marcum non iam Christi, sed Petri apostoli discipulum vocant, quique profecto hanc Marci dignitatem atque gloriam nunquam dissimulassent, si illum inter discipulos cooptatum a Christo a maioribus accepissent. Nec me latet, Epiphanium (3) et Pseudohippolytum (4) nescio quid de Marco referre, quod si verum esset controversiam omnem dirimeret, dissidentesque inter se Patrum sententias conciliaret. Ita enim habet Hippolytus: *Marcus evangelista, Alexandriae episcopus ex LXX. discipulis erat, qui dispersi sunt propter verbum, quod Dominus dixerat* (5): *nisi quis manducaverit carnem meam, et biberit sanguinem meum, non est me dignus. Sed a Petro iterum ad Dominum reductus, dignus factus est qui Evangelium nuntiaret: cui et martyrio testimonium perhibuit igne crematus.* Haec Hippolytus, prout ex ms. Bibliothecae Bodleiensis a Millio producitur; nec aliter ab Hippolyto Epiphanius. Hoc vero posito, et Christi simul et Petri discipulus esset Marcus, si tamen magister is dici potest, qui Marcum non iam docuit aliquid, sed tantum a Christo digressum iterum ad Christum deduxit.

III. Verum haec omnia quomodo cum illis convenient, quae a ceteris Patribus, iisdemque probatissimis, referuntur? Nec eos tantum intelligo, qui Marcum Petri discipulum vocant, nulla facta Christi mentione, sed eos praecipue, qui Marcum Evangelium suum ex iis, quae a Petro audierat, concinnasse tradunt, cuiusmodi sunt Papias hierosolymitanus (6), Eusebius (7), et ex Eusebio Freculphus (8), Hieronymus (9), Ambrosius (10), Augustinus (11), Beda (12), Gregorius Papa (13), Theodoretus (14), Chrysostomus (15), Nazianzenus (16), Anastasius bibliothecarius (17), Tertullianus (18), auctor antiquus cuiusdam tetrastichi, quod in aliquibus graecis codicibus Marci Evangelio praemitti solet (19), Origenes denique ab Eusebio relatus (20); quorum quidem aliis ipsa an-

---

(1) Vide Cotel. in notis ad Constit. Apost. l. II. c. LVII. Cave, Oudin etc. — (2) Supr. cap. II. §. V. — (3) Loc. cit. — (4) Loc. cit. Μάρκος ὁ εὐαγγελιστὴς Ἐπίσκοπος Ἀλεξανδρείας ἐκ τῶν ἑβδομήκοντα μαθητῶν ἦν, τῶν διασκορπισθέντων ἐπὶ τῷ ῥήματι, ὃ εἶπεν ὁ Κύριος· ἐὰν μή τίς μου τὴν σάρκα φάγῃ, καὶ τὸ αἷμά μου πίῃ, οὐκ ἔστί μου ἄξιος. Ἀλλὰ διὰ Πέτρου πάλιν ἐπανακάμψας πρὸς Χριστὸν, εὐαγγελίζεσθαι καταξιοῦται, ὑπὲρ οὗ καὶ ἐμαρτυρήσε πυρπολῆθείς. — (5) Ioan. VI. v. 53. 66. 67. — (6) Apud Euseb. Eccl. Hist. l. III. c. XXXIX. — (7) Demonstr. Ev. l. III. pag. 120. D. 121. B. — (8) Chronic. tom. II. lib. I. cap. XX. — (9) De viris ill. cap. VIII. et praef. in Matth. — (10) In Luc. libr. X. n. 78. — (11) De Consens. Evang. l. I. cap. I. n. 2. Contr. Faust. l. XVII. cap. 3. — (12) Praef. in Marcum. — (13) Praefat. in libr. I. dialog. — (14) In praefat. Histor. Religiosae. — (15) In Matth. hom. I. n. 2. — (16) Carmin. XLIV. — (17) In Petro. — (18) Contra Marcion. l. IV. c. V. — (19) Vide Lami de Erud. Apostol. c. XIII. §. 2. — (20) Hist. Eccl. l. VI. c. XXV.

*

tiquitas magnam fidem conciliat, aliis vero fama illa, qua, ea omnia quae tradunt, ex probatissimis monumentis accepisse dicuntur. Unum proferam Gregorium theologum:

> Μάρκος δ' αὐσονίοισι Θεοῦ τάδε θαύματ' ἔγραψε,
> Πέτρῳ θαρσαλέος Χριστοῦ μεγάλῳ θεράποντι.
> *Marcus vero Ausoniis Dei haec miracula scripsit,*
> *Petro nixus Christi magno servo.*

At quid opus erat Marco, siquidem Christum vidisset, cum eoque inter LXX. discipulos versatus esset, ea a Petro discere, quae in Evangelio suo erat narraturus? Quid quod inter ipsos Patres antiquissimus quisque Christum a Marco visum numquam fuisse asseveranter affirmat? Id tradunt (1) Papias, Eusebius, Hieronymus, Augustinus, Theodoretus, Chrysostomus, et post illos Beda presbyter, et Gregorius PP. ita ut vix ullum de hac re dubium adhuc superesse videatur. Iuverit delecta ipsorum testimonia proferre. Ac Papias quidem, cum ea narraret, quae a Ioanne presbytero, quem Christi fuisse discipulum dicebat, acceperat, haec inter cetera habet de Marco (2): *Aiebat etiam presbyter ille: Marcus interpres Petri, quaecumque memoriae mandaverat, diligenter conscripsit; nec tamen ordinatim, quae a Christo facta dictave sunt, digessit. Neque enim aut Dominum audiit, aut est secutus etc.* Quid plura quaeris? Habes apostolici viri, imo habes unius ex Christi discipulis de Marco testimonium. Addam et Eusebii ipsius ex *Demonstratione Evangelica* (3) auctoritatem: *Petrus*, inquit, *ob nimiam quandam reverentiam, non se dignum, qui Evangelium scriberet, existimavit; sed Marcus discipulus eius ac familiaris dicitur, quae Petrus de Christi factis narraverat, in commentarium retulisse, etc.* Et interiectis nonnullis: *Neque enim iis, quae a Iesu dicta sunt, Marcus interfuit.* Theodoretus etiam (4): *Porro*, inquit, *inter evangelicae doctrinae scriptores non modo fide digni Matthaeus et Ioannes, evangelistarum primi et maximi, qui Domini miracula oculis suis conspexere, sed Lucas etiam et Marcus, quibus ii, qui ab initio res gestas viderunt et verbi ministri fuerant, non modo quae sustinuit ac fecit Dominus, sed ea etiam quae perpetuo docuit, diligenter tradidere.* Addam etiam ex latinis Augustinum, et Hieronymum, quorum ille: *Ac ne putaretur*, inquit (5), *quod attinet ad percipiendum et praedicandum Evangelium, interesse aliquid, utrum illi an-*

---

(1) Locis superius citatis. — (2) Καὶ τοῦτο ὁ πρεσβύτερος ἔλεγε· Μάρκος μὲν ὁ ἑρμηνευτὴς Πέτρου γενόμενος, ὅσα ἐμνημόνευσεν, ἀκριβῶς ἔγραψεν· οὐ μέν τοι τάξει τὰ ὑπὸ τοῦ Χριστοῦ ἢ λεχθέντα ἢ πραχθέντα· οὔτε γὰρ ἤκουσε τοῦ Κυρίου, οὔτε παρηκολούθησεν αὐτῷ. Papias apud Euseb. Hist. Eccl. loc. cit. — (3) Ὁ γε μὴν Πέτρος οὐδὲ καθῆκεν ἐπὶ τὴν εὐαγγελίου γραφὴν, δι' εὐλαβείας ὑπερβολήν. Τούτου Μάρκος γνώριμος καὶ φοιτητὴς γεγονὼς, ἀπομνημονεῦσαι λέγεται τὰς τοῦ Πέτρου περὶ τῶν πράξεων τοῦ Ἰησοῦ διαλέξεις κ. τ. λ. *paucisque interiectis:* οὐ γὰρ παρὴν ὁ Μάρκος τοῖς ὑπὸ τοῦ Ἰησοῦ λεχθεῖσιν κ. τ. λ. Euseb. Demonst. Evang. l. c. — (4) Ἀξιοχρέως δὲ καὶ τὴν εὐαγγελικὴν συγγραφῶν διδασκαλίαν οὐ μόνον Ματθαῖος καὶ Ἰωάννης, οἱ πρῶτοι καὶ μεγάλοι τῶν εὐαγγελιστῶν, οἱ τῶν δεσποτικῶν θαυμάτων αὐτόπται· ἀλλὰ καὶ Λουκᾶς, καὶ Μάρκος, οὓς οἱ ἐξ ἀρχῆς αὐτόπται, καὶ ὑπηρέται τοῦ λόγου, οὐ μόνον ἃ πέπονθέ τε καὶ δέδρακεν ὁ Δεσπότης, ἀλλὰ καὶ ἃ διδάσκων διετέλεσεν, ἀκριβῶς ἐξεπαίδευσαν. Theodoret. loc. cit. — (5) De consens. Evang. l. c.

nuncient, qui eundem Dominum hic in carne apparentem discipulatu famulante secuti sunt, an ii, qui ex illis fideliter comperta crediderunt, divina providentia procuratum est per Spiritum Sanctum, ut quibusdam etiam ex illis, qui primos Apostolos sequebantur, non solum annuntiandi, verum etiam scribendi Evangelium, tribueretur auctoritas. Hi sunt Marcus et Lucas. Haec ille, quae iterum in libris contra Faustum inculcat. Hieronymus vero in praefatione, quam suis in Matthaeum commentariis praemisit: *Marcus*, inquit, *interpres apostoli Petri, et alexandrinae Ecclesiae primus episcopus.... Dominum quidem Salvatorem, ipse non vidit, sed ea quae magistrum audierat praedicantem, iuxta fidem magis gestorum narravit, quam ordinem.* Cum itaque tot ac tantos sententiae nostrae testes habeamus, interque illos Papiam, Ioannis presbyteri ac Christi discipuli auctoritatem interponentem, quid illis Adamantii, et Epiphanii aut Theophylacti, aut ceterorum in contrarium abeuntium traditio officere poterit, qui omnes ab Apostolorum aetate aliquot saeculorum spatio remoti sunt? Quos inter cum prae ceteris Epiphanius emineat, iuverit de ipso animadvertere, quod ante nos notarunt viri eruditi (1), hominem fuisse sanctissimum quidem atque eruditissimum, sed aliquando credulum atque incautum; quique, ut ipse mentiri nescius erat, ita alios quoque mentiri nescios existimaret.

CAPUT IV.

QUO SENSU MARCUS S. PETRI COMES ET INTERPRES DICATUR.

I. *Marcus comes Petri appellatus, quia ipsum perpetuo comitari solebat.* II. *Dictus etiam Petri interpres. Quinam apostolica aetate appellati hoc nomine, et quid inter donum linguarum, et earundem interpretationem intersit.* III. *Adducuntur falsae nonnullorum de apostolicis interpretibus sententiae. Marcus non ideo dictus interpres, quod, quae Petrus rudi stilo efferebat, ornatius et elegantius exponeret.* IV. *Sed quia I; quae Petrus voce tradebat, scriptis exciperet.* V. *Tum II; quia quae Petrus una lingua tradebat, in aliam verteret; et III; quae a Petro obscurius et brevius tradebantur, ea latius et apertius explicaret. De interpretibus Iudaeorum nonnulla.*

I. Fuit itaque Petri apostoli *discipulus* Marcus noster, sive, ut habet Eusebius (2), γνώριμος καὶ ϕοιτητής, *familiaris, et frequens auditor*, ita ut nemini mirum videri possit eundem a Patribus (3) eiusdem Petri ἀκόλουϑον, h. e., *comitem*, sive *sectatorem* identidem appellari. Nam qui Apostolo illi assiduam

(1) Ellies Du-Pin Bibliot. Auct. Eccl. t. II. pag. 762. Moreri Dictionn. Art. *Epiphane*. Natal. ab Alex. Histor. Eccl. saec. IV. cap. VI. art. XXVIII. §. VI. — (2) Demonst. Evang. l. III. pag. 120. D. — (3) Epiph. Haeres. LI. n. 6. Theophylact. praefat. in Matthaeum. Clem. Alex. apud Euseb. Hist. Eccl. l. II. cap. XV. l. VI. cap. XIV. Ambros. in Luc. lib. X. n. 78. Papias apud Euseb. Hist. Eccles. III. cap. XXXIX. Sever. apud Renaudot. Hist. Patriarch. Alex. in Marc. Act. S. Marci apud Bolland. die XXV. April. Irenaeus lib. III. c. X. n. 6.

operam dedit, ita ut ex eiusdem dictis ea omnia colligeret, quae deinde litteris in Evangelio suo commendavit; is profecto diu cum ipso versari debuit, nec ab eius latere avelli, nisi prius ea omnia, quae memoriae deinde posteritatis mandavit, apprime didicisset. Cumque Petrus, ita ferente apostolici officii ministerio, Romam profectus, in eadem urbe diu consistere coactus fuerit, illum secutus est Marcus, illique adhaesit aliquando; quod cum alias (1) diligentius ostendemus ubi de eius Evangelio loquendum erit, tum ex subiectis Clementis alexandrini verbis aperte patet. Refert enim (2): *Cum Petrus in urbe Roma publice verbum praedicasset, et spiritu afflatus, Evangelium annuntiasset, plurimos ex iis, qui aderant, Marcum cohortatos fuisse, utpote qui iamdudum Petrum secutus fuerat, et eius dicta probe teneret, ut ea, quae Petrus dixerat, litteris mandaret.* Quae verba, cur Marcus *Petri comes* dictus fuerit, perspicue demonstrant.

II. At non ita prona alterius vocis intelligentia, qua Marcus idem ἑρμηνευτὴς Πέτρου, sive *Petri interpres* vocatur: ita ut quanta est in hac appellatione Marco tribuenda veterum Patrum concordia (3), tanta sit recentiorum interpretum (4) in ipsa exponenda dissensio. Quorum quidem sententias antequam expono, liceat mihi ex epistola S. Pauli ad Corinthios prima proferre nonnulla, ex quibus quinam ea aetate *interpretes* dicerentur, ac quodnam ipsorum in Ecclesia esset officium, intelligatur. Ac illud primum est animadvertendum, *linguarum* donum, sive *divisionem*, ut illud vocat S. Paulus (5), primis Ecclesiae temporibus non ita proprium Apostolorum fuisse, ut non aliis longe pluribus a Deo tribueretur, quod cum ex multis Actuum Apostolicorum locis (6), tum ex ipsa, de qua loquimur, Pauli epistola intelligitur. Nam illud et inter eas *gratiarum divisiones* recenset (7), quae tunc passim a Deo fidelibus concedebantur, et de ipso veluti in corinthiaca Ecclesia communi, et passim obvio (8), verba facit, et Corinthios ipsos obiurgat, eo quod illo ipso dono abuterentur (9); utpote qui Ecclesiam ingressi plures simul et permixti linguas illas usurparent; licet nemo esset, qui illos peregrino sermone utentes intelligeret. Porro donum hoc *linguarum* in eo positum erat, ut posset quis pro lubito peregrina lingua loqui, quam nunquam didicisset, sive id una tantum lingua fieri collibuisset, sive multis (10), *prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illi.* Neque tamen

---

(1) Cap. 6. n. 2. 3. — (2) Τοῦ Πέτρου δημοσίᾳ ἐν Ῥώμῃ κηρύξαντος τὸν λόγον, καὶ πνεύματι τὸ Εὐαγγέλιον ἐξειπόντος· τοὺς παρόντας πολλοὺς ὄντας παρακαλέσαι τὸν Μάρκον, ὡς ἂν ἀκολουθήσαντα αὐτῷ πόρρωθεν, καὶ μεμνημένον τῶν λεχθέντων, ἀναγράψαι τὰ εἰρημένα. Clemens apud Euseb. Hist. Eccl. VI. cap. XIV. — (3) Papias apud Euseb. Hist. Eccl. l. III. cap. XXXIX. Hieron. de Vir. illustr. cap. VIII., praef. comm. in Matth., et Epist. CXX. alias CL. ad Hedib. quaest. XI. Irenaeus contr. Haer. l. III. cap. I., Eusebius in Chron. ad ann. Abrahae MMLIX., Tertullianus contr. Marcion. l. IV. cap. V., Prosp. in Chron. ad ann. Claudii III., Luitpr. in Petro etc., Irenaeus l. III. cap. X. n. 6. — (4) Vide Walch. Hist. Eccl. saecul. I. cap. I. n. 42. in notis. Baron. ad ann. XLV. n. XXXV. et seqq., Lami de Erud. Apostol. cap. XIII., Lightfoot. in I. ad Corinth. cap. XII. XIV. Hieron. Epist. CXX. alias CL. quaest. IX. et XI., Grot. in I. Corinth. cap. XII. et XIV., Barrad. Hist. Evang. l. I. cap. XIX., Rich. Simon. Hist. Critiq. du text. du Nouv. Test. chap. XI., Lorin. in Act. Apost. cap. II. v. 4. — (5) I. Corinth. XII. 4. 10. — (6) Act. X. v. 46. XIX. v. 6. — (7) I. Corinth. XII. 4. 10. — (8) I. Corinth. XIV. v. 18. iuxt. graecum text. 26. 27. — (9) I. Corinth. XIV. v. 9. 20. 23. — (10) Act. cap. II. v. 4.

puto, linguas omnibus omnes tributas fuisse, sed alii unam, alii plures, alii universas, cum dona sua Spiritus Sanctus (1) *divideret singulis prout vellet*. Non autem ii, qui linguis loquebantur, semper quid ipsi dicerent intelligebant; imo, Apostolis aliisque viris longe praestantissimis exceptis, qui et linguarum et intelligentiae dono praediti erant, in ceteris linguarum locutio et intelligentia raro admodum coniungebantur; ita ut duplex hoc donum aperte distinguat Apostolus (2), eosque, qui linguis loquuntur, hortetur, ut interpretandi donum a Deo postulent, utpote linguis ipsis longe praestantius (3). Nec me latet esse, qui hanc de locutione linguarum ab earundem interpretatione distinguenda sententiam omnino reiiciant (4): verum, si quis diligenter ea perpendat, quae hac super re in laudata epistola ad Corinthios (5) habet Apostolus, is statim intelliget, non esse cur alio sensu eiusdem verba accipiantur; cum se in innumeras prorsus atque inextricabiles difficultates coniiciant, quicumque duo haec Sancti Spiritus dona simul coniungere velint atque commiscere. Huic nostrae interpretationi, ut recentiores (6) praetermittam, consentiunt Chrysostomus (7), Theophylactus (8), Primasius (9), Hilarius diaconus (10), Theodoretus (11), eandemque Gullielmus Estius (12) in commentariis tuetur; nec absurdum putandum esse dicit, si nonnullis multas linguas loqui daretur, quin tamen intelligerent quid dicerent, cum hoc ipsum prodigium ad Ethnicos pervincendos sufficeret, in quorum praecipue aedificationem linguarum locutio, Apostolo teste (13), erat comparata. Cum autem ita se haberet res, necesse erat, ubi quis linguis loquebatur, neque ea quae diceret aut ipse intelligeret, aut saltem vulgari sermone Ecclesiae interpretari valeret, alium adesse, qui eius verba explicaret ad audientium aedificationem; quique hoc officio tunc temporis fungebantur, *interpretes* appellabantur (14), quos inter nonnulli quidem id sine prodigio praestare poterant, utpote qui utramque linguam callerent; alii vero, iidemque longe plures, id ex Spiritus Sancti dono accipiebant, ut licet ipsi linguis loqui nescirent, eas tamen probe intelligerent, easdemque vulgari sermone sibi populoque usitato interpretarentur, quo fit ut *interpretatio sermonum*, seu potius *linguarum* (graece γλωσσῶν) inter cetera Sancti Spiritus dona ab Apostolo (15) numeretur.

III. His vero de apostolicorum temporum *interpretibus* praestitutis, ad Marcum nostrum veniamus. Ac primum utrum fuerint aliquando qui dicerent, Apostolos linguarum quarumcumque loquendarum donum, quod in die Pentecostes acceperant, aut deinde amisisse, aut non eodem pro lubito uti semper et ubique potuisse; eaque de caussa, ubi ad exteras gentes pergerent, inter-

---

(1) I. Corinth. XII. v. 11., Vide Calmet in I. Corinth. XII. v. 10. — (2) I. Corinth. XII. v. 10. 30. XIV. v. 27. 28. — (3) I. Corinth. XIV. v. 5. 9. 13. XII. v. 31. — (4) Vide Estium in I. Corinth. XII. v. 1. — (5) Cap. XII. et XIV. — (6) Estium in I. Corinth. XIV. v. 1. Caiet. I. Corinth. cap. XII. v. 10., Calmet ibid. cap. XIV. v. 2., Camero in I. Corinth. XII. 10. etc. — (7) In I. Corinth. hom. XXXV. n. 1. et 3. — (8) In I. Corinth. XIV. v. 4. 14. — (9) In I. Corinth. XII. v. 10. XIV. v. 13. — (10) Inter op. S. Ambr. tom. IV. in I. Corinth. XII. 10. XIV. 13. — (11) In I. Corinth. XIV. v. 13. — (12) Loc. cit. — (13) I. Corinth. XIV. v. 22. — (14) I. Corinth. XIV. v. 27. 28. — (15) I. Corinth. XII. v. 10. 11. 30.

prete apud illas eguisse, prorsus ignoro. Hos tamen, si qui sunt, optime Estius (1) et Baronius (2) refutant, imo ipse gentium Apostolus, qui Corinthios reprehendens, quod inepte de linguarum dono insolescerent: *Gratias ago*, inquit (3), *Deo meo, quod melius, quam vos universi, linguis loquor*. Idem et de Hieronymi (4) sententia dicendum, existimantis, non iam linguas universas singulis Apostolis fuisse tributas, sed eas tantum, quibus eae gentes uterentur, quibus erudiendis constituti a Deo fuerant, ac proinde interprete uti debuisse, quoties ad gentes alias haud sibi commissas vellent declinare: quae quidem sententia nec ullo sacrorum librorum testimonio fulta est, nec ceterorum Patrum suffragio communita. Adhuc vero eorum absurdior, qui dicerent, sanctos Apostolos interprete ideo eguisse, eo quod linguis loquentes eorum, quae dicerent, significationem ignorarent (5): et eodem loco etiam Lightfooti (6) expositio habenda, qui putat primis Ecclesiae temporibus sacras preces hebraica lingua ex synagogarum usu celebratas fuisse, interpretesque in hunc usum admissos, ut quae hebraice dicebantur in vulgarem linguam ad plebis eruditionem transferrent. Nam praeterquamquod id per se Apostoli praestare poterant, non video quomodo aut Marcus hac de caussa, aut Glaucias (7) interpretes Petri, aut Titus (8) interpres Pauli appellari debeant, cum non tam Apostolis singulis, quam singulis Ecclesiis huiusmodi interpretes addicti esse deberent. Insuper hebraea lingua ecclesiastica officia aliquando fuisse peracta, quo tandem teste Lightfootus probabit? Syriaca quidem, quae et ipsa hebraeae nomine aliquando venit (9), id factum fuisse non ibo inficias (10): at hebraeae proprie dictae, sive illius, qua Vetus Testamentum est exaratum, nullum in Ecclesia unquam usum fuisse ex alto de hac re totius antiquitatis silentio deduco. Quare, nullum ex iis, quae modo commemoravimus, ministerium Petro magistro suo exhibuisse Marcum nostrum, certissimum est. Sed nec illud Hieronymo (11) libenter concesserim, omnes Apostolos Deo docente linguas universas, quod iam paulo ante negaverat, calluisse, iisdemque uti pro lubito potuisse: attamen ipsarum linguarum elegantiam et veneres minime esse assecutos: ita ut si quid paulo cultiori stilo expoliendum esset, id interpretum tantum opera praestare possent. *Cum haberet*, ita ille de S. Paulo, *cum haberet*, inquit (12), *scientiam sanctarum scripturarum et sermonis, diversarumque linguarum gratiam possideret, unde ipse gloriatur in Domino et dicit* (13), *gratias ago Deo meo, quia omnium vestrum linguas magis loquor: divinorum sensuum maiestatem digno non poterat graeci eloquii explicare sermone. Habebat ergo Titum interpretem, sicut et beatus Petrus Marcum*. Ita ille. At quod tanti viri

(1) In I. Corinth. XIV. v. 1. — (2) Ad ann. XLV. n. 38. — (3) I. Corinth. XIV. v. 18. iuxta text. graecum. — (4) Epist. CXX. alias CL. quaest. IX. et XI. — (5) Vide Estium in I. Corinth. cap. XIV. v. 1. — (6) Horae Hebr. in I. ad Corinth. cap. XIV. v. 2. — (7) Vide Clem. alex. Stromat. lib. VII. cap. XVII. pag. 764. edit. parisien. — (8) Hieron. Epist. CXX. al. CL. quaest. XI. — (9) Vide Calmet et a Lap. praefat. in Matthaeum. De Rossi *dissert. della lingua propria di G. C.* edit. 1770., Rich. Simon. Hist. Crit. du text. du Nouv. Test. chap. V. — (10) Vide Renaud. praef. in Liturg. Orient. — (11) Locis citatis. — (12) Epist. CXX. alias CL. quaest. XI. — (13) I. Corinth. XIV. v. 18.

pace dictum velim, illud mihi nequaquam persuadere possum, linguarum donum ex parte tantum a Sancto Spiritu Apostolis fuisse communicatum; ita ut de divinis rebus cum hominibus alterius linguae disputantes, interpretis ope indigerent, non quo sensu sua hominibus illis patefacerent, id enim per se praestare poterant; sed ut illa plenius ac elegantius efferrent. Aut enim elegantiam hanc necessariam utilemve Apostolis fuisse putat Hieronymus, aut prorsus inutilem. Atqui si inutilem, quid opus erat interprete uti, et orationem satis per se efficacem atque probabilem, adscitis alterius opera elegantiis exornare atque fucare? Si vero necessariam putat aut saltem utilem, quomodo ea facultate destitutos Apostolos credam, quos ipsemet Christus Evangelium toti mundo praedicaturos miserat, quosque severissima lege obstrinxerat, ne ante reges ipsos ac praesides adducti cogitarent quomodo aut quid loquerentur; *dabitur enim vobis*, aiebat (1), *in illa hora quid loquamini. Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis?* Hos ne interpretis opera eguisse existimem? quid quod, utcumque ineleganter locuti fuerint Apostoli, non illis tamen elegantius aut Marcus, aut ceteri sacrarum litterarum scriptores, quos ipsorum interpretes fuisse putamus, locuti sunt? Cum enim omnes, Luca excepto, ita graece scribant, ut tamen hebraeos dicendi modos ac phrases intermisceant, ac barbaram quandam ex hebraeis modis graecisque vocibus conflatam elocutionem exhibeant (2), in quo tandem haec ab Hieronymo tam exaggerata elegantia ponenda est? Nonne ita omnino et Petrus, et Paulus, et Ioannes, quotiescumque graeca lingua utebantur, rudes quamvis essent et *imperiti sermone* (3), loqui omnino potuere? Neque tamen haec quis a me dicta accipiat, perinde ac si simplex illud ac demissum dicendi genus, quo inspirati novi foederis scriptores utuntur, culpare velim atque traducere: neque enim me latet, quid hac ipsa de re tradunt sacrae litterae (4): sed ut quisque intelligat, interpretes a sanctis Apostolis non fuisse elegantiae caussa adhibitos, cum ab hac ipsa concinnitatis et elegantiae laude tantum et ipsi absint, quantum ipsi etiam Apostoli abfuisse existimantur. Itaque nunquam mihi persuaserim, hoc officium apostolo Petro Marcum praestitisse, neque hoc sensu Petri *interpretem* fuisse appellatum: nec mihi videtur Richardus Simonius (5) recte ratiocinari, qui, ut ostendat Marcum Petro haud eleganter et parate graece loquenti interpretis loco fuisse, ait, hac ipsa significatione illum *Petri interpretem* ab universa antiquitate appellari. Hoc enim est, illud argumenti loco assumere, quod est in quaestione. Verum de hac re vide, si vacat, Baronium (6) ac Barradium (7) uberrime disputantes.

IV. Superest igitur, ut in alias prorsus significationes hanc ipsam *interpretis* appellationem transferamus: quod, iisdem viris clarissimis facem nobis

---

(1) Matth. X. v. 19. 20. — (2) Vide supr. cap. I. §. 2. et 4. Vide etiam Rich. Simon Hist. crit. du text. du Nouv. Test. chap. XXVI. XXVII. XXVIII. — (3) II. Corinth. XI. v. 6. — (4) I. Corinth. I. v. 11. II. v. 1. 4. 13. II. Petri I. v. 16. — (5) Loc. cit. pag. 43. Not. 2. — (6) Ad ann. XLV. n. XXXIV. — (7) Comm. in hist. evang. l. I. cap. XIX. Vide Walchium Hist. Eccl. saecul. I. sect. II. §. XLII. in notis.

praeseferentibus, haud sane arduum erit atque operosum. Ac Barradius (1) quidem ideo vocatos hoc nomine Marcum ceterosque huiusmodi fuisse putat, eo quod quae voce tenus tradebant Apostoli, ea ipsi scripto mandarent, ita ut idem *interpres* sit ac *exceptor*, quae vox eum significat, qui *aliena dicta excipit* (2) sive exscribit. Huic interpretationi nonnulli ex Patribus suffragari videntur. Hieronymus (3): *Habebat* Paulus *Titum interpretem, sicut et beatus Petrus Marcum; cuius Evangelium Petro narrante, et illo exscribente compositum est. Denique et duae epistolae, quae feruntur Petri, stilo inter se et charactere discrepant, structuraque verborum. Ex quo intelligimus, pro necessitate rerum, diversis eum usum interpretibus.* Tertullianus (4): *Licet et Marcus quod edidit, Petri affirmetur: nam et Lucae digestum Paulo adscribere solent. Capit magistrorum videri, quae discipuli promulgarint.* Eusebius (5): *Haec quidem scribit Marcus, de se vero Petrus testatur. Nam quaecumque apud Marcum occurrunt, eorum, quae disseruit Petrus, commentaria esse dicuntur.* Auctor denique *Synopseos Sacrae Scripturae*, quae Athanasii nomine inscribitur (6): *Marci Evangelium a Petro quidem Apostolo Romae dictatum est: editum vero a beato Apostolo Marco.* Fatendum tamen est cum Walchio (7), *interpretis* vocem hoc sensu non omnino proprie usurpari, quae tamen adhuc magis improprie sumitur, si cum eodem Walchio (8) de Marco accipiatur, eo quod illo sanctus Apostolus *usus fuerit veluti discipulo ad mandata sua dogmataque absentibus tradenda:* et tamen esse aliquid in Hieronymi loco superius allato, quod Walchio faveat, non denegabo.

V. Sed quod veritati proxime accedere mihi videtur, neque enim certi quidquam definire possumus, cum in re tam remota ac dubia versemur, illud est quod a Barradio (9) Baronioque (10) statuitur; Marcum Petri *interpretem* dici, tum quia, quae Petrus una lingua dicebat in concionibus, in aliam verteret, ut ab iis etiam, qui eius linguae essent ignari, eius dicta intelligerentur, tum quia quae aut perplexius ab Apostolo tradita essent, aut sublimius disputata, ea enodatius exponeret, et ad omnium captum, catechumenorum etiam puta et ethnicorum, accommodaret. Ac prioris quidem interpretationis, licet nullus veterum Patrum auctor proferatur (quae enim affert ex Theodoreto Baronius apud illum reperire nequaquam potui) tanta tamen est cum apostolicorum temporum conditione convenientia, ut vix illa in dubium possit revocari. Cum enim, ut plurimum Apostoli aliquam urbem ingressi, primum iuxta Domini praeceptum (11) apud Iudaeos Evangelium disseminarent (12), ac in synagogis ipsorum publice disputarent de Christo, ibidem vero et Hebraei et Proselyti (13) ex

---

(1) Loc. cit. — (2) Vide Glos. in XIX. ff. loc. et cond. L. *sed addes*. — (3) Epist. CXX. alias CL. quaest. XI. — (4) Contra Marcion. l. IV. cap. V. — (5) Μάρκος μὲν ταῦτα γράφει: Πέτρος δὲ ταῦτα περὶ ἑαυτοῦ μαρτυρεῖ. Πάντα γὰρ τὰ παρὰ Μάρκῳ τῶν Πέτρου διαλέξεων εἶναι λέγεται ἀπομνημονεύματα. Euseb. Dem. Evang. l. III. p. 122. A. — (6) Τὸ κατὰ Μάρκον Εὐαγγέλιον ὑπηγορεύθη μὲν ὑπὸ Πέτρου τοῦ Ἀποστόλου ἐν Ῥώμῃ, ἐξεδόθη δὲ ὑπὸ Μάρκου τοῦ μακαρίου Ἀποστόλου. Synop. Sacr. Scrip. n. 76. — (7) Walch loc. cit. — (8) Ibid. — (9) Comm. in hist. evang. l. II. cap. XIX. — (10) Ad annum XLV. n. 36. Vide etiam Lorin. in Act. Apost. cap. II. v. 4. — (11) Act. XIII. v. 46. 47. XVIII. v. 6. — (12) Act. XI. v. 19. XIII. v. 5. 14. XIV. v. 1. XVII. v. 1. 2. 10. 17. XVIII. v. 4. 19. 26. XIX. v. 8. — (13) Act. XIII. v. 43. XIV. v. 1. XVII. v. 4. 12. 17. XVIII. v. 2. XIX. v. 10. etc.

omni fere gente ac lingua convenirent, quid mirum interprete saepe eguisse, qui ea, quae usitato apud illius urbis incolas sermone disputassent, advenis et alienigenis ipsorum lingua explicarent? cui profecto ministerio par omnino erat Marcus, quod praeter hebraeam linguam, qualis vulgo tunc temporis ab Iudaeis usurpabatur, graecam insuper et latinam probe calleret. Nam ad hebraeam sive syriacam quod attinet, fuisse illi probe notam ex tot illis hebraismis, quibus eius stilus redundat facile est coniicere (1), et latinae notitiam habuisse ex aquileiensi missione (2) deduco: graecae vero peritum ipsa Evangelii scriptio manifestat. Id non ad conciones tantum, sed ad apostolica etiam scripta pertinere putat Baronius (3), ut quae ab Apostolis in una lingua exarata erant, in aliam interpretes verterent; quod, utrum Petro Marcus noster praestiterit, modo non quaero: quaeram autem loco suo (4). Unum tantum in praesentia animadvertam, Clementem quoque alexandrinum hoc officium ad *interpretem* pertinere fuisse arbitratum, quem in libris *ὑποτυπώσεων* tradidisse refert Eusebius (5): *Epistolam ad Hebraeos esse quidem Pauli, sed cum Hebraeis missa esset, hebraico sermone fuisse exaratam: illam vero Lucam diligenter vertisse, et Graecis communicasse.* Ad alterum vero ministerium quod attinet, scilicet obscuriora et difficiliora Apostolorum dicta exponendi; illud quidem interpretibus diserte asserunt Barradius et Baronius modo laudati: nullum tamen sententiae suae afferunt argumentum: afferam ego ex recepta tunc temporis apud Iudaeos disciplina, quam Apostolos, utpote Iudaeos et Iudaeis loquentes, servasse probabile certe est. Constat, idque pluribus Thalmudis locis (6) ostendi potest, Iudaeorum magistros ea aetate interpretes suos habere consuevisse, qui ea, quae discipulis ipsi tradebant, non modo elata voce repetere solerent, ut ab omnibus exaudiri possent, verum etiam, magistri disputatione expleta, iterum eadem exponerent atque declararent; ut, si qui essent inter discipulos paulo hebetioris ingenii, ea enucleatius ac distinctius explicata intelligere possent: si quae vero a nonnullis difficultates proponerentur, eas ipsi dissolverent atque enodarent. Vocabatur autem interpres מתרגם *Meturgam*, sive תורגמן *Turgeman*, quod est *Expositor:* unde etiam italicum *Turcimanno*, et venetum *Dragomanno* eadem significatione ductum est. De priori interpretis officio audi Maiemonidem (7): *Si quis verbo doceret, interpres inter ipsum ac discipulos stabat. Et doctor alloquebatur interpretem, interpres vero alta voce discipulos universos. Ubi vero hi interrogarent interpretem, ille doctorem interrogabat, et doctor interpreti respondebat, interroganti vero respondebat interpres.* Ad alterum vero officium quod attinet, haec habe ex Salomone Iarchi (8). *Hic est caput*

---

(1) Supr. cap. I. n. 4. — (2) Infr. cap. XIV. — (3) Ad ann. XLV. n. 36. et seqq. — (4) Infr. cap. XIII. n. 3. 4. 5. — (5) Apud Euseb. Hist. Eccl. l. VI. cap. XIV. Τὴν πρὸς Ἑβραίους ἐπιστολὴν Παύλου μὲν εἶναι, γεγράφθαι δὲ Ἑβραίοις Ἑβραϊκῇ φωνῇ. Λουκᾶν δὲ φιλοτίμως αὐτὴν μεθερμηνεύσαντα ἐκδοῦναι τοῖς Ἕλλησιν. — (6) Ghem. Hieros. Taanit. cap. IV. const. I. Sotà. cap. VIII. const. I. Berachot. c. IV. Ghemar. Babyl. Ioma c. I. fol. 20. terg. Edit. Cracov. Sanedr. fol. 7. terg. cap. I. Berachot. cap. IX. pag. 57. Vide etiam Halicot Holam. c. I. Rascì in Berachot c. IX. Majemon. Thalm. Tor. cap. IV. n. 11. — (7) Loc. cit. — (8) Rascì loc. cit.

classis, qui lectionem explicat, postquam magister absolvit, et discipuli lectionem suam repetunt; et si qui inter illos doctoris mentem haud probe sunt assecuti, hic illos plenius illustrat. Nec me latet duo haec ministeria ita distincta fuisse, ut unum ab altero saepissime disiungeretur: nihil tamen erat quod utrumque simul coniungi vetaret: imo coniunctum fuisse aliquando nonnulla ex iis locis thalmudicis, quae superius indicavimus, persuadent. Erat et tertium apud Iudaeos interpretum genus, eorum scilicet (1) qui, dum lector lectionem legis aut prophetarum in synagoga hebraica lingua legeret, hebraica verba in eam linguam convertebant, qua populus utebatur, graecam puta, chaldaicam, syriacam, aliamve huiusmodi. Inductum hunc morem ab ipsis Esdrae (2) temporibus eruditi (3) arbitrantur, cum ex babylonica captivitate reversi Iudaei hebraeam linguam essent obliti, ideoque inductum, teste Maiemonide (4), *ut omnes eorum, quae legebantur, sensum intelligerent.* Extant de huiusmodi interpretandi ratione plurima in utroque Thalmude (5) testimonia: ubi etiam illud occurrit animadvertendum, interpretes illos non in verbis tantum ad sensum reddendis constitisse, sed interpretationem suam latius aliquando protulisse, ac biblici textus mysteria enucleatius et luculentius explicuisse (6). Haec de multiplici *interpretum* apud Hebraeos ministerio. Qui plura desiderat, Rhenferdium (7) atque Ursinum (8) adeat, de hac re diligentissime disputantes. At, quod in rem nostram facit, aliquot ex hisce ministeriis Marcum apud Petrum obiisse, imo omnia fortasse libenter putaverim. Nam et dum Petrus hebraeum textum in synagogis perlegeret, illum pro recepta Hebraeorum disciplina graece aut latine in auditorum commodum Marcum vertisse aliquando, et iterum Magistro suo concionanti adstitisse, quaeque ille submissa voce tradebat, altius protulisse, et hinc *interpretis* nomen adeptum suspicari absurdum minime est; cum Petrum in synagogis docentem receptum in synagogis morem secutum fuisse par sit existimare; imo in Ecclesia quoque, cum sub illis christianae reipublicae initiis multa apud nos ex Hebraeorum consuetudine peragerentur, in Iudaeorum gratiam praesertim, ex quibus maxima ex parte Ecclesiae illae constabant. Hinc nil prohibet existimare, quemadmodum Iudaeorum magistri singuli *interpretem* suum tunc temporis habuere, qui haec illis officia praestaret, ita Petrum quoque et Paulum *interpretes* suos habuisse; illum quidem, Marcum nostrum et Glauciam, ut diximus; hunc vero, Titum aliosque fortasse. Sed longe adhuc probabilius videtur, Marcum ea, quae Petrus publice tradebat, privatim iterum interpretatum fuisse, obscuriora magistri sui dicta atque sententias exposuisse, auditorum difficultatibus occurrisse, ac catechumenis prae-

---

(1) Vide Prideaux Histoire des Juifs liv. VI. ad ann. CCCCXXXXIIII. ante Christum. — (2) Vide Nehemiae c. VIII. v. 9. — (3) Vide Georg. Ursini antiquit. hebraic. cap. IX. — (4) Tephilla cap. II. §. 10. — (5) Kiddusin cap. II. fol. 49. cap. IV. pag. 76. tergo edit. Cracov. in nota margin. Berachot. c. IV. fol. 28. Sopherin cap. XII. XIII. pag. 27. Ghemar Hierosol. Meghilla c. IV. c. I. etc. — (6) Vide Berescit Rabb. sect. LXXX. Mass. Sopherim. c. XIII. Kiddusin. c. II. f. 49. etc. — (7) Rhenferd. de X. Otiosis dissert. II. c. XIII. n. IX. — (8) Georg. Ursin. antiq. hebr. c. III. V. et IX. etc.

sertim erudiendis operam dedisse; quod cum item apud Hebraeos *interpretis* officium esset, *interpretis* proinde nomen illi conciliavit. Haec ex coniectura, ut in re incerta fieri solet; nec tamen absurda, iis praesertim, qui in hebraicis antiquitatibus vel obiter versati sunt.

CAPUT V.

DE APOSTOLI NOMINE MARCO EVANGELISTAE A SS. PATRIBUS, ET LITURGICIS LIBRIS TRIBUTO.

I. *Veneti S. Marcum Apostolum vocant. Appellationis huius apud illos origo. Perperam a nonnullis carpuntur.* II. *Marcus ab antiquis Apostolus vocatus.* III. *Tum etiam in libris liturgicis Graecorum, Moschorum, Slavorum et Armeniorum.* IV. *Nec ab his Arabes, Aegyptii et Aethiopes dissentiunt.* V. *De Chaldaeis, sive Syris nonnulla. Tum de Mozarabibus.* VI. *Quo sensu Apostolus Marcus. Apostoli dicti, qui cum Apostoli potestate ad aliquas gentes mittebantur.* VII. *Apostoli nomen nonnullis, praeter primos illos XII., vel in ipsis Ecclesiae exordiis tributum. De Apostolis Iudaeorum dictum nonnihil.*

I. Iamdiu in Basilica nostra usus obtinuit, ut S. Marcum non evangelistam modo, quemadmodum universa fere latina Ecclesia, sed etiam *Apostolum* appellemus. Quod non ex sola traditione didicimus, sed ex plurimis etiam, quae apud nos adhuc supersunt, antiquitatis monumentis, ita ut nullo modo dubitare possimus, morem hunc non heri aut nudius tertius inductum fuisse, sed antiquissimum esse aut saltem multis ab hinc saeculis usurpatum. Id videre est in officiis ecclesiasticis, quae in tribus S. Marci festivitatibus, hoc est, in eius Natali, Apparitione et Translatione (1) recitabantur, ubi *Apostoli* nomen non modo praefixum exhibetur, verum identidem inter ipsas divinas laudes (2) inculcatur; et in antiquissimis legendariis mss., quae in Marciana Bibliotheca asservantur, et saeculo Christi XII. ex aliis longe vetustioribus exscripta sunt; et in monumentis aliis eiusdem et antiquioris aetatis, quae profert Flaminius Cornelius (3) in praeclarissimo opere de Urbis Venetae Ecclesiis. Sed et Marciani Baptisterii tholus, ubi musivo opere XII. Christi Apostoli picti visuntur, appositis iuxta singulos neophytis, qui ab illis salutari aqua lustrantur, Marcum quoque inter ipsos exhibet, adiecta epigraphe:

S. MARCUS BAPTIZAT IN ALEXANDRIA.

Musivum illud opus Andreas Dandulus Venetorum dux sumptibus suis fieri curavit (4) saeculo Christi XIV. inchoante: nec ad posteriorem aetatem esse pro-

(1) Die XXV. Martii, XXV. Iunii, et XXXI. Ianuar. — (2) Die XXV. Mart. in hymn. ad laud. Die XXXI. Ianuar. in Oratione etc. — (3) Eccl. Venet. dec. XIII. in S. Marci ad calc. — (4) Vid. Cornel. Eccl. Venet. decad. XIII. part. I. pag. 122, et 131.

ducendum per se statuet, qui oculos paullo eruditiores in antiquis picturis explorandis habeat: praesertim ubi animadverterit, nullum ibi baptismum, nisi qui per immersionem fieret, indicari: cum nondum apud nos baptizandi per infusionem mos obtinuisset, qui nonnisi sub finem saeculi XIV. et fortasse serius invaluit (1). Ex quo constat, *Apostoli* nomen iam olim apud nos S. Evangelistae tribui consuevisse: neque enim illud inter ipsa ecclesiastica officia usurpari, nisi ita tulisset inveterata consuetudo, ipsa rei novitas concessisset. Videntur autem Veneti hanc Patrono suo appellationem ex orientalium christianorum usu tribuisse, apud quos *Apostoli* plerumque nomine Marcus vocari solet; scilicet vocis huius significatione paulo latius accepta, ac apud Latinos accipi consueverit. Cum enim Veneti post X. a Christo saeculum nauticae rei studio maxime florerent, ac commerciis late porrectis universos Mediterranei maris portus, Graeciae praesertim, Asiae ac Aegypti frequentarent; plurimi vero ex illis regionibus Venetias aut negotiationis caussa, aut divi Marci exuvias veneraturi identidem ventitarent, nil mirum nostros homines, ut alia multa, ita hoc quoque ex illarum gentium consuetudine hausisse, ut sanctissimum Evangelistam *Apostoli* etiam nomine decorarent. Qua de re nihil addendum prorsus existimarem, nisi me quorundam hominum petulantia atque imperitia promoveret, qui insita quadam venetarum rerum carpendarum libidine, ita in hanc nostram consuetudinem sunt debacchati, ut vix in novam aliquam haeresin, quae totius Ecclesiae doctrinam everteret, tanta vi invehi atque insurgere decuisset. Audivi enim ipse aliquando nonnullos, qui sibi plus ceteris sapere videbantur, maiorum nostrorum inscitiam irridentes, qui novum hunc Apostolum commenti fuissent, cum ex ecclesiasticis monumentis constaret, non esse illum nec inter LXX. quidem Christi discipulos numerandum. Quibus ego si ostendero, primis christianae reipub. saeculis *Apostoli* nomen non de illis tantum usurpatum fuisse, quos Christus, dum inter vivos degeret, ad hoc sive ministerium sive dignitatem elegit, Marcum vero nostrum et ab omnibus fere gentibus et a SS. Patribus *Apostolum* fuisse appellatum; iam fatendum erit, non iam maiores nostros in hac re hallucinatos fuisse, sed eos revera basilice falli, qui eosdem temere carpant. Et illos quidem ecclesiasticae antiquitatis, et omnium fere christianarum gentium exemplum esse secutos: qui vero illos vellicant atque reprehendunt, se et ecclesiasticae antiquitatis prorsus ignaros, et in sacra philologia plane hospites demonstrare.

II. Ac ut a SS. Patrum testimoniis exordiar, illum non unus aut alter, iique inferioris subsellii, sed antiquissimus quisque et probatissimus *Apostolum* appellavit. Ut enim omittam Procopium diaconum et constantinopolitanae Ecclesiae chartophylacem, incertae quidem aetatis scriptorem, sed quem ante VII. saeculi exitum floruisse ostendemus (2), qui in encomio S. Marci (3)

---

(1) Vide Gallic. mem. Ven. l. II. n. 376. De Rubeis dissert de sacr. Forojul. ritib. cap. XXVI. — (2) Infra cap. XIV. n. 8. — (3) Vide hoc encomium in fronte Catenae in Marcum editae a Possino, tum apud Bollandianos in appendice ad diem XXV. April.

identidem hoc nomen usurpat, ut omittam Epiphanium hagiopolitam incerti temporis et ipsum scriptorem, editum ab Allatio in Symmictis; ut omittam Eusebium, cuius locum ex ecclesiastica historia (1) in dubium ab eruditis (2) vocari animadverto, ut demum praeteream Rahebum (3), cuius historiam Patriarcharum Alexandrinorum ad calcem Chronici Orientalis edidit Ecchellensis; adest huius appellationis optimus vindex Chronici Paschalis, sive Alexandrini, scriptor, quem saeculo Christi V. aut VI. vixisse critici tradunt (4); quique cum duodecim illos a Christo electos Apostolos ad annum Tiberii XV. (5) recensuisset, iterum ad annum eiusdem XVIII. haec habet: *Sunt autem, praeter eos discipulos duodecim, quos ad annum Tiberii XV. memoravimus, et alii illustres Apostoli, qui post Domini in coelum assumptionem* claruerunt. *Sunt autem Barnabas, Marcus evangelista, Silas, Lucas medicus et evangelista, cuius in epistola ad Colossenses meminit Paulus* (6), *Timotheus, Silvanus, Titus.* Neque existimes Chronographum *Apostolorum* nomine LXX. Christi discipulos, prout etiam a Tertulliano (7) factum est, indicare ac illis Marcum evangelistam accensere: nam discipulorum nomina seorsim alibi enumerat (8), scilicet post XII. illos a Christo electos Apostolos, quos a posterioribus hisce *Apostolis* distinguit omnino. Habes etiam huius appellationis testem luculentissimum auctorem *Synopseos Sacrae Scripturae* (9), quae quamvis Athanasii fortasse non sit, haud tamen indigna viris eruditis (10), quae Athanasio tribuatur, visa est; apud quem ita de Marco legere est (11): *Evangelium vero secundum Marcum Romae quidem a Petro apostolo dictatum est, editum autem a Marco beato apostolo, et ab ipso annunciatum Alexandriae et in Aegypto, et in Pentapoli, et in Libya.* Eodem *Apostoli* nomine Marcus et in Actis a bollandianis biographis vulgatis (12), et in Actis S. Petri alexandrini (13) et in Graecorum Menaeis tam editis (14) quam manuscriptis (15) et in constitutione *de feriis* edita a Manuele Comnemo (16) donatur. Mitto Petrum Damiani illum *apostolicum martyrem* (17) appellantem, tum obscuros quosdam graecorum actorum scriptores (18), qui post XI. fere saeculum floruere. Ex quibus omnino constat non esse in Ecclesia Dei novum aut inauditum, ut quis de Marco scribens ipsum hac appella-

---

(1) Lib. II. cap. XXIV. — (2) Vide Valesii notas in Eusebium ad illum locum. — (3) Num. II. XL. etc. — (4) Vide Du-Cang. praefat. in Chron. Alex. n. X. edit. Paris. pag. 212. Venetae. pag. 170. — (5) Paris. pag. 224. Venetae pag. 179. Εἰσὶ δὲ καὶ ἐπίσημοι τῶν ἀποστόλων γεγονότες μετὰ τοὺς προγεγραμμένους ιβ' μαθητὰς τοῦ Κυρίου κατὰ τὸ ιε' ἔτος τῆς Τιβερίου Καίσαρος μοναρχίας, οἵ τινες μετὰ τὴν εἰς οὐρανοὺς ἀνάληψιν τοῦ Κυρίου, *deest aliquid*, καὶ αὐτοὶ εἰσὶ οἵδε· Βαρνάβας, Μάρκος ὁ Εὐαγγελιστής, Σίλας, Λουκᾶς ὁ ἰατρός, καὶ Εὐαγγελιστὴς γενόμενος, περὶ οὗ ὁ Παῦλος ἐν τῇ πρὸς Κολοσσαεῖς ἐμνημόνευσεν ἐπιστολῇ, Τιμόθεος, Σιλουανός, Τίτος. — (6) Coloss. IV. v. 14. — (7) Contra Marcion. l. IV. cap. XXIV. — (8) Edit. Paris. pag. 213. Venetae 171. — (9) Inter op. S. Athan. t. II. — (10) Vide Monach. Maurinor. praef. in Synops. laudatam inter op. S. Athan. — (11) Synop. Sacr. Script. n. 76. Τὸ δὲ κατὰ Μάρκον Εὐαγγέλιον ὑπηγορεύθη μὲν ὑπὸ Πέτρου τοῦ Ἀποστόλου ἐν Ῥώμῃ· ἐξεδόθη δὲ ὑπὸ Μάρκου τοῦ μακαρίου Ἀποστόλου, καὶ ἐκηρύχθη ὑπ' αὐτοῦ ἐν Ἀλεξανδρείᾳ, καὶ ἐν Αἰγύπτῳ, καὶ ἐν Πενταπόλει, καὶ Λιβύῃ· — (12) Ad diem Aprilis. XXV. tum in appendice ad eundem diem — (13) Ibidem. — (14) Ad diem XXV. April. et XI. Ianuarii. — (15) Bollandiani in praef. ad Act. S. Marci §. I. ad diem Aprilis XXV. — (16) Apud Morcell. Kalend. C. Pol. tom. I. pag. 288. — (17) Serm. XIV. — (18) Vide Assem. Kalend. Eccl. univer. tom. VI. ad diem Aprilis XXV. Bolland. proleg. in Act. S. Marci §. I.

tione insigniret, nec existimasse veteres Ecclesiae scriptores, quicquam de primorum Apostolorum gloria detractum iri, si Marcus etiam in *apostolici* nominis societatem vocaretur.

III. Id ipsum liturgici etiam Orientalium libri confirmant, quos inter vix quemquam reperire est, qui Marco nostro deneget *Apostoli* dignitatem, atque appellationem. Ac ut a Graecis constantinopolitano patriarchae subiectis ordiamur, praeter Menaea modo commemorata (1) exstat hoc nomen in Menologio Basilii porphyrogennetae (2) mense Aprili, ubi haec legere est: *Die XXV. certamen S. Apostoli et Evangelistae Marci. Marcus divinus Christi Apostolus etc.* In communi etiam Liturgia a Goaro edita (3), quaeque sub nomine S. Ioannis Chrysostomi circumfertur, diaconus, antequam Evangelium legat, benedictionem petiturus ad sacerdotem accedit, dicens (4): *Benedic, Domine, Evangelistam S. Apostoli, et Evangelistae N.* Sacerdos vero ipsum benedicens respondet: *Deus per intercessionem sancti gloriosi Apostoli et Evangelistae N. det tibi verbum ad evangelizandum, ut evangelizes virtute multa:* quo ritu ostendunt Graeci se quemlibet ex sanctis Evangelistis *Apostolum* nuncupare, cum haec verba indiscriminatim usurpent tam de Marco et Luca, quam de Matthaeo atque Ioanne. Cum Graecis constantinopolitanis finitimi Moschi, sive Rutheni, et Slavi conveniunt: utrique enim in kalendariis suis ad diem April. XXV. Marcum *Apostolum* vocant (5): nec aliter Armenii, ut ex antiquis eorum legendariis (6) deprehendes. Quin imo illud in armeniis libris singulare prorsus occurrit, quod Marco in carcerem coniecto apparuisse Angelum Domini referunt, eundemque in haec verba allocutum (7): *Serve Dei Marce, Sanctorum, qui sunt in Aegypto, coriphaee, ecce in libro vitae nomen tuum scriptum est: tu censeberis in numero duodecim Apostolorum, et nomen tuum non delebitur in aeternum, atque reliquiae ossium tuorum non peribunt in terra.* Facti fides penes scriptorem sit, per me licet: interim haec armenicae gentis sententiam satis ostendunt. Porro haec duxi ex tribus mss. codicibus saeculi X. XI. et XII. Bibliothecae Armeniorum S. Lazari Venetiarum, quos mecum communicavit vir praestantissimus Ioannes Baptista Aucher, eiusdem coenobii monachus, atque armeniacae antiquitatis sollertissimus indagator.

IV. Armeniis consentiunt Aegyptii; Coptitas intelligo seu Iacobitas (neque enim de Melchitis dicendum, quibus cum Graecis constantinopolitanis fere convenit) Iacobitas, inquam, qui Monophysitarum haeresi ab ipsa Dioscori aetate, hoc est ab anno circiter CCCCLII. (8) infecti, ab universa Ecclesia, facto schismate, recessere. Tres ipsorum Liturgias, quibus in sacrificio uti solent, pro-

---

(1) Parag. praeced. — (2) Ad diem XXV. April. Ἄθλησις τοῦ ἁγίου Ἀποστόλου καὶ εὐαγγελιστοῦ Μάρκου. Μάρκος ὁ τοῦ Χριστοῦ θεῖος Ἀπόστολος κ. τ. λ. — (3) In Eucholog. extat etiam ad calcem tom. XII. operum S. Ioan. Chrysost. Inter opera huius S. Doctoris tom. XII. pag. 785. Edit. venetae. Εὐλόγησον, δέσποτα, τὸν εὐαγγελιστὴν τοῦ ἁγίου Ἀποστόλου καὶ εὐαγγελιστοῦ τοῦδε. — (4) Ibid. Ὁ θεὸς διὰ πρεσβειῶν τοῦ ἁγίου ἐνδόξου Ἀποστόλου καὶ Εὐαγγελιστοῦ τοῦδε, δώῃ σοι ῥῆμα εἰς τὸ εὐαγγελίσασθαι, τῷ εὐαγγελιζομένῳ δυνάμει πολλῇ. — (5) Vide Asseman. Kalend. Eccl. Univers. tom. VI. ad diem XXV. Apr. — (6) Ad eundem diem. — (7) In schedis mihi a P. Ioanne Baptista Aucher communicatis. — (8) Vide Renaud. Hist. Patriarch. Alexand. n. XXV.

fert Renaudotius (1), quarum primam Basilii, secundam Gregorii, scilicet nazianzeni, tertiam Cyrilli nomine inscribunt; addit etiam quartam idem Renaudotius S. Marci nuncupatam, quam nostra quidem aetate nunquam usurpant, sed qua usi aliquando videntur fuisse, quamvis eam (2) Melchitis potius, sive orthodoxis, quam Iacobitis adscribat. Porro nulla earum est, quae non Marco nostro *Apostoli* appellationem diserte tribuat: nam in basiliana Liturgia haec habentur (3): *Videntisque Deum evangelistae Marci, sancti apostoli et martyris:* quae verba et in graeco-alexandrina eiusdem S. Basilii Liturgia (4), paulum licet immutata, leguntur; et in utraque gregoriana, tam copta (5) quam graeca (6), inculcantur. In cyrilliana vero eadem verba extare monet Renaudotius, qui ubi ad diptycha ventum est, iterum ad basilianam (7) remittit. Ad Marci vero anaphoram quod attinet, ita illa inscribitur (8): *Divina Liturgia sancti apostoli, et evangelistae Marci, discipuli S. Petri.* In diptycho autem haec habet (9): *Et S. Patris nostri apostoli et evangelistae, qui nobis viam salutis ostendit.* Nec aliter legere est in ritu ordinationis patriarchae copto-alexandrini ab eodem Renaudotio vulgato (10); ubi, praeterquamquod Marcus haud semel (11) vocatur *Apostolus*, ipsa etiam alexandrina Ecclesia *apostolicae Ecclesiae* titulo identidem insignitur, et eius cathedra *apostolicus thronus admirabilis Marci divinitus locuti et evangelistae* (12) appellatur. Hinc illa senioris episcopi electum patriarcham consecrantis verba (13): *Promotus est in sancta Dei Ecclesia N. archiepiscopus; in sancta Dei Ecclesia magnae civitatis Alexandriae N. archiepiscopus et patriarcha; in sancta, catholica et apostolica Dei Ecclesia praedictae magnae civitatis orthodoxorum Alexandriae. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen.* Haec ex Renaudotio. Similia habentur etiam tum in *communione* sive *consociatione*, tum in diptychis copto-latinis editis ab Guillelmo Bonjour monacho augustiniano inter coptica monumenta Bibliothecae Vaticanae (14). Nam in *communione* quidem (*communionem* vocant protestationem quandam in diptychi formam anaphorae, sive missae, praepositam) in *communione*, inquam, haec habentur (15): *Servi tui.... erunt communicantes.... ex ore theologi Marci apostoli, evangelistae et martyris.* Nota obiter nomen *theologi* Marco tributum, quod tamen (16) Ioanni potius aptari solet. In diptycho autem Severi (17): *Dignare recordari, Domine,... et theologi evangelistae Marci apostoli et mar-*

---

(1) Liturg. Orient. tom. I. — (2) Renaud. ibid. praefat. in Marci liturg. pag. 128. — (3) Ibid. pag. 18. — (4) Ibid. pag. 72. Καὶ τοῦ ἁγίου μακαρίου πατρὸς ἡμῶν Μάρκου τοῦ Ἀποστόλου, καὶ Εὐαγγελιστοῦ. — (5) Ibid. pag. 34. — (6) Ibid. pag. 112. — (7) Ibid. pag. 42. — (8) Ibid. pag. 131. Ἡ Θεία Λειτουργία τοῦ ἁγίου Ἀποστόλου, καὶ Εὐαγγελιστοῦ Μάρκου, μαθητοῦ τοῦ ἁγίου Πέτρου. — (9) Ibid. pag. 149. Καὶ τοῦ ἁγίου Πατρὸς ἡμῶν Μάρκου Ἀποστόλου καὶ Εὐαγγελιστοῦ, τοῦ ὑποδείξαντος ἡμῖν ὁδὸν σωτηρίας. — (10) Ibid. pag. 467. — (11) Ibid. pag. 472. et 490. — (12) Ibid. pag. 481. 486. — (13) Ibid. pag. 476. Προεχειρίθη ἐν τῇ ἁγίᾳ τοῦ Θεοῦ Ἐκκλησίᾳ Δ. Ἀρχιεπίσκοπος· ἐν τῇ ἁγίᾳ τοῦ Θεοῦ Ἐκκλησίᾳ τῆς μεγαλοπόλεως Ἀλεξανδρείας Δ. Ἀρχιεπίσκοπος, καὶ Πατριάρχης ἐν τῇ ἁγίᾳ, καθολικῇ, καὶ Ἀποστολικῇ του Θεοῦ Ἐκκλησίᾳ τῆς προονομασθείσης μεγαλοπόλεως τῶν ὀρθοδόξων Ἀλεξανδρείας· εἰς τὸ ὄνομα τοῦ Πατρὸς καὶ τοῦ Υἱοῦ καὶ τοῦ Ἁγίου Πνεύματος. Ἀμήν. Vid. etiam pag. 490. — (14) Ad calcem diss. de Nomine Patriarch. Iosephi. Rom. in 4. 1696. — (15) Bonjour Monum. Copt. n. IV. — (16) Vide Cornel. a Lap. praef. in Evangel. S. Ioannis. — (17) Bonjour loc. cit. n. VI.

tyris. Affert idem Bonjour praefatiunculas binas, quae in copticis Vaticanae Bibliothecae Novi Testamenti codicibus Marci Evangelio praemittuntur. Harum una incipit (1): *Evangelium Patris nostri, sancti apostoli et evangelistae et martyris Marci etc.* Altera vero (2): *Pax in splendore Evangelii tui, quod tradidisti Marco apostolo lingua Romanorum orthodoxorum etc.* Similes fere notae, nec ipsa *Apostoli* voce praetermissa (3), extant et initio et ad calcem arabicae translationis Evangelii S. Marci, quae habetur in Bibliis londinensibus. Porro quum, Waltono teste (4), in Coptitarum commodum versio illa fuerit concinnata; iam et haec Coptitarum traditioni roborandae facere possunt; ut et illa nota (5), quae ante versiculum VI. capitis V. epistolae primae S. Petri in eadem versione apposita est, qua de alias (6) locuti sumus. Addam vero Coptitis etiam Aethiopes, quorum Ecclesia quamvis alexandrinae subiiceretur, proprias tamen Liturgias habuit; quas inter illa praecipua, quae sub *Liturgiae communis*, sive *canonis universalis Aethiopum* nomine vulgata est (7). Haec autem ita habet in oratione absolutionis (8): *Servi tui, qui ministrant hodie, sacerdos, diaconus, clerus et populus, et ego pauper servus tuus, peccator et nequam, sint absoluti... etiam per os patris nostri divina loquentis Marci evangelistae, apostoli et martyris*. Hucusque de Aegyptiis, in quorum ecclesiasticis monumentis excutiendis ea de caussa operosius versati sumus, eo quod accuratius de S. Marco locuti putandi sunt, qui illum veluti Ecclesiae suae patrem, fundatorem, sospitatoremque venerabantur. Porro nil mirum, Venetos, quemadmodum S. Evangelistae corpus ab Alexandrinis acceperant, ita et *Apostoli* appellationem ab iisdem didicisse.

V. De Syrorum, sive Chaldaeorum Liturgiis nihil est quod dicam, cum praeter B. M. Virginem, S. Ioannem Baptistam, S. Stephanum, Ss. Petrum et Paulum et Thomam, vix quemquam ex Apostolis, aut apostolicis viris nominatim commemorent, sed omnes (9) sub Apostolorum, aut Evangelistarum, aut praedicatorum nomen generatim complectuntur. Equidem in primo *Ordine communi Syrorum Iacobitarum* apud Renaudotium (10) sacerdos ante Evangelii lectionem haec recitat: *Ex Evangelio sancto Domini Nostri Iesu Christi, Dei nostri veri, praedicatione facta a N. Apostolo, et praecone vitae aeternae, annuntiationem vitae et salutis audimus pro animabus nostris;* quibus verbis videntur Syri quemlibet Evangelistarum *Apostolum* indiscriminatim vocare: attamen in *Ordine* secundo (11) aliis verbis ad Matthaei et Ioannis, aliis ad Marci et Lucae Evangelium utendum esse statuitur. Nam, ubi ex duobus primis legendum sit, di-

---

(1) Ibid. n. XIV. — (2) Ibid. n. XV. — (3) Polyglot. Lond. init. Evang. Arab. S. Marci *In nomine Dei unius, Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Evangelium S. Marci apostoli, quod scripsit etc.* et ad calcem: *Absoluta est, opitulante Deo excelso, impressio Evangelii sacrosancti divi Marci apostoli etc.* — (4) Proleg. XIV. n. 22. — (5) *Lectio pro Marco apostolo.* — (6) Supr. cap. II. §. VI. — (7) Romae MDXLVIII. cum Novo Testam. Aethiop. tum apud Renaud. Liturg. Oriental. tom. I. pag. 496. etc. — (8) Apud Renaud. pag. 506. vide etiam pag. 514. — (9) Vide Renaud. Liturg. Orient. tom. II. pag. 6. 16. 18. 25. 36. 129. 149. 157. 167. 173. 180. 221. 230. 238. 249. 266. 281. 292. 316. 327. 338. 350. 363. 376. 395. 404. 415. 431. 443. 464. 482. 500. 518. 536. 557. 591. — (10) Ibid. pag. 9. — (11) Ibid. pag. 20.

citur: *Evangelium sanctum Domini nostri Iesu Christi, praedicatum per Matthaeum apostolum, aut per Ioannem, vitam et salutem annuntians mundo:* ubi vero ex Marco et Luca: *Annuntiatio vivifica per Marcum aut Lucam evangelistas, quae annuntiat vitam et salutem mundo.* Ex quibus efficitur certi nihil ex Syrorum traditione posse deduci. Aliquid fortasse ex *missale chaldaico ad usum Ecclesiae Maronitarum,* Romae edito anno MDXCII., lucis nobis suppetere potuisset; verum cum illud prae manibus minime sit, nihil de chaldaicis Ecclesiis statuere in praesentia valemus. Ceterum quae hucusque attulimus, nisi omnia me ludunt, satis superque sunt ad antiquam Basilicae nostrae consuetudinem ab ineptis nonnullorum hominum cavillationibus vindicandam. Siquidem nemo illam vellicare poterit, quin universas fere totius Orientis Ecclesias simul reprehendat. Nec quemquam moveat, esse illas, ut plurimum, haeresibus longe turpissimis infectas, atque a catholicae unitatis communione separatas; latinam vero omnium magistram nunquam hoc Evangelistae nostro nomen tribuisse: nam nec ideo Ecclesiae illae haereticae sunt atque schismaticae, quod Marcum vocent *Apostolum,* neque id illi nomen, postquam a nobis discessere, tribuere coeperunt; cum plures ex illis Liturgiis antiquissimae sint, et schisma multa aetate praecesserint. Latina vero Ecclesia, etsi Marco *Apostoli* nomen ipsa minime tribuat, nunquam tamen ne tribueretur prohibuerit. Quin imo in romana Ecclesia idem fere est, paucis exceptis, Apostolorum et Evangelistarum officium, quod si recites, velis nolis, Marcum quoque et Lucam Apostolis aliquo modo coniunges. Sed illud notatu dignum, quod in missali mozarabico (1) occurrit. Ibi enim ad diem XXV. Aprilis hanc notam invenies: *In festo S. Marci evangelistae. Omnia dicuntur ut in festo S. Matthaei apostoli.* Porro in festo S. Matthaei ad diem XXI. Septembris Apostoli nomen centies occurrit, nec illud omittendum esse ulla *rubrica* statuitur. At ad diem XVIII. Octobris, qua S. Lucae memoria recolitur, longe alia nota apposita est: *In festo S. Lucae evangelistae omnia dicuntur unius confessoris, addendo nomen ipsius Lucae evangelistae.* Cur quod Marco Mozarabes tribuunt, Lucae negent, non quaero. Satis mihi est in praesentiarum, nec in latina Ecclesia deesse, qui *Apostolis* Marcum nostrum adnumerent.

VI. At inquies, esto quod Marcus *apostolus* etiam vocetur: attamen quo tandem sensu haec de ipso vox erit intelligenda? Nam ad XII. illos a Christo electos minime ipsum pertinere, certissimum est. Rem explicat in commentariis in epistolam ad Galatas (2) S. Hieronymus: *Quatuor,* inquit, *Apostolorum genera sunt. Unum, quod neque ab hominibus est, neque per hominem, sed per Iesum Christum et Deum Patrem. Aliud, quod a Deo quidem est, sed per hominem. Tertium, quod ab homine, non a Deo. Quartum, quod neque a Deo, neque per hominem, neque ab homine, sed a semetipso.* Porro secundi generis *apostolus* Marcus habendus est: ita enim sequitur sanctus Doctor: *De secundo genere est Iesus filius Nave, qui a Deo quidem est Apostolus*

(1) Edit. Roman. anni 1755. — (2) In cap. I. vers. 1.

constitutus, sed per hominem Moysen. Ita et Marcus, Aquileiam a Petro et in Aegyptum missus, *Apostolus* erit nuncupandus. Nec tamen ii omnes, qui ad gentem aut urbem aliquam ab XII. Apostolis missi sunt, *Apostoli* statim vocandi: sed illi tantum, qui eadem potestate donati sunt ab Apostolis, qua ipsi a Christo donati fuerant. Porro non eos omnes apostolica potestate donatos dixerim, quos Apostoli in episcopos consecratos uni aut alteri civitati aut provinciae praeficiebant; sed illos tantum, quibus Evangelii, sin minus toto orbe, saltem in remotis atque late porrectis regionibus disseminandi potestas atque cura tradebatur, ita ut et Ecclesias fundarent et episcopos instituerent et sacrorum ordinem, et cetera omnia pro ea, quae Apostolorum erat, potestate (1) disponerent; qualem fuisse Titum Pauli discipulum ex Apostoli ad ipsum epistola apprime patet; quem propterea et auctor Chronici Paschalis, quem superius attulimus (2), et Menologium Graecorum (3) et kalendaria plurima (4) et Menaea (5) *Apostolum* vocant: Graecosque, ut in aliis, secuti maiores nostri in antiquis et recentioribus Marcianae nostrae Basilicae kalendariis (6). Et sane haec inter cetera in laudata epistola habet S. Paulus (7): *Huius rei gratia te reliqui Cretae, ut ea quae desunt corrigas, et constituas per civitates presbyteros, sicut et ego disposui tibi:* ubi *presbyterorum* nomine episcopos esse intelligendos fatentur interpretes (8). Eodem ac Titus loco habendi Lucas, Silvanus, Timotheus, Barnabas, Silas, (quos inter *Apostolos* auctor Chronici Paschalis enumerat) (9), Thaddaeus, alter ille ab apostolo Iuda, quem hoc nomine denotat Ephrem syrus (10), Eusebius (11) aliique (12); Philippus diaconus (13) et alii fortasse: eosdemque *Apostolos* in Basilii Menologio (14) appellari cuilibet videre est. Quod si illi hoc nomine donandi sunt, cur non et Marcus? quem non Apostolorum quilibet, sed Apostolorum princeps et κορυφαῖος Petrus elegit, nec ad unam tantum urbem, aut gentem, sed ad Venetos, Aegyptios, Cyrenaeos aliosque Africae populos misit? qui tot instituit episcopos, tot Ecclesias fundavit, easque inter alexandrinam et aquileiensem; illam quidem in celeberrima Aegypti atque adeo Orientis totius civitate, hanc vero in ea urbe, quae sibi post Romam primas in Occidente vindicaret? Haec enim omnia de Marco nostro, suo unumquodque loco, ostendemus. Quod si, teste apud Eusebium (15) Clemente alexandrino, *Iacobus iustus, Ioannes et Petrus scientiae donum a Christo post resurrectionem accepere, quod ipsi quidem ceteris Apostolis, Apostoli vero LXX. discipulis tradidere;* quis unquam existimabit, non illud Marco suo

---

(1) De potest. et offic. Apostolorum vide Petav. de Eccl. Hierarchia l. I. cap. V. l. II. cap. II. etc. — (2) Supr. §. II. — (3) Ad diem XXV. August. — (4) Apud Asseman. kalen. Eccl. univers. t. VI. pag. 541. ad eundem diem. — (5) Ad diem IV. Ianuarii et XXV. August. — (6) Ad diem XIX. Ianuar. — (7) Ad Titum cap. I. v. 5. — (8) A Lapid. Calmet. Estius in h. l. — (9) Loc. cit. Vide etiam Theophy. ad ann. Iustiniani XX. — (10) Ita Test. Graec-Lat. — (11) Hist. Eccl. l. I. cap. XIII. — (12) Vide Valesium in notis ad Euseb. ad loc cit. — (13) Const. Apost. l. VI. cap. VII. Clemens Alex. Serm. III. cap. VI. Vide Coteler. ad Const. Apost. l. c. — (14) Vide Menol. Basil. ad dies XXII. Ian. XXX. Iulii. XI. Iunii XVIII. Octob. IV. et X. Novemb. IX. Decembr. etc. — (15) Hist. Eccl. l. II. cap. I.

Petrum communicasse, ut in perfectum Apostolum, quem ad tam ardua ministeria delegerat, transformaret?

VII. Sed ne quis putet, haec omnia nos probabili quidem ratione adstruere, nec tamen certo ullo monumento ostendere posse, hoc ipsum nomen Marco, dum in vivis ageret, illi esse tributum: iuvat nonnullorum Patrum auctoritatem proferre, qui ipsis apostolicis temporibus duplex illud *Apostolorum* genus fuisse in Ecclesia tradiderunt, quod nos superius commemoravimus. Ac Hilarius quidem diaconus, sive quis alius, cuius in Pauli epistolas commentaria sub Ambrosii nomine edita sunt (1), priora illa epistolae ad Galatas verba edisserens: *Paulus apostolus non ab hominibus neque per hominem, sed per Iesum Christum etc.* haec habet: *Apostolus, se non ab hominibus electum, et missum ad praedicandum, testatur; sicut erant quidam, qui electi ab Apostolis mittebantur ad Ecclesias roborandas.* Theodoretus etiam locum illum ad Corinthios (2) enarrans: *Quosdam posuit Deus in Ecclesia, primum Apostolos,* ita habet: *Non dicit solos duodecim, sed etiam septuaginta, et eos qui postea eandem gratiam sunt adepti. Nam et ipse* Paulus *postea vocatus eundem ordinem consecutus est, et beatus Barnabas, et innumeri alii praeterea.* Porro quos *innumeros* fuisse dicit Theodoretus, in breviorem numerum contrahit Oecumenius (3), eos tantum inter Apostolos recensens, quibus eadem, ac prioribus illis duodecim, ministeria commissa sunt, quos ex discipulis assumptos fuisse confitetur. Theodoreto et Oecumenio concordat etiam Chrysostomus (4); *nam,* praeter XII. primos, *et alii Apostoli erant, ut septuaginta:* quae verba Chrysostomi compilator Theophylactus exscripsit (5). Eadem in initium epistolae ad Galatas animadvertunt Primasius, Remigius, Sedulius, Lanfrancus, Latinique omnes, eosque inter, qui sub Hieronymi nomine tamdiu delituit (6), Hieronymi hostis, Pelagius: quorum tamen loca praetermitto, ut Hieronymi verbis, satis multis, sed multi etiam ponderis, locus sit. Quid in hunc ipsum Apostoli versiculum dixerit modo vidimus (7): audiamus nunc quid paulo post ipse subiiciat (8): *Quod autem,* inquit, *exceptis duodecim, quidam vocentur Apostoli, illud in caussa est: omnes qui Dominum viderant, et eum postea praedicabant fuisse Apostolos appellatos, ut ad Corinthios scribitur* (9): « *Qui visus est Cephae: post haec illis undecim:* » *deinde visus est plus quam quingentis fratribus simul; ex quibus multi manent* » *usque adhuc, quidam autem dormierunt. Deinde visus est Iacobo, deinde Apo-* » *stolis omnibus.* » *Paullatim vero, tempore procedente, et alii ab his, quos Dominus elegerat, ordinati sunt Apostoli; sicut ille ad Philippenses sermo declarat, dicens* (10): « *Necessarium autem existimavi, Epaphroditum fratrem, cooperatorem* » *et commilitonem meum, vestrum autem Apostolum et ministrum necessitatis* » *meae, mittere ad vos,* » *et ad Corinthios de talibus scribit* (11): « *Sive Apostoli*

---

(1) Inter opera S. Ambrosii tom. IV. in append. — (2) I. Corinth. XII. v. 28. Vide eund. in Epist. I. ad Timoth. cap. III. v. 1. — (3) I. Corinth. XV. v. 7. — (4) In Epist. ad Corinth. I. homilia XXXVIII. n. 4. — (5) In I. Corinth. XV. v. 7. — (6) Inter Op. S. Hieron. t. XI. edit. veron. — (7) §. VI. — (8) In Epist. ad Galat. cap. I. v. 19. — (9) I. Corinth. XV. v. 5. — (10) Philipp. II. 25. — (11) II. Corinth. VIII. 23.

» *Ecclesiarum, gloriae Dei.* » *Silas quoque et Iudas* (1) *ab Apostolis Apostoli nominati sunt.* Haec Hieronymus, quibus non modo ex traditione, sed ex sacris etiam litteris ostendit, ipsa Apostolorum aetate alios, praeter XII. illos a Christo vocatos, *Apostolorum* nomine appellari consuevisse, imo hoc illis nomen a primis illis duodecim fuisse tributum. Id vero ubi semel admiseris, cuinam potius quam Marco nomen illud inditum fuisse existimabis? Nec me latet locum illum, quem ex epistola ad Philippenses producit S. Presbyter, non de *Apostolo* a Paulo ad Philippenses misso, Evangelii disseminandi caussa, sed de homine fidelium eleemosynis colligendis, sive ab Apostolis, sive ab ipsis Philippensibus praeposito, accipi a quibusdam (2); quales erant qui tunc temporis apud Iudaeos vocabantur *Apostoli* (3), qui universas alicuius provinciae synagogas circuibant, ut eleemosynas in templi ac pauperum usus ab Iudaeis erogatas colligerent; quemadmodum Hieronymus (4) et Epiphanius (5) testantur: attamen animadvertendum est ex eodem Epiphanio constare, Iudaeorum *Patriarchas* (nam et hoc apud Iudaeos officium et nomen obtinuit, certaeque regioni praepositis (6) tribuebatur) Iudaeorum, inquam, *Patriarchas,* non eleemosynis tantum undique colligendis, sed toti provinciae administrandae, synagogis visitandis atque corrigendis, castigandisque ipsarum praepositis huiusmodi *Apostolos* praefecisse. Refert enim S. Doctor (7): *Iosephum comitem inter eos fuisse, qui apud Iudaeos principem locum dignitatis obtinent: Sunt autem,* inquit, *qui dicuntur Apostoli, et Patriarchae solum honore concedunt. Assident hi Patriarchae, ac cum illo saepe diu noctuque versantur: eo quod eidem a consiliis sint, et de iis referant, quae pertinent ad legem.* Addit deinde (8): Iosephum hunc ab Iuda patriarcha *Apostoli* dignitatem assecutum, in multorum offensionem incurrisse, *eo quod pro Apostoli munere summam gravitatem, ac in disciplina retinenda severitatem praeseferret, multosque archisynagogos, sacerdotes, presbyteros, et azanitas,* (h. e. חזנין synagogae ministros) *sic enim ministros, sive diaconos vocant, homines improbos in ordinem redegerat atque dignitate privarat.* Vides itaque, etiam si ex Iudaeorum institutis *Apostolorum* officium et nomen deducendum sit, ea tamen ipsum omnia complecti, quae christiana significatione *Apostoli* vox proprie ac vere significat (9): ac proinde Marcum, quem universa fere orientalis Ecclesia, et Patres nonnulli *Apostolum* ex antiqua tra-

---

(1) Act. Apost. XV. 27. — (2) Vide Grotium in h. l. et Matth. X. v. 2. Calmet. in h. l. etc. — (3) De Iudaeor. Apost. Vide Samuel Petitum Varian. lect. cap. XXIV. Ioan. Franc. Meyerum de de Apost. Hebraeor. Grot. loc. cit. Vide etiam Synod. Nicaen. II. act. VIII. pag. 1286. edit. Venet. — (4) In Epist. ad Galat. cap. I. v. 1. — (5) Haeresi XXX. n. IV. et XI. — (6) De Patriarch. Iudaeor. Vide Petit. l. c. — (7) Epiph. Haer. XXX. n. IV. Οὗτος γὰρ ὁ Ἰώσηπος τῶν παρ' αὐτοῖς ἀξιοματικῶν ἀνδρῶν ἐναρίθμιος ἦν. Εἰσὶ γὰρ οὗτοι μετὰ τὸν Πατριάρχην Ἀπόστολοι καλούμενοι. Προσεδρεύουσι δὲ τῷ Πατριάρχῃ, καὶ σὺν αὐτῷ πολλάκις, καὶ ἐν νυκτὶ καὶ ἐν ἡμέρᾳ συνεχῶς διάγουσι, διὰ τὸ συμβουλεύειν, καὶ ἀναφέρειν αὐτῷ τὰ κατὰ τὸν νόμον. — (8) Idem ibid. X. XI. Ἐκεῖ οὖν οἷα Ἀπόστολος· οὕτως γὰρ παρ' αὐτοῖς, ὡς ἔφην, τὸ ἀξίωμα καλεῖται, ἐμβριθέστατος, καὶ καθαρεύων δῆθεν τὰ εἰς κατάστασιν εὐνομίας, οὕτως ἐπιτελεῖν προβαλλόμενος, πολλοὺς τῶν κακῶν κατασταθέντων Ἀρχισυναγώγων, Ἱερέων, καὶ Πρεσβυτέρων, καὶ Ἀζανιτῶν, τῶν παρ' αὐτοῖς Διακόνων ἑρμηνευομένων, ἢ ὑπηρετῶν, καθαιρῶν τε καὶ μετακινῶν τοῦ ἀξιώματος, ὑπὸ πολλῶν ἐνεκοτεῖτο. — (9) Vide Cod. Theodos. apud Petitum loc. cit.

ditione appellarunt, licet non fuerit ex duodecim, *Apostolum* tamen proprie ac vere fuisse. Atque haec de Marci *apostolatu:* quae si quis inutili labore a nobis operosius, quam par erat, evoluta fuisse existimet, (neque enim de re, sed de nomine erat quaestio) meminerit quaeso, nec illud prorsus inepte pertractari, quod ecclesiasticam antiquitatem, in re levi licet, illustret: nec reprehendendum esse honesti civis in patriam amorem atque charitatem, si, quos maiorum suorum instituta perperam improbantes offendat, horum petulantiam atque ineptam dicacitatem pro virili retundat. Ceterum iuvat cum beato protopatriarcha nostro Laurentio Iustiniano (1) concludere (2): *Dilectus Deo et hominibus, cuius memoria in benedictione est, similem illum fecit in gloria sanctorum: magnificavit eum in conspectu gentium, ducemque sui instituit populi. Nempe eundem meritis et dignitate Dominus ostendit illustrem. Duplici sanctus iste insignitus est stola. Habet in Ecclesiae tabernaculum nomen non infimum,* APOSTOLATUSQUE CATHEDRA *cum patribus sublimatur in terra; atque in coelorum regno angelorum contubernio sociatur. Utique est potens, utique est magnus.*

CAPUT VI.

DE MARCI EVANGELIO, ET QUOMODO ILLUD A PETRO ACCEPISSE DICATUR.

I. *Marci Evangelium ab eo certe conscriptum. Canonicam eius libri auctoritatem haeretici nonnulli reiecerunt; non tamen illum a Marco exaratum negarunt.* II. *Quo sensu Marci Evangelium S. Petro adscribant nonnulli Patres. Marcus, quae a Petro audierat, scripsit.* III. *Tradunt nonnulli, Evangelium illud revera a Petro compositum. Exploduntur Euthychius aliique nonnulli; ceterorum verba conciliantur. Papiae locus insignis.* IV. *Cur Marcus ab Augustino dictus breviator Matthaei? Perperam Augustini verba alias a nonnullis detorta.* V. *Quam multa ex Matthaei Evangelio in suum librum transtulerit Marcus, quantaque utriusque sit convenientia.* VI. *In quibus a Matthaeo discrepet; et cur, licet multa ab illo acceperit, verus tamen evangelista Marcus dicendus sit. Richardi Simonii et Grotii coniecturae explosae.*

I. Evangelium, quod Marci nomine inscriptum est, quodque semper pro θεοπνεύστῳ atque canonico habuit Ecclesia, a S. Marco Petri apostoli interprete atque discipulo, conscriptum fuisse, perpetua saeculorum omnium traditione ita constat, ut quicumque id in dubium vellet revocare, is profecto desipere videretur. Nec diffiteor, fuisse aliquando qui hoc ipsum in controversiam adducere nisi sunt: ac non inter haereticos tantum, sed ipsos inter catholicos non defuisse, qui alteri ipsum tribuerent; quorum tamen mentem si diligenter indagemus, statim deprehendere erit, tantum abesse, ut ipsorum auctoritas

(1) Sermon. XIV. de S. Marco — (2) Eccl. XXXIV. v. 1.

communem illam receptamque ab Ecclesia sententiam evertat, ut ipsam potius testimonio suo roboret atque confirmet. Itaque antequam de ipso Marci Evangelio verba facio, liceat mihi parumper in ipsorum verbis exponendis immorari, ut si qui essent, quibus scrupulum aliquod iniicere possent, (quos tamen in tanta totius Ecclesiae ac saeculorum omnium consensione vix futuros esse putaverim) his omnis de hac re dubitatio evellatur; suaque Marco nostro gloria maneat atque servetur. Ac ad haereticos quidem quod attinet, constat Marci Evangelium fuisse olim a Valentinianis, Ebionaeis, Cerinthianis, Merinthianis ac Marcionitis (1) reiectum; quorum tamen deliriis refutandis non est cur operose insudemus; quum, quanta in sacrum codicem primorum saeculorum haeretici sibi permiserint, neminem lateat, qui ecclesiasticam historiam saltem a limine salutaverit. Nam et integros libros, licet ab omnibus Ecclesiis receptos, ex canone Sacrarum Scripturarum expungere ausi sunt, et novos a se in suarum haeresum patrocinium procusos, in eorum, quos reiecerant, locum obtrudere: et quos ipsi retinebant, miro modo depravare, corrumpere, interpolare consueverunt: ita ut miraculum sit, inter tot impiorum hominum fraudes atque ludibria, sacros codices servari potuisse, ac ad nos incolumes atque integros pervenire: quod profecto nonnisi singulari divinae providentiae consilio factum unusquisque fatebitur. Quid porro mirum, si homines illi, qua impudentia et alios libros reiiciebant, quibus ipsorum haereses profligabantur, eadem et Marci Evangelium, utpote sibi adversum, reiecerint? Id enim ausi sunt, quod et recentiores haereticos fecisse deprehendimus, qui (2) cum se aut Machabaicorum librorum, aut Iacobi epistolae auctoritate a catholicis urgeri intelligerent, nec quomodo testimonia inde deducta eludere possent penitus invenirent, libros illos ipsos omnino reiecerunt; ut quibus armis a nobis premerentur, ea non tam retunderent, quam ex manibus extorquerent: infando certe ausu, ne dicam insano: quem, alios subinde atque alios libros tollentes, Sociniani secuti sunt, deinde increduli, qui eo demum sunt progressi, quo certe aliquando deveniendum erat; nempe ut omnium sacrorum librorum divinam auctoritatem et inspirationem denegarent. Ceterum cum Ebionaei, Cerinthiani, Merinthiani (3) Evangelia universa, praeter suum illud *secundum Hebraeos* hebraica lingua conscriptum, repudiarent, non id illis propositum erat, ut ab iis scripta inficiarentur, quorum nominibus ferebantur; sed tantum divinam illis auctoritatem denegabant, sive illa corrupta crederent, sive interpolata, sive alia omnino de caussa. Pari modo Marcionitae (4) nullum praeter Lucae Evangelium recipiebant, quod etiam ipsi corruperant; causati, Marcum, Ioannem et Matthaeum hebraeos gente fuisse, ac iudaicis fabulis Evangelia sua confersisse: Valenti-

---

(1) Vide Sixt. Senens. Bibl. Sanct. l. VII. haeres. III. — (2) Vide Du-Pin diss. prelimin. sur la Bibl. etc. — (3) Vide Epiph. haeres. XXVIII. n. V. haeres. XXX. n. III. V. et XII. Irenaeum l. III. cap. XI. n. 7. Philastr. de Haeres. cap. XXXVI. Adamant. de rect. in Deum fide sect. I. — (4) Epiph. haeres. XIII. n. IX. Irenaeus l. III. cap. XII. n. 12. Tertull. contr. Marcion. l. IV. c. III. et IV. Vide Milli Nov. Testam. prolegom. 308.

niani vero (1), reiectis ceteris, Ioannem tantum retinebant, eo quod admirabilem ac pene imperviam Evangelistae huius sublimitatem in suas partes facile pertrahi posse existimarent. Itaque hi omnes, non tam de Evangelii cuiusque auctore, quam de auctoritate, disputabant; quod quidem nihil in praesentia ad nos.

II. At non ita de iis Patribus statuendum, qui Marci Evangelium Petro apostolo tribuunt; quique ita fere de Marco loquuntur, ut nihil ipse in eius scriptionem, nisi amanuensis, aut interpretis ad summum, ministerium contulerit. Quorum verba antequam expendo, necesse est, quid de eiusdem Evangelii editione ceteri Patres tradiderint, breviter patefaciam. Ubi enim tum de caussa constiterit, qua motus Marcus illud ediderit, tum de editionis modo atque ordine; haud erit profecto operosum, Patres illos, licet verbis dissideant, ceteris Patribus conciliare. Ac rem quidem ita apud Eusebium (2) refert Clemens alexandrinus: *Ita religionis splendor mentibus auditorum Petri refulsit, ut nullo modo ipsis semel illum audisse satis esset, nec sacri praeconii non scripta traditione contenti essent; sed Marcum Petri auditorem, cuius extat Evangelium, enixe deprecarentur, ut doctrinae, quae sibi verbo tradita esset, scriptum aliquod monumentum relinqueret. Nec ab incepto destiterunt, nisi cum hominem tandem expugnassent, auctoresque fuissent Evangelii illius conscribendi, quod secundum Marcum appellari solet. Aiunt vero, Petrum, re cognita ex S. Spiritus revelatione, ardenti hominum studio tactum fuisse, suaque auctoritate in Ecclesiae usum scriptum illud comprobasse.* Eundem Clementis locum, verbis paullulum mutatis, alibi (3) etiam profert Eusebius, ubi addit: *Ἐπιγνόντα τὸν Πέτρον, προτρεπτικῶς μήτε χωλύσαι μήτε προτρέψασθαι: Petrum, cum hoc rescivisset, nec rem fieri prohibuisse, nec ut fieret homini persuasisse:* quod tamen minime vetat, ipsum deinde rem factam auctoritate sua comprobasse, licet dum fieret illam dissimulaverit, neque suasionem adhibuerit, aut dissuasionem: quae optima duorum locorum conciliandorum est ratio (4). Ceterum prioris illius narrationis testem, post Clementis verba relata, Papiam quoque hierapolitanum profert Eusebius (5), ita ut nemini mirum videri debeat, duorum illorum antiquissimorum scriptorum auctoritatem secutos Hieronymum (6), Bedam (7), Theophylactum (8) aliosque (9), eadem prorsus de Marci Evangelio in commentariis suis retulisse.

---

(1) Irenaeus. lib. I. cap. IX. n. 2. libr. III. cap. XI. n. 7. — (2) Clemens VI. ὑποτυπώσεων. apud Euseb. hist. Eccl. l. II. cap. XV. *Τοσοῦτο ἐπίλαμψεν ταῖς τῶν ἀκροατῶν τοῦ Πέτρου διανοίαις εὐσεβείας φέγγος, ὡς μὴ τῇ εἰσάπαξ ἱκανῶς ἔχειν ἀρκεῖσθαι ἀκοῇ, μὴ δὲ τῇ ἀγράφῳ τοῦ θείου κηρύγματος διδασκαλίᾳ· παρακλήσεσι δὲ παντοίαις Μάρκον, οὗ τὸ εὐαγγέλιον φέρεται, ἀκόλουθον ὄντα Πέτρου λιπαρῆσαι, ὡς ἂν καὶ διὰ γραφῆς ὑπόμνημα τῆς διὰ λόγου παραδοθείσης αὐτοῖς καταλείψοι διδασκαλίας· μὴ πρότερόν τε ἀνεῖναι, ἢ κατεργάσασθαι τὸν ἄνδρα, καὶ ταύτῃ αἰτίους γενέσθαι τῆς τοῦ λεγομένου κατὰ Μάρκον Εὐαγγελίου γραφῆς. Γνόντα δὲ τὸ πραχθέν, φασί, τὸν Ἀπόστολον, ἀποκαλύψαντος αὐτῷ τοῦ πνεύματος, ἡσθῆναι τῇ τῶν ἀνδρῶν προθυμίᾳ κυρῶσαί τε τὴν γραφὴν εἰς ἔντευξιν ταῖς Ἐκκλησίαις.* — (3) Hist. Eccl. lib. VI. cap. XIV. — (4) Vide Valesium in h. l. — (5) Hist. Eccl. l. II. c. XV. l. III. cap. XXXIX. — (6) De vir. illust. cap. VIII. — (7) Praefat. comm. In Marcum. — (8) Proleg. in Marcum. — (9) Anonym. Vatic. in Marc. apud Possinum in praefat. Cassiodor. Complex. in Epist. I. Petri C. V. v. 18. Victor. Antioch. in proleg. apud Possinum. Petr. Damiani Serm. XIV. et XV. Zonar. in Ann. l. XI. c. XI. Freculph. Chron. tom. II. l. I. cap. XX.

III. Porro alii ex Patribus, non tam quae ex Petro audierat Marcum litteris consignasse, quam Petro ipso dictante Marcum quae ab illo dicebantur exscripsisse, tradere videntur: imo non desunt, qui Evangelium ab ipso Petro conscriptum putent: quod si pro vero habeatur, iam non erit Marcus revera evangelista dicendus, sed evangelistae Petri exscriptor, aut translator: quod totius Ecclesiae sententiae et traditioni repugnat. Id tamen et Anastasius, sive quis alius pontificalis libri obscurus auctor, tradit in vita S. Petri, tum in commentario in Actus Apostolorum Theophylactus (1), et apud Calmetum (2) et Sollerium (3) alexandrinus patriarcha Melchitarum Eutychius; quorum loca utpote brevissima, libenter produco. Ac Anastasius quidem de Petro loquens: *Hic scripsit,* inquit, *duas epistolas, quae catholicae nominantur, et Evangelium Marci, quia Marcus auditor eius fuit, et filius de baptismate.* Eutychius vero: *Tempore Neronis Caesaris scripsit Petrus Apostolorum princeps Evangelium Marci cum Marco, lingua romana, in urbe Romae, et attribuit illud Marco.* Theophylactus denique (4): *Evangelium Marci dicitur Petri esse; quod quidem probabile est, cum apud Marcum Petrus, ceterique commorarentur.* His adde Basilii Menologium a Sirleto vulgatum (5): *Scripsit vero S. Dei Evangelium, quod eius nomine inscribitur, dictante Petro, Apostolorum coryphaeo.* Neque recentem esse hanc de Evangelio a Petro scripto sententiam, sed ipsis primis Ecclesiae saeculis apud nonnullos obtinuisse, Tertullianus in libris contra Marcionem demonstrat, ubi ait (6): *Evangelium, . . . quod Marcus edidit, Petri affirmari, cuius interpres Marcus. Capit,* inquit, *magistrorum videri, quod discipuli promulgarint.* Quin imo ab hac sententia haud multum distare ipse Hieronymus visus est, licet alias in contrarium deflectat, ut paulo infra videbimus. Siquidem ita ad Hedibiam (7) scribit S. Presbyter: *Habeat ergo* Paulus *Titum interpretem, sicut et beatus Petrus Marcum; cuius Evangelium, Petro narrante, et illo scribente, compositum est;* quae totidem fere verbis leguntur (8) et in *Synopsi Sacrae Scripturae,* quae sub Athanasii nomine circumfertur. Eius verba iam superius allata (9) libenter praetermitto. Verum non tanti haec facienda sunt, ut propterea conscripti Evangelii gloriam Marco nostro abripiamus. Nam, ad Eutychium quod attinet, quam illi parum fidendum sit idem Sollerius ostendit (10), qui haec ipsa non alia de caussa profert, nisi ut refutet: Auctorem pontificalis libri, quicumque demum ille fuerit, quam sublestae fidei sit norunt omnes, et ipse se statim prodit, qui subiicit, sancta quatuor Evangelia a Petro fuisse confirmata, et inde auctoritatem adepta esse; cum tamen constet apud criticos, Ioannem nonnisi aliquot post Petri mortem annis Evangelium suum conscripsisse: Theophylactus vero, quod et Auctori pontificalis libri et Eutychio commune est, nimis serus huius

(1) In Act. Apost. XII. v. 12. — (2) Praefat. in Marcum. — (3) In Hist. Patriarch. alex. in Marco, apud Bolland. tom. V. Iunii cap. I. n. 6. — (4) Theophylact. loc. cit. Τὸ Μάρκου Εὐαγγέλιον Πέτρου λέγεται εἶναι. Πυθανὸς δὲ ὁ λόγος, ἐξ ὧν καὶ πρὸς αὐτὸν κατέμενον ὅ τε Πέτρος, καὶ οἱ λοιποί. — (5) Ad diem XXV. Apr. Συνεγράψατο δὲ καὶ τὸ κατ' αὐτὸν ἅγιον Εὐαγγέλιον, Πέτρου τοῦ κορυφαίου τῶν Ἀποστόλων ἐξηγησαμένου αὐτῷ. — (6) Contr. Marcion l. IV. cap. V. Vide etiam Isidor. de vita et morte sanct. num. LXXXIV. — (7) Epist. CXX. al CL. quaest. XI. — (8) Apud Athan. tom. II. n. 76. — (9) Supr. cap. V. n. 2. — (10) Loc. cit.

rei testis producitur, utpote qui nonnisi saeculo XI. (1) floruerit. Adde, commentarium illud in Acta Teophylacto a viris doctissimis (2) abiudicari, quaeque de Marci Evangelio ibidem traduntur, iis, quae alibi (3) verus Theophylactus docet, omnino repugnare, ubi Clementis alexandrini verba, quae modo attulimus (4), fere exscribit. Neque diffiteor, etiam antiquiores nonnullos Evangelium illud Petro tribuisse: at qua id ratione accipiendum sit, explicat ipse, qui rem narrat, Tertullianus, dum ait: *Capit magistrorum videri, quod discipuli promulgarint:* hoc est: decet aut solet magistris adscribi, quod editur a discipulis: siquidem a magistris, quae scribunt, accepere. Atque hoc profecto sensu S. Hieronymi verba ad Hedibiam accipienda sunt, ne sibi ipsi adversari (5) videatur. Nam verba illa: *Petro narrante, Marco scribente*, non Petrum dictantem exhibent, Marcum vero ex ore Petri verba excipientem: sed tantum, *iuxta quod Petrum referentem audierat, Evangelium scripsisse*, quae sunt ipsissima Hieronymi verba in libro de viris illustribus, sive de scriptoribus ecclesiasticis. Consonat huic interpretationi Coptitarum traditio, quam ex codice Vaticanae Bibliothecae profert Guillelmus Bonjour (6). Siquidem Marci Evangelio haec inscriptio praemittitur: *Pervulgavit illud pater noster venerandus Petrus in civitate Romae; deinde scripsit illud Marcus.* Et sane rem ita gestam fuisse testes ex omni antiquitate luculentissimi tradunt. Nam ut Clementem, aliosque superius (7) relatos praetermittam, id docent Eusebius (8), Augustinus (9), Gregorius (10), Beda (11), Theodoretus (12), Chrysostomus (13), Nazianzenus (14), Cassiodorus (15), Petrus Damiani (16), Zonaras (17), quorum sententiis expensis, mihi videntur maxime probanda, quae de Marco refert Papias, vir ecclesiasticarum antiquitatum peritissimus, ac Apostolis fere suppar (18): *Marcum Petri interpretem, quaecumque memoria retinebat, diligenter scripsisse. Neque enim*, inquit, *ordinatim, quae Christus aut fecit aut dixit, prosecutus est, utpote qui nec audisset Christum, neque secutus esset. Sed postea, ut dixi, versatus est cum Petro, qui Evangelium ad audientium utilitatem, non ut rerum a Christo factarum dictarumve ordinem digereret, praedicabat: ita ut nihil peccaverit Marcus, si ita singula distribuit, prout ipsi memoriae suppetebant. Id unum sibi proposuerat, ne eorum quae audierat aliquid praetermitteret, aut ipsis falsum aliquid intermi-*

---

(1) Vide de Rubeis praef. in ven. edit. Oper. Theophyl. cap. IV. et V. — (2) Vide Finetti praef. in tom. III. op. Theophyl. sect. I. n. 3. — (3) Praefat. in Matth. praef. in Marc. etc. — (4) Supr. n. 2. — (5) Vide S. Hieron. praefat. ad comm. in Matth. de Viris illust. cap. VIII. etc. — (6) Exercit. in Coptic. Monu. Biblioth. Vatic. n. V. — (7) Supr. n. 2. — (8) Demonst. Evang. l. III. pag. 120. — (9) De consens. Evang. l. I. cap. I. n. 2. contr. Faust. l. XVII. cap. 3. — (10) Praefat. in lib. I. dialog. — (11) Praefat. in Marc. — (12) In praefat. hist. Relig. — (13) In Matth. Homil. I. n. 2. — (14) Carmin. XLIV. — (15) Complex. in I. Petri cap. V. v. 14. — (16) Serm. XIV. — (17) Lib. XI. cap. XI. annal. — (18) Apud Euseb. hist. Eccl. l. III. cap. XXXIX. Μάρκος ἑρμηνευτὴς Πέτρου γενόμενος, ὅσα ἐμνημόνευσεν ἀκριβῶς ἔγραψεν· οὐ μέν τοι τάξει τά ὑπὸ τοῦ Χριστοῦ ἢ λεχθέντα, ἢ πραχθέντα οὔτε γὰρ ἤκουσε τοῦ Κυρίου, οὔτε παρηκολούθησεν αὐτῷ· ὕστερον δὲ ὡς ἔφην Πέτρῳ, ὁ πρὸς τὰς χρείας ἐποιεῖτο τὰς διδασκαλίας· ἀλλ' οὐκ ὥσπερ, σύνταξιν τῶν κυριακῶν ποιούμενος λόγων. Ὥστε οὐδὲν ἥμαρτε Μάρκος, οὕτως ἔνια γράψας, ὡς ἀπομνημόνευσεν. Ἑνὸς γὰρ ἐποιήσατο πρόνοιαν οὗ μηδὲν, ὧν ἤκουσε παραλιπεῖν, οὐ ψεύδεσθαί τι ἐν αὐτοῖς.

sceret. Haec Papias, quae Marciani Evangelii a Petro conscripti fabulam evidenter evertunt. Quin imo tantum abest, ut Petrus Evangelium illud scripserit, imo vel aliquando de Evangelio scribendo cogitaverit, ut, teste Eusebio (1), humilitate ipsa sua ab eodem exarando deterritus omnino fuerit. Placet Eusebii ipsius locum afferre: *Petrus quidem*, inquit, *propter insignem humilitatem ab Evangelio scribendo abstinuit. Eius vero familiaris ac sectator Marcus dicitur, Petri de Christi factis sermones in commentarium retulisse*. Atque hinc factum putat Eusebius, ut ea praetermitteret Marcus, quae Petro decora esse poterant atque honorifica; ea vero fere omnia referret, et luculentius prosequeretur, quae in Petri dedecus et ignominiam cedebant. Cum enim nonnisi ex ore S. Apostoli evangelicam historiam didicisset, Petrus vero, quae in sui laudem verti poterant, ex animi sui modestia silentio praeteriret: quae vero ipse peccaverat, humilitatis gratia saepissime inculcaret: nil mirum, Marcum (2), qui nonnisi magistri sui sermones scriptis tradere sibi proposuerat, quae ille dissimulaverat reticuisse: ea vero latius explicuisse, quae ille identidem inculcabat. Quo posito, Cosmae indicopleustae (3) sententia aliqua ex parte defendi potest, qui Marcum Petro iubente scripsisse putat: non quod revera Petri iussu Marcus scripserit, sed quia historiam suam hac in re ad Petri ingenium, et fortasse etiam praecepta temperaverit. Rem universam eleganti tetrasticho complexus est quisquis ille fuit, qui singulis Evangeliis epigrammata praemisit in codice florentino bibliothecae S. Marci (4). Ipsum audi:

Ὅσσα περὶ Χριστοῖο θεωγόρος ἔθνεα Πέτρος
Κηρύσσων ἐδίδαξεν ἀπὸ στομάτων ἐριτίμων·
Ἔνθαδε Μάρκος ἄγειρε, καὶ ἐν σελίδεσσιν ἔθηκε·
Τοὔνικα καὶ μερόπεσσ' εὐάγγελος ἄλλος ἐδείχθη.

Quae ita vertere placet:

Omnia divino Petrus quae tradidit ore,
Dum Christi totum nomen diffundit in orbem,
Colligit hic Marcus sacris inclusa pagellis:
Seque novum vitae praeconem gentibus offert.

IV. Haec de Evangelii auctore Marco breviter dicta sint. Verum antequam manum de tabula tollo, scrupulus nescio quis lectori evellendus est, quem Augustini verba quaedam iniicere possent, quibus innuere videtur, Marcum non tam evangelium edidisse, quam Matthaei librum in compendium redegisse. Ita enim habet (5): *Marcus Matthaeum subsecutus, tamquam pedissequus et breviator eius videtur. Cum solo quippe Ioanne nihil dixit, solus ipse perpauca.*

---

(1) Eusebius Demonst. Evang. l. III. pag. 120. D. ὅγε μὲν Πέτρος οὐδὲ καθῆκεν ἐπὶ τὴν Εὐαγγελίου γραφὴν δι' εὐλαβείας ὑπερβολήν. Τούτου Μάρκος γνώριμος καὶ ποιητὴς γεγονώς, ἀπομνημονεῦσαι λέγεται τὰς τοῦ Πέτρου περὶ τῶν πράξεων τοῦ Ἰησοῦ διαλέξεις κ. τ. λ. — (2) Vide Petrum Damiani sermon. XIV. — (3) Libr. V. in Marco.— (4) Apud Lami de Erudit. Apost. cap. XIII. sect. I. § II. n. 1. — (5) De Consens. Evang. l. I. cap. II. n. 4. Vide etiam Chrysost. in Matth. hom. VII. n. 1.

Cum solo Luca pauciora, cum Matthaeo vero plurima; et multa paene totidem atque ipsis verbis, sive cum solo, sive cum ceteris consonante. Utrum hoc verissime ab Augustino dictum sit modo videbimus: at de Augustini mente dubitare non est. Ait enim Marcum, *videri pedissequum et breviatorem Matthaei;* et licet id non asserendo sed coniectando dicere videatur, cum tamen suspicionis suae caussas adiiciat, hoc sibi omnino videri apertissime manifestat. Nec *pedissequi et breviatoris* nomine aliud intelligit, nisi hominem ex Matthaei codice, quem prae oculis habet, excerpentem plurima, *et multa totidem paene ipsis verbis* exhibentem. Quod contra Baronium (1) et Cornelium a Lapide (2) dictum volo, qui cum in aliam prorsus sententiam abiissent, et tamen sibi Augustini auctoritate negotium facessere animadverterent, ita sancti Episcopi verba distorquere conati sunt, ut sin minus ipsis favere, attamen non adversari saltem videantur. Nam *breviatorem* intelligunt non qui aliena scripta in compendium redigat, sed qui eadem, quae alius refert, referat et ipse per se, sed brevius: quam significationem nec vox ipsa *breviatoris* reddere potest, nec quae apud Augustinum sequuntur ipsi tribui concedunt. Quanto satius erat Augustini verba ingenue et bona fide explicare, eundemque sibi adversum fateri, tum eius verba, si ita videbatur, productis aliis antiquitatis monumentis moderate refutare, quam ipsum invitum in propriam sententiam pertrahere quasi per vim? An si aliquando aut Augustinum, aut Hieronymum, aut alium ex SS. Patribus quemlibet in huiusmodi rebus, quae ad fidem non pertinent, modeste quis refellat, de re christiana actum erit? Et, hoc ne fiat, ipsorum verba pro lubito in quamcumque partem distrahere licebit? At id si cuique permittatur, universae criticae artis certitudo et vis quorsum evadet? Sed haec obiter, et aliqua ex parte extra rem. Ignoscendum tamen mihi, si aliquantisper viris alioquin doctissimis subirascar, quos non semel hac in re peccantes deprehendi.

V. Illud vero quantum est, quod, Augustini sententiam proxime ad veritatem accedere, quicumque Marci et Matthaei Evangelia invicem contulerit, statim deprehendet? Nam primum nihil a Marco referri, quod ibidem a solo Ioanne referatur, ex Ammonii canone (3) deprehendi potest, ubi nullus laterculus ponitur, in quo Marcus et Ioannes soli conveniant: quo etiam ex canone intelligere est, quae de Marci cum Luca et Matthaeo consensione tradit Augustinus, ea verissima ex omni parte esse atque exploratissima. Iterum quod habet sanctus Doctor de Matthaei et Marci non in rebus tantum, sed in verbis etiam convenientia, hoc quoque esse verissimum: si quis utrumque Evangelium invicem conferat, statim fatebitur; praesertim si animadvertat, leviores quasdam differentias ex eo ortas fuisse, quod non graecam Matthaei translationem nondum fortasse concinnatam, sed hebraeum ipsum Evangelii textum habuerit Marcus prae manibus, dum Evangelium suum exararet. Porro hanc in rebus

(1) Ad ann. Christi XLV. num XXXI. — (2) Praefat. in Marcum. — (3) Ammonii Canon extat apud Mill. post proleg. in Biblioth. Patrum Venet. t. II. pag. 531. etc.

narrandis Marci et Matthaei consensionem etiam Cosmas indicopleustes (1) animadvertit: verborum autem miram in utroque convenientiam Calmetus (2), Grotius (3), Richardus Simonius (4), et Ioannes Millius (5) oculatissimi critici deprehenderunt, ita ut Millius apertissime fateatur, se (6), *facta collatione singulorum utriusque Evangelii, quae quidem idem argumentum tractant, capitum, inevitabili plane necessitate coactum esse ut crederet, ne quidem aliter fieri potuisse, quin Marcus, qui cum Matthaeo in pluribus exacte ac veluti ad verbum convenit, Matthaei Evangelium habuerit ad manum, cum suum appararet: ex eoque nonnulla pro instituti sui ratione descripserit, idque propemodum αὐτολεξεί*, h. e. iisdem verbis: *insertis hinc inde, et adiectis insuper, quae ad historiam evangelicam illustrandam, ac perficiendam facerent.* Subiicit deinde Millius, Marcum, cum primum Evangelium scriberet, Matthaei codice minime usum fuisse; sed deinde cum codex ille in eius manus devenisset, plura ex eo decerpsisse, quae fere αὐτολεξεὶ inseruit Evangelio suo; quod tamen vix fieri potuisse putaverim, cum si a Marco ea tollas, quae cum Matthaeo omnino conveniunt, vix historiam aliquam inde conflare possis, quae Evangelii nomen promereatur. Ita enim disparata sunt quae inde supersunt. At quidquid demum de milliana hac hypothesi dicendum sit (neque enim de ipsa nunc quaero) certum est Marcum, dum scriberet, Matthaeum habuisse prae manibus, multa ex eo decerpsisse, et in compendium redegisse; quae vera est τοῦ *Breviatoris*, qua voce utitur Augustinus, significatio: ita ut nec Calvinus (7), nec Dodwellus (8) audiendi sint, qui Marcum ipsum Matthaei Evangelium prorsus ignorasse arbitrantur.

VI. At idem ipse Millius, qui tantam inter utrumque Evangelistam similitudinem intercedere demonstrat, ostenderat paullo ante (9) multa quoque esse, in quibus unus ab altero omnino discrepet, sive ea referat Marcus, quae Matthaeus praetermisit, sive ea silentio praetereat, quae in Matthaeo reperiuntur, sive denique quod Matthaeus integre narrat atque ex ordine, ipse ex parte tantum in suo codice repraesentet. Addit, quod etiam ab aliis (10) est animadversum, non eundem narrationis ordinem apud Marcum et Matthaeum reperiri, multa apud alterum anteponi, quae apud alterum postponuntur, et vicissim: plura etiam apud Marcum plenius et luculentius, quam apud Matthaeum digesta inveniri, quod *Breviatori* minime convenit. Quin imo illud etiam animadvertit, fieri saepissime, ut Marcus factum aliquod ex Matthaeo accipiens, illud quidem non integrum ac totum referat, sed tantum ex parte: at partem hanc ipsam ita explicet atque dilatet, ut plura a Matthaeo minime animadversa ibidem interserantur. Haec ut demonstret vir eruditissimus simul et patientissi-

---

(1) Cosm. Indicopl. lib. V. in Marco: Ἅπερ πάντα, καὶ αὐτὸς (ὁ Μάρκος) σύμφωνα τῷ μακαρίῳ Ματθαίῳ ἐφθέγξατο. *Quae omnia et ipse* Marcus *beato Matthaeo consona personuit.* — (2) Praefat. in Marcum. — (3) Praefat. in Marcum. — (4) Hist. Critiq. du Text. du Nouveau Test. chap. XI. — (5) Proleg. in Nov. Test. Graecum cum variant. num. 107. 108. — (6) Ibid. num. 109. — (7) Praefat. in Evangelia. — (8) In Irenaeum dissert. I. §. 39. — (9) Ibid. n. 103. et seqq. — (10) Cornel. a lap. in praefat. in Marcum Walchius hist. Eccl. saeculo I. cap. I. sect. II. §. XLIII. in notis Fabric. Biblioth. Graec. lib. IV. cap. V. etc.

mus singula ex utroque Evangelio loca profert, invicemque committit: quae apud illum videre poterit, si cui vacat. Porro si posteriores hasce Millii animadversiones cum praecedentibus conferamus, non iam sese invicem destruent, sed cuiusmodi Matthaei *Breviator* fuerit Marcus facile intelligemus. Nam nec omnia ex Matthaeo compilasse, atque in compendium redegisse, nec iterum omnia per se narrasse, dicendus erit: sed media quadam via in hac animadversione incedendum erit. Puto igitur, Marcum, cum a Romanis urgeretur ut ea quae apud ipsos Petrus praedicaverat litteris commendaret, Evangelium, quod ante ipsum beatus Matthaeus hebraea lingua vulgaverat, sumpsisse prae manibus, illudque sibi sequendum proposuisse. Nec tamen illius aut versionem aut compendium sibi concinnandum suscepisse, ita ut ab eius vestigiis numquam sibi esse discedendum putaret: sed pro ea libertate, quae scriptorem decebat, qui se quoque a Deo afflari cognoverat, ita in eius scriptione versatum fuisse, ut novum et ipse Evangelii codicem in multis a Matthaeo diversum concinnaret. Itaque nec ipsum a Matthaeo usurpatum res gestas narrandi ordinem sequi voluit; sed, quod etiam animadvertit Papias (1), illas prout memoriae succurrebant, in suo Evangelio distribuit, et, ut plurimum, quae a Matthaeo accepit, brevi compendio narravit, unde illi *Breviatoris* ab Augustino inditum nomen: et rursus nonnulla latius diduxit; plura etiam praetermisit, praesertim quae in Petri laudem cederent, ne singularem magistri sui modestiam et humilitatem offenderet: alia vero, quae Matthaeus praeterierat ob Petri reverentiam, adiecit: omnia denique ita proposuit, ut licet ea magna ex parte a Matthaeo fuerit mutuatus, non ipsum ipsissimum, sed aliud omnino Evangelium referret. Nec mihi quisquam succenseat, perinde ac si aliquid in hac hypothesi de Marci nostri laude detractum velim; ac vix aut ne vix quidem Evangelistae nomine dignum putem, qui, quae refert, eorum longe plurima aliunde acceperit. Nam et multa occurrunt, quae certe non ab aliis assumpsit, ut ea fere dicenda sunt, quae vel ipse tantum refert, vel in quibus cum Luca consentit; quae, cum Lucas nondum per ea tempora Evangelium vulgasset, ab illo nequaquam potuit accipere: et in iis etiam, in quibus illi cum Matthaeo convenit, multa esse debent, quae a Matthaeo non didicerit, praesertim si animadvertemus nihil a Matthaeo prorsus referri, cui, si illud in Marci Evangelio extet, non proprium aliquid et peculiare Marcus noster a Petro edoctus addiderit. Nec obiicias, si Matthaei Evangelium iam Romam delatum fuisset, nunquam Romanos Marcum, ut Evangelium et ipse conscriberet, fuisse rogaturos. Nam cum illud hebraice tantum extaret, (vix enim, ut credo, tam cito illud in graecam linguam translatum fuit, licet eius versio sit (2) antiquissima) cum, inquam, hebraice tantum extaret, nihil inde emolumenti Romanis hebraeae linguae ignaris poterat derivari: ut nihil mirum videri possit novam Evangelii editionem fuisse a Marco in eorum commodum comparatam.

---

(1) Apud Euseb. hist. Eccl. l. III. cap. XXXIX. Vide supr. n. 3. — (2) Vide Calmet praefat. in Matth.

Perperam autem opponit Simonius (1), Marcum non potuisse quicquam ex Matthaeo mutuari, nisi Apostoli Evangelium iam in graecam linguam translatum fuisset, aut Matthaeus ipse non hebraice, sed graece scripsisset. Nam id aut ex eo repetit, quod hebraeam linguam prorsus nescierit Marcus, aut ex ea non in rebus modo sed in verbis etiam consensione, quae in utroque Evangelista deprehenditur. At, si primum proponit, quaeram ego, quo tandem auctore demonstrabit, Marcum hebraicam linguam penitus ignorasse? si vero alterum, quid mirum si Marcus, et graecus Matthaei interpres, dum uterque eundem Matthaei locum convertunt, in verbis etiam conveniant? Si illi liberam, elegantem, et ad graecae linguae indolem accommodatam Matthaei versionem adornassent, cum eadem multis modis graece explicari possint, profecto tantam utriusque similitudinem minime deprehenderemus. Sed cum uterque, omni elegantiae et concinnitatis cura posthabita, hebraeum textum pede presso sequeretur, et verbum verbo redderet fidus interpres, qui fieri potuit ut non saepissime easdem etiam voces et verba repraesentaret? ita ut nihil opus sit cum Grotio suspicari (2), Marcum quidem hebraicum Matthaei exemplum prae oculis habuisse, graecum vero Matthaei translatorem, dum versionem suam adornaret, voces ex graeco Marci Evangelio fuisse mutuatum. Sed haec satis. Vide, si lubet, quae disputat in hanc rem Millius in prolegomenis (3).

CAPUT VII.

DE LOCO UBI MARCUS EVANGELIUM SUUM EXARAVIT.

I. *Marcum Romae Evangelium scripsisse tum Patres fere universi tradunt, tum graecae et orientalium Ecclesiarum testimoniis ostenditur.* II. *Refelluntur qui aut Aquileiae, aut in Aegypto scriptum Marci Evangelium existimant.*

I. Quaerendum nunc et de loco, ubi Marcus Evangelium suum exaravit; quod licet ex iis pateat, quae tradidimus capite praecedenti (4), tamen adhuc firmius roborandum est; ut, omni de hac re incertitudine sublata, quid de contrariis nonnullorum traditionibus sententiisque statuendum sit, intelligatur. Ac superius quidem, Clementis (5), Hieronymi (6), Eusebii (7), Bedae (8), Theophylacti (9) auctoritate interposita, necnon Zonarae (10), Cassiodori (11), Victoris antiocheni (12), et Petri Damiani, (13) Marcum Romae cum Petro commorantem Evangelium suum concinnasse probavimus: placet modo Irenaeum, et Georgium

(1) Hist. Critiq. du text. du Nouveau Test. chap. XI. — (2) Grot. praef. in Marc. — (3) Proleg. in graec. edit. Novi Test. n. 108. — (4) Num. 2. — (5) Apud Euseb. Hist. Eccl. l. II. c. XV. lib. VI. cap. XIV. — (6) De viris illust. cap. VIII. — (7) Hist. Eccl. loc. cit. — (8) Praefat. in Marc. comment. in I. Petri cap. V. v. 14. Vide Thom. Waldens. doctr. fidei l. II. art. I. cap. VII. n. 4. — (9) Proleg. in Marcum. — (10) Annal. lib. XI. cap. XI. — (11) Complex. in I. Petr. cap. V. v. 14. — (12) Proleg. in Marcum apud Possinum. — (13) Serm. XIV.

Tharasii patriarchae constantinopolitani Syncellum (1) adiicere, tum Eusebii exscriptorem Freculphum lexoviensem (2) et Syncelli, Anastasium bibliothecarium (3); Epiphanium (4) praeterea, Honorium augustudunensem (5), Cosmam indicopleusten (6), Anonymum Vaticanum apud Possinum (7), Luitprandum cremonensem (8), Auctorem commentarii in S. Marcum (9) inter opera S. Hieronymi, Isidorum denique hispalensem (10), et Nazianzenum (11), qui tamen non Romae, sed in Italia Evangelium illud scriptum fuisse testantur. Nec aliud sentire videntur, qui Marcum latine scripsisse tradidere, quorum loca tunc proferemus, cum eorum nobis sententia exponenda erit. Accedit communis fere et constans orientalium Christianorum traditio, quam ex sacris ipsorum libris haurire licet; in quibus fere semper romanae urbi huiusmodi gloria tribuitur. Nam ut graecos praetermittam, apud quos, Lamio (12) et Millio (13) testibus, saepe in mss. Evangeliorum codicibus haec nota Marci libro apposita reperitur: Τὸ κατὰ Μάρκον Εὐαγγέλιον..... συνεγράφη ἐν Ῥώμῃ κ. τ. λ. *Evangelium secundum Marcum Romae exaratum est etc.;* syriacum Marci Evangelium editum in Bibliis Londinensibus haec habet ad calcem: ܫܠܡ ܐܘܢܓܠܝܘܢ ܩܕܝܫܐ ܣܒܪܬܐ ܕܡܪܩܘܣ ܕܡܠܠ ܘܣܒܪ ܪܗܘܡܝܬ ܒܪܗܘܡܝ hoc est: *Finis Evangelii sancti, praeconii Marci, quod nuntiavit et locutus est latine Romae.* Hottingerus quoque (14) in syriaco quodam Evangeliorum codice saeculi XIII. haec ad Marci finem adiecta se reperisse testatur: ܫܠܡ ܠܡܟܬܒ ܐܘܢܓܠܝܘܢ ܩܕܝܫܐ ܟܪܘܙܘܬܐ ܕܡܪܩܘܣ ܡܣܒܪܢܐ ܕܡܠܠ ܘܐܟܪܙ ܪܘܡܝܬ ܒܪܘܡܝ ܩܕܝܫܬܐ idest: *Absoluta est scriptio Evangelii sancti, annuntiationis Marci praeconis, quod locutus est et pronuntiavit romane in Roma sancta.* Quae iisdem fere verbis habentur et in mediceo codice syriaco Evangeliorum anni DLXXXVI. a Lamio (15) commemorato. Eadem porro nota arabico et persico Marci Evangelio in Waltonianis Bibliis praefigitur, tum in coptico quodam Bibliothecae Vaticanae codice relato a Guillelmo Bonjour (16), ubi legere est: *Latine illud scripsit in magna civitate Romae;* quae quidem interpretationes ipsis codicibus longe antiquiores videntur, et ab iis derivatae unde arabica, persica et coptica translatio deductae sunt. Addam et mahumedani scriptoris de hac re testimonium, cuius locum ab Hottingero prolatum (17) invenio. Is est Achmet Ben-Edris, qui Christianorum Evangelia recensens, ubi ad Marcum ventum est, haec habet: *Evangelium Marci, qui ex numero fuit LXX. discipulorum, et annuntiavit Evangelium lingua franca,* hoc est latina, *in urbe Roma post ascensionem Messiae, super quem pax, anno duodecimo.* En itaque tibi constantem latinae, graecae et orientalis Ecclesiae traditionem de Marci Evangelio Romae composito, mahumedani scriptoris testimonio confirmatam.

---

(1) Chronogr. ad ann. mundi 5540. — (2) Chronic. t. II. l. I. cap. XX. — (3) In Petro. Histor. ad annum mundi MMMMMDXL. — (4) Haeresi LI. n. VI. — (5) De luminar. in Marco. — (6) Opin. Christ. de Mundo lib. V. in Marco. — (7) Praefat. in Marc. — (8) In Petro. — (9) Oper. S. Hieron. t. XI. praefat. in Marc. — (10) Prooem. in nov. test. — (11) Carmine XLIV. — (12) De Erudit. Apost. cap. XIII. sect. IV. n. XXI. — (13) In Variant. in Marc. c. XVI. v. 20. — (14) Dissert. de transl. Biblior. in ling. vernac. §. LIII. n. 3. — (15) De Erud. Apost. cap. XIII. sect. III. §. I. n. CXCVI. — (16) Monum. Copt. Bibl. Vatic. n. XIV. — (17) Dissert. cit. section. LVI. not. F.

II. Quae cum ita se habeant, nemo non videt quo loco habenda eorum sententia sit, qui illum aut Aquileiae, aut Alexandriae scripsisse tradiderunt, quos inter nollem etiam Ioannem Chrysostomum, memoria lapsum fortasse, recenseri. Et Aquileiae quidem ipsum Evangelium exarasse tradunt acta a Bollandianis vulgata (1) hisce verbis: *Evangelium quoque ibidem Domini, proprio fertur edidisse stilo, quemadmodum veterum scriptorum ad posteros transmissa monumenta declarant.* Quamvis, ut verum fatear, verba haec, non tam de composito Aquileiae a Marco Evangelio, quam de transcripto *proprio stilo*, hoc est, ipsius Marci manu, mihi esse videntur: quae traditio codicem illum respicit pro ipsius Marci *αὐτογράφῳ* pluribus ab hinc saeculis habitum, qui diu in foroiuliensis civitatis Ecclesia asservatus, tandem anno MCCCCXX. translatus est Venetias, et in Marciana Basilica inter thesauri cimelia reconditus; de quo et nos infra loquemur. Certe ita traditionem illam accepit Dandulus (2), ad hunc locum a Bollandianis productus: *Supplicantibus*, inquit, *neophytis, Evangelium suum transcripsit, et observandum dedit: quod usque in hodiernam diem in eadem Ecclesia devotissime veneratur.* Quod si revera de Evangelii compositione haec sunt intelligenda, traditionem nullo testimonio suffultam sanus quisque reiiciet. At qui in Aegypto scriptum illud tradunt, et antiquiores et magni nominis sunt: sed qui tamen nullo modo quae superius tradidimus possint labefactare. Horum, ut diximus, caput est ac princeps Ioannes Chrysostomus, cuius haec in homiliis in Matthaeum (3) verba sunt: *Dicitur autem et Marcus, discipulis illum cohortantibus, hoc ipsum in Aegypto fecisse,* hoc est, *Evangelium scripsisse.* Pari modo Isidorus hispalensis in chronico (4): *Marcus evangelista, Alexandriae Christum praedicans, Evangelium scripsit.* Addit Renaudotius (5): *sententiam esse, sed rariorem, obscurorum quorundam Aegyptiorum, Marcum quando Coptitis, seu Aegyptiis Evangelium praedicavit, coptice illud scripsisse;* idque tradi ab Abulbircat, et paucis aliis. Similia fere leguntur in fronte Evangelii S. Marci in Bibliis armenis: *Scripsit,* inquiunt, *Evangelium suum in urbe Alexandria in lingua aegyptiaca.* Nec maxime ab hac sententia discedere videtur auctor saepe a nobis laudatus Synopseos Sacrae Scripturae inter opera S. Athanasii vulgatus (6), dum tradit: *Marci Evangelium a Petro dictatum,* sive *pronuntiatum Romae fuisse: a Marco vero editum, et annuntiatum Alexandriae, tum in Aegypto, Pentapoli et Libya.* Haec illi: quae tamen omnia, excepto Chrysostomi loco, nullius certe ponderis esse, facile est demonstrare. Nam ad Isidorum quod attinet, animadverto primum, utrum liber chronicorum eiusdem revera sit, minime inter criticos (7) convenire; deinde, quicquid demum de chronici auctore statuatur, incerto Isidoro certum Isido-

---

(1) Ad diem XXV. April. cap. I. — (2) Chron. Venet. l. IV. cap. I. — (3) In. Matth. hom. I. n. 3. Λέγεται δὲ .... καὶ Μάρκος ἐν Αἰγύπτῳ, τῶν μαθητῶν παρακαλεσάντων αὐτόν, αὐτὸ τοῦτο ποιῆσαι. — (4) In Claudio ad ann. mundi MMMMMCCLII.—(5) Hist. Patriarch. Alexandr. n. I. pag. 6.— (6) Oper. S. Athan. t. II. pag. 155. edit. patav. n. 76. Τὸ κατὰ Μάρκον Εὐαγγέλιον ὑπηγορεύθη μὲν ὑπὸ Πέτρου τοῦ ἀποστόλου ἐν Ῥώμῃ· ἐξεδόθη δὲ ὑπὸ Μάρκου τοῦ μακαρίου Ἀποστόλου, καὶ ἐκηρύχθη ὑπ' αὐτοῦ ἐν Ἀλεξανδρείᾳ, καὶ ἐν Αἰγύπτῳ, καὶ ἐν Πενταπόλει καὶ Λιβύῃ. — (7) Vide Bellarm. de script. Eccl. in Isidoro, Labbe ibidem, Oudin tom. I. de script. Eccl. ad ann. DCXX. etc.

rum opponi, tradentem in prooemiis in Novum Testamentum, *Marcum Evangelium suum in Italia scripsisse;* in libro vero de vita et morte sanctorum (1) docentem, Marci *Evangelium nonnullos a Petro Romae dictatum* existimare. Quod vero ad Abulbircatum, sive, ut alii vocant, Abulbaracatum, aliosque Aegyptios scriptores spectat, optime monet Renaudotius (2), fuisse illos nescio qua in patriam charitate deceptos, absurdumque esse, Marcum, qui non in Aegypto tantum, sed in Libya, Cyrene, Pentapoli, Barca et Marmarica Evangelium erat annuntiaturus, lingua aegyptia potius quam graeca illud conscripsisse; cum graeca lingua apud gentes illas omnes, ne Aegyptiis quidem et Alexandrinis exceptis, obtineret, copta vero sive aegyptiaca a paucis tantum, iisdemque fere despectissimis (3) inter Aegyptios, usurparetur. Adde, inter ipsos Coptos, licet rerum suarum laudatores eloquentissimos, vix esse quemquam, si Abulbircatum aliosque obscuri nominis excipias, qui coptice Evangelium Marci editum tradat, sed omnes fere latine (4) conscriptum fuisse existimare; quod ostendit, Abulbaracatum, non iam communem suae gentis traditionem, sed propriam tantum sententiam exhibere. Sed quod me maxime movet illud est, quod Sollerius (5) Abulbaracati sententiam referens, licet eius verba minime proferat, ait, tradere illum: *Marcum Evangelium suum Romae scripsisse lingua franca* (latinam intelligit) *annis duodecim post Ascensionem Domini*. Cui potius credam, Sollerio ne an Renaudotio, cum mihi Abulbircati adeundi copia non sit, prorsus nescio. Attamen cum de mendacissimo scriptore (6) agatur, non est cur de vera eius sententia vehementer laborem. Quae tamen etsi ea sit, quam affert Renaudotius, nullius profecto ponderis habenda est. Idem et de armenia inscriptione dicendum: neque enim huiusmodi traditionibus orientalibus magnopere fidendum est. Quod si de coptica Evangelii scriptione traditio cadit per se, iam et altera illa cadat necesse est de eodem Evangelio apud Aegyptios conscripto, quae, nonnisi ut alteri illi suffragaretur, est excogitata. Quod autem habet auctor Synopseos nihil est; nam et graeca verba ita reddi possunt: *Marci Evangelium a Petro dictatum est Romae, a Marco vero editum: tum annuntiatum Alexandriae etc.* et iterum hoc modo: *Marci Evangelium a Petro dictatum est Romae: editum vero a Marco, et annuntiatum Alexandriae etc.* Si priorem versionem sequaris, quae mihi profecto maxime ad graecum textum videtur accedere, nihil inde extundes, quod aegyptiam scriptionem vel leviter innuat: si posteriorem, quam Maurini et Patavini Editores secuti sunt, Marcum quidem Evangelium in Aegypto edidisse recte deduces, non tamen in Aegypto scripsisse; cum profecto aliud sit librum conscribere, aliud eundem vulgare; praesertim si de eo libro sermo sit, quem Petrus ad verbum Romae dictaverit. Si enim hoc Synopseos auctor intelligit, fallitur ille quidem, ut superius innuimus (7); at non ita stultus habendus, qui putaverit, Petro Romae dictante, Marcum in

---

(1) Num. LXXXIV. — (2) Loc. cit. — (3) Vide Renaud. diss. de lingua coptica. — (4) Vide infra cap. IX. n. 2. — (5) Hist. Patriarch. Alexandr. praemiss. tom. V. mensis Iunii ad Act. Sanct. Bollandian. §. I. n. 10. — (6) Vide Sollerium loc. cit. — (7) Supr. cap. praeced. n. 3.

Aegypto Evangelium suum exscripsisse. Haec vero cum ita se habeant, tota difficultatis vis in Chrysostomi verbis sita est. Sunt autem illa aperta satis et perspicua; nec illa ego, quod a quibusdam fieri amat, per fas et nefas, quasi tormento quodam, in meam sententiam traducere conabor. Adversatur sane nobis in hac re Ioannes Chrysostomus, ultro fatemur. At unius Patris, magni licet et eruditissimi, sententiae totam retro antiquitatem, et omnium fere Ecclesiarum traditionem opponimus. Anne iniurii in ipsum videbimur, si humani aliquid passum in ea re eloquentissimum hominem existimabimus, sive illum falsum aliquod antiquitatis monumentum, sive ipsa memoria non ex scripto sed ex imparato concionantem fefellerit? Nam, ex abrupto ut plurimum concionari consuevisse Chrysostomum, certo constat (1). Quam vero facilis memoriae lapsus sit homini ita concionanti, et longa ipse experientia didici, et quicumque hanc dicendi rationem sequuntur, probe norunt.

CAPUT VIII.

DE ANNO CONSCRIPTI A MARCO EVANGELII.

I. *Annum statuere, quo Marcus Evangelium conscripserit, laboriosum est atque difficile.* II. *Affertur eorum sententia, qui Marcum sub Caio scripsisse tradunt, eaque breviter refutatur.* III. *Refelluntur qui sub Nerone scripsisse illum existimant.* IV. *Scriptum est Marci Evangelium sub Claudio. Id ex Actibus Apostolorum, et epistola S. Pauli ad Romanos demonstratur.* V. *Idem argumentum evolvitur et* VI. *Ex itinere S. Pauli romano et* VII. *Eiusdem ad Romanos epistolae locis nonnullis evincitur, primis Claudii temporibus Marcum Evangelium suum exarasse.* VIII. *Idem conficitur ex romanae Ecclesiae Claudii aetate amplitudine.* IX. *Argumentum concluditur, et SS. Patrum testimoniis roboratur.* X. *Alia Patrum testimonia afferuntur: tum idipsum ex quatuor Evangeliorum ordine ostenditur.* XI. *Expeditur Irenaei locus, eiusque conciliandi cum ceteris rationes afferuntur, nec tamen probantur.* XII. *Conclusio. Animadversio de anno scripti a Marco Evangelii quas afferat opportunitates.*

I. Perplexam sane atque operosam quaestionem aggredior de tempore conscripti a Marco Evangelii, quam, cum innumeris difficultatibus antiquorum scriptorum dissidium impediat, silentio praeterire libenter voluissem: praesertim cum eiusmodi ipsa sit, ut nec Evangelistae nostri gloriae quicquam addere possit, nec legentium animos cum voluptate aliqua detinere. Vix enim unum aut alterum inter lectores inveniam, quem chronologicae hae ambages delectent, ubi implicata omnia, atque spinis atque sentibus obsita esse videntur: et unde,

(1) Vide Montfaucon in vita S. Ioan. Chrysost. inter opera eiusdem t. XIII.

ubi diu multumque per confragrosa loca atque aspera erraveris, vix tandem cum aliquo diuturni laboris fructu possis evadere. Sed cum et suscepti a nobis operis ratio postulet, ut eam quaestionem minime indictam praetereamus, cui enodandae eruditissimi quique inter criticos (1) et chronologos (2) insudarunt; et magna inde in cetera Marci nostri acta vitamque universam oritura sit lux, placet ipsam quoque operosius evolvere: collatisque veterum scriptorum testimoniis et recentiorum sententiis, non quod verissimum atque exploratissimum sit, sed quod veritati proxime accedat, diligenter demonstrare. Quod si fastidiosum aliquem lectorem, et laboris minus patientem, huiusmodi senticetum ingredi pigeat: huic, quae de hac re disputamus, praeterire prorsus licebit; nil enim hinc de historiae nostrae integritate decedet. Ceterum non oscitantibus ac fastidiosis haec scribimus, sed laboriosis et diligentibus; perspicuitatis quidem curam omnino habituri, quantam tamen in re perplexa et impedita licebit.

II. Ac, ut ab veterum scriptorum testimoniis exordiar, mirum profecto, quanta de hac re sit inter ipsos dissensio. Nam, ut omittam Irenaeum, cuius sententia singularis prorsus, ceterisque omnino adversa, diligentius deinde (3) excutienda erit, licet inter omnes conveniat, viventibus adhuc Petro et Paulo apostolis scripsisse Marcum, quod ex iis etiam liquet, quae de loco conscripti Marciani Evangelii superius (4) disputavimus; quoto tamen redempti orbis anno id factum fuerit non constat: cum vix unus reperire sit, cui cum altero in anno illo assignando conveniat. Sunt enim qui sub Nerone scriptum Evangelium putent: sunt qui sub Claudio: nec desunt qui sub ipso C. Caligula. Porro iuxta potiores chronologos (5) anno aerae christianae XLI. occiso a Chaerea die IX. kal. Febr. Caligula, Claudius imperio potitus est, cui deinde mortuo III. idus Octobris anni LIV. Nero successit. Christi vero mors anno vulgaris aerae XXXI (6). vel XXXIII. (7) contigisse videtur, quamvis aliis etiam annis nonnulli (8) attribuant: ita ut ex hac ipsa veterum et recentium chronologorum dissensione, ingentes prorsus et quaestioni nostrae tenebrae offundantur. Sed si Petavii et Usserii sententiae, quod plerique faciunt nostra aetate, standum sit, iam primus Claudii annus in X. ab Ascensione Christi, sive XII. incidit, primus vero Neronis cum XXI. aut XXIII. ab eadem Ascensione conveniet. Hisce positis, singulas veterum sententias referamus. Ac ut ab iis incipiamus, qui sub Caligula Marcum Evangelium suum scripsisse putant, id innuere videntur Auctor chronici alexandrini (9) et Syncellus (10), qui tradunt Marcum in Aegyptum anno Claudii I. vel III. hoc est aerae vulgaris XLII. XLIV. Evangelium disseminasse, alexandrinaeque Ecclesiae praefuisse. Porro cum ceterorum omnium, quos infra adducemus, testimonio constet, Marcum antequam

---

(1) Baron. ad ann. XLV. n. XXIX. Vales. in not. ad Euseb. hist. eccl. l. II. cap. XV. et XVI. et l. V. cap. VIII. Massuet in Iren. l. III. cap. I. Grabe et Feu-Arden. in eund. loc. Sollerius. hist. Patriarch. Alex. §. I. num. 6. Millius Prolegom. n. 101. — (2) Pagius ad ann. Christi XLIII. Papebrok. Conat. Chron. Histor. ad catal. veter. pontif. — (3) Infr. n. XI. — (4) Cap. praeced. — (5) Usserium, Petavium, Pagium. — (6) Petav. — (7) Usserius. — (8) Vide Pagium ad ann. XXXII. sive XXXIV. — (9) Olympiad. CCIV. anno III. — (10) Ad ann. mundi MMMMMDXL.

in Aegyptum proficisceretur, Evangelium suum conscripsisse, ac Petro approbandum tradidisse, iam ex hoc ipso Syncelli et chronici alexandrini testimonio sequeretur, Marcum I. vel II. Caligulae anno fuisse Romae, ibidemque sub eius anni exitum, vel ad summum anni III. initio, Evangelium illud exarasse; imo necesse esset longe ante Romam cum Petro advenisse, quum antequam Evangelium scriberet, diu Romae praedicasset Petrus, diu ipse Petro adfuisset: haec enim omnia, ut diximus (1), ante Evangelium illud evenere. Verum plura sunt, quae hanc hypothesin omnino evertunt. Nam primum Auctor ipse paschalis chronici, qui haec ad annum III. Olympiadis CCIV. narraverat, paullo post ad annum I. Olympiadis CCVI. (2) refert: *Matthaeum omnium primum, ibi ad Hierosolyma Evangelium suum scripsisse*. Si itaque Matthaeus *primus omnium* scripsit anno I. Olympiadis CCVI., iam Marcus nondum suum exaraverat, quum anno III. Olympiadis CCIV. versaretur apud Aegyptios: ac proinde dicendum est chronici Auctorem existimasse, aut Marcum in Aegypto illud concinnasse, quod commentum superius (3) reiecimus, aut ipsum Alexandria iterum Romam profectum fuisse, ibique, postquam diu cum Petro versatus esset, Evangelio suo scribendo operam dedisse: tum, eo perfecto, atque Petri auctoritate probato, rediisse in Aegyptum, et usque ad mortem Alexandriae permansisse; obiisse vero Olympiade CCX. anno I.: quo pacto XXII. illi anni habentur, quos alexandrino Marci episcopatui ipse (4) tribuit. Neque enim puto, voces illas: *Ecclesias primus Alexandriae constituit, quibus praefuit annis XXII.*, ita esse accipiendas, ut Marcum Alexandria nunquam nec ad tempus abfuisse intelligamus, sed tantum aegyptiarum Ecclesiarum primatum XXII. circiter annos Marcum tenuisse. Sed de duplici Marci ad urbem alexandrinam itinere alibi (5). Ceterum haec omnia alio loco fortasse chronici Auctor narraverat: verum nescio quo fato post annum I. Olympiadis CCVI. habetur ingens XX. annorum lacuna. Ad Syncellum vero quod attinet, animadverte, illum quidem Evangelii a Marco scripti tempus sub anno mundi VM.D.XL., Christi vero XL. collocare: attamen deinde, omissis quinque intermediis, statim ad annum VM.D.XLVI. transire; ideoque quae sub eo anno posuit, ea per universum illud sexennium esse distribuenda: atque eius rei indicium esse, quod et romanum Petri iter, et annuntiatum ab eo Romae Evangelium, et Evangelii codicem a Marco conscriptum, et Marci in Aegyptum profectionem, et alia multa sub illius anni nota continenter commemorat. Cum vero annus Christi XL. idem prorsus sit apud Syncellum, ac postremus Caligulae et Claudii primus, siquidem, ut diximus, IX. kalendas Februarii Caligula interfectus est; sequitur, quae hoc loco habet Syncellus, ad VI. usque Claudii annum extendi posse. Quae omnia ostendunt, nullo modo Marciani Evangelii scriptionem ad extrema Caii Caesaris tempora posse referri, nec Syncelli aut chronici paschalis auctoritatem huic hypothesi quicquam patrocinari.

---

(1) Vide supr. cap. VI. n. 2. — (2) Chron. Pasch. l. c. Ματθαῖος πρῶτος ἐκεῖ εἰς Ἱεροσόλυμα γράφει τὸ Εὐαγγέλιον. — (3) Capit. praec. §. II. — (4) Olympiad. CCIV. ann. 3. Ἐκκλησίας πρῶτος ἐπ' αὐτῆς Ἀλεξανδρείας συνεστήσατο· καὶ προέστη αὐτῶν ἔτει κβ'. — (5) Infr. cap. XV. n. II.

III. Enimvero ut nimis conscripti Evangelii tempus retrahunt, qui illud sub Caligula exaratum putant, ita illud mea quidem sententia nimis protrahunt, qui sub Nerone. Placuit id magnis criticis Papebrokio (1) et Pagio (2), quos tamen vix alium quemquam deinde secutum existimaverim. Porro rei testem proferunt in libro *de mortibus persecutorum* Lactantium (3), romanum S. Petri iter ad Neronis tempora referentem: *Per annos XXV.*, inquit, *usque ad principium neroniani imperii per omnes provincias et civitates Ecclesiae fundamenta* Apostoli *miserunt. Cumque iam Nero imperaret, Petrus Romam advenit, et editis quibusdam miraculis, quae virtute ipsius Dei, data sibi ab eo potestate, faciebat, convertit multos ad iustitiam, Deoque templum fidele ac stabile posuit.* Idem habet et Eutychius in fragmento, quod anno MDCXLII. edidit Seldenus (4), cuius verba iam superius retulimus (5). Porro si nonnisi sub Nerone Romam venit Petrus, iam et Marcus nonnisi sub Nerone Evangelium conscripsit, utpote qui illud ediderit, ut Romanorum, qui Petrum audierant, desideriis obtemperaret. Verum quod habet hoc loco Lactantius a nullo veterum proditum est, quod ipse noverim: imo veterum omnium testimoniis, ut modo videbimus (6), adversatur. Eutychii vero magni fabulatoris (7) auctoritatem universae antiquitati opponere, prorsus est delirare. Addam etiam absurdum mihi videri, Petrum tamdiu principis illius Urbis, quae universae Ecclesiae metropolis futura erat, conversionem aggredi distulisse; ac errare basilice Lactantium, qui prima christianae religionis semina sub Nerone tantum iacta esse tradit, cum aliunde constet ex Svetonio, Claudium *Iudaeos, impulsore Chresto assidue tumultuantes, Roma expulisse* (8): hoc est, ut habent ad locum illum interpretes (9), Iudaeos, qui Christi ibidem annuntiati caussa cum christianis, qui et ipsi pro Iudaeis habebantur, perpetuo dissidebant, atque contendebant. Nam *Chrestum* pro *Christo* pronuntiasse olim paganos constat ex antiquis (10). Sed de expulsis a Claudio Roma Iudaeis paullo infra. Interim haec admonuisse satis erit, ut quanti Lactantii assertio facienda sit intelligatur.

IV. Superest igitur ut sub Claudio et Petrum Romam venisse, et Marcum Evangelium suum conscripsisse statuamus. Quod cum innumera prorsus veterum testimonia confirmant, quae deinde afferemus (11), tum etiam ex hac ipsa de Iudaeis Roma pulsis historia deduci potest. Siquidem inter hosce Iudaeos et Christianos quosdam fuisse, non interpretum modo coniectura est, sed ex ipsis Apostolorum Actibus patet, ubi narratur (12), Paulum, cum Corinthum venisset, apud Aquilam et Priscillam uxorem eius fuisse commoratum, *qui nuper venerant ab Italia, eo quod praecepisset Claudius discedere omnes Iudaeos a Roma.* Porro Aquila et Priscilla christiani erant, idque apparet, tum ex iis,

(1) In Conatu Chron. Histor. ad catal. vet. pontif. — (2) Ad ann. XLIII. sive XLV. — (3) Cap. II. — (4) Apud Soller. Histor. Chronol. Patriarch. Alex. §. I. n. 6. inter Bolland. tom. V. Iunii. — (5) Supr. cap. VI. n. 3. — (6) Infr. num. IX. — (7) Vide Renaud. praefat. in Hist. Patriarch. Alex. Sollerium loc. cit. Sandini Hist. Apost. in Marco interrog. VI. etc. — (8) In Claudio cap. XXV. Vide Act. cap. XVIII. v. 2. — (9) Vide Lorinum, et Du-Hamel in Act. Apost. l. c. — (10) Lucian. in Philopatr. Lactant. l. IV. cap. VII. Tertull. Apolog. cap. III. etc. — (11) Infr. n. IX. — (12) Act. XVIII. vers. I. et seqq.

quae deinde in Actis (1) de ipsis narrantur, tum ex eiusdem S. Pauli epistolis (2). Cum autem, teste Orosio (3), Iudaei Roma pulsi fuerint anno Claudii Caesaris IX., iam patet christianam fidem ante annum illum Romae fuisse praedicatam. Quin imo, christianos longe plurimos per ea tempora Romae fuisse, ex epistola ad Romanos evidenter pervincitur. Nam licet quo anno epistola illa scripta fuerit in incerto ponant critici; vivente tamen Claudio, aut ad summum sub ipsis neroniani imperii primordiis exaratam fuisse, facile est demonstrare: ita enim in ea loquitur Paulus, ut aperte pateat, illum nunquam Romae (4) fuisse. Atqui superius ostendimus (5), Paulum anno Neronis III. Romam advenisse, ergo ante annum illum epistola, qua de loquimur, scripta fuit.

V. Sed neque toto illo Neronis biennio, quod romanum Pauli iter praecessit, scripta esse potuit: quod, qua ratione ex Actibus Apostolorum colligam, breviter habe. Paulus cum in Graecia et fortasse Corinthi (6), ubi epistola ad Romanos scripta putatur (7), tres menses esset commoratus (8), ac Hierosolyma solvendi voti, et eleemosynarum deferendarum causa (9) pergere constituisset, itinere per Macedoniam suscepto (10), Philippos perrexit (11); eleemosynisque collectis (12), in Asiam minorem enavigavit. Cum autem Philippi CCC. circiter passuum M. a Corintho distent terrestri itinere, et S. Paulus dies aliquot, Paschae celebrandi caussa (13), ibidem commoratus fuisse videatur, profecto huic Apostoli itineri saltem XX. dies tribuendos esse nemo negaverit. Philippis igitur post Pascha discedens, Troadi primum appulit (14), deinde maritimis modo, modo terrestribus itineribus (15), tandem circa festum Pentecostes (16) venit Hierosolyma. Exactis vero diebus septem (17) templum ingressus est: sed tumultuantibus repente in ipsum Iudaeis, a Claudio Lysia romanae cohortis, quae Hierosolymis morabatur, tribuno in vincula coniectus est (18), et postero die ab eodem iussus est, caussam suam e vinculis perorare (19). Biduo vero interiecto, ab eodem Lysia ad Felicem praesidem, qui Caesareae morabatur, sub custodia missus (20), quinto deinde die (21) coram eodem Felice Iudaeorum accusationibus respondit; sed cum Felix sententiam proferre noluisset (22), iterum in carcerem trusus, ibi usque ad Festi, qui Felici suffectus fuit, adventum detentus est. Quantum autem temporis Caesareae in carcere servatus fuerit Paulus, pro certo constituere non est. Integrum biennium nonnulli statuunt (23), ipsis Actorum (24) verbis inducti: *Biennio autem expleto, accepit successorem Felix etc.* At vox biennii tum ad captivitatis paulinae tempus, tum

---

(1) Ibid. v. 18. et 26. — (2) Rom. XVI. v. 3. I. Corinth. XVI. v. 19. II. Timoth. IV. v. 19. — (3) Libr. VII. cap. VI. histor. — (4) Cap. I. v. 10. et seq. XV. v. 20. et seq. — (5) Supr. cap. II. n. IV. — (6) Vide Du-Hamel. Calmet. etc. praefat. in epist. ad Romanos. — (7) Vide Paulli iter in tabula geographica a nobis descripta. — (8) Act. XX. v. 3. — (9) Ibid. cap. XXIV. v. 27. — (10) Ibid. XX. v. 3. — (11) Ibid. v. 6. — (12) Vide ad Rom. XV. v. 26. — (13) Ibid. v. 6. — (14) Ibid. — (15) Vide Act. cap. XX. a vers. 6. ad finem, tum cap. XXI. a vers. I. ad vers. 17. — (16) Act. cap. XX. v. 16. — (17) Ibid. cap. XXI. v. 27. — (18) Act. XXI. v. 31. 32. 33. — (19) Ibid. v. 30. — (20) Ibid. cap. XXIII. v. 23. 24. 32. 33. — (21) Ibid. cap. XXIV. v. 1. et seqq. — (22) Ibid. v. 22. — (23) Natal. ab Alex. Histor. Eccl. saec. I. diss. XIII. prop. III. — (24) Ibid. XXIV. 2. 27.

ad Felicis praeturam, quae non ultra biennium perduravit, referri potest (1). Certum tamen est, aliquot saltem menses Paulum ibi in custodia fuisse: quae enim in Actibus referuntur (2), satis longum temporis spatium efflagitant; nosque, XIII. omnino menses huic captivitati tribuendos esse, ostendemus. Venit igitur in provinciam Festus, et cum post triduum (3) Hierosolymam ascendisset, ibique octo aut decem dies (4) esset commoratus, Caesaream revertitur, ac Paulum postridie (5) coram se sisti iubet. At ille dum caussam suam agit, in illa actione ad Caesarem provocat (6), ac inde fit ut iterum in custodiam mittatur. Post aliquot dies (7), octo puto aut decem, *Agrippa rex et Berenice descenderunt Caesaream ad salutandum Festum, et cum plures dies demorarentur,* puto XV. saltem aut XX., *Festus regi indicavit de Paulo, dicens: Vir quidam derelictus a Felice vinctus etc.* Itaque postridie (8) Paulus ad Agrippam adducitur, quo audiente, multa de Christo disputat tanta eloquentiae vi, ut Agrippa rerum veritate captus (9) Paulum omnino absolvendum ac dimittendum diceret (10), nisi ad Caesarem provocasset. Itaque cum demum constituisset Festus ipsum ad Caesarem mittere, navi imponitur, custodiendusque Iulio centurioni traditur (11), quocum in Lyciam navigavit (12): ubi inventa navi alexandrina, quae in Italiam solvere debebat, eandem conscendit, eademque vectus Thalassum, sive, ut habet graecus (13), Lasaeam (Λασαίαν) pervenit. Ibi autem usque ad *ieiunium* permansit (14), hoc est usque ad ieiunium mensis Tisri, quod a Iudaeis κατ' ἐξοχήν *ieiunium* vocari solet (15). Tisri autem fere Septembri nostro respondet (16).

VI. Hic liceat mihi parumper sistere, et temporis summam subducere. Pascha Iudaeorum die XIV. primi mensis, sive *Nisan,* celebrabatur; ieiunium vero magnum die X. mensis septimi, sive *Tisri.* Itaque inter Pascha et ieiunium magnum nonnisi dies CLXXIII. circiter intercedebant, cum Iudaei lunaribus mensibus uterentur, qui alternatim diebus XXIX., aut XXX. constabant. Confer, si placet, kalendarium hebraeum a Sigonio (17) vulgatum. Pentecostes vero festum, cum quinquagesimo a Pascha die celebraretur, ab hoc ipso Tisri ieiunio nonnisi dierum CXXIII. spatio distabat. Porro Paulus circa Pentecostem, ut diximus (18), a Lysia in carcerem detrusus, post ieiunium Tisri adhuc Thalassae versabatur. Subduc tempora, et quaere utrum ea omnia, quae illi interea contigere, CXXIII. dierum spatio perfici potuerint.

---

(1) Vide Du-Hamel. et reliq. Interpret. in h. l. — (2) Ibid. v. 23. 24. 25. 26. — (3) Ibid. XXV. v. 1. — (4) Ibid. v. 6. — (5) Ibid. — (6) Ibid. v. 10. 11. 12. — (7) Ibid. v. 13. 14. — (8) Ibid. v. 22. 23. — (9) Ibid. cap. XXVI. v. 28. — (10) Ibid. v. 32. — (11) Ibid. cap. XXVII. v. 1. — (12) Ibid. v. 5. et 6. — (13) Ibid. v. 8. — (14) Ibid. v. 9. — (15) Vide Du-Hamel, Grotium et interpret. in h. l. — (16) Vide Sigon. de Rep. Hebraeor. lib. III. cap. XVIII. — (17) Ibidem. — (18) Num. praeced.

PENTECOSTE

Paulus die Pentecostes octavo in carcerem truditur.	8
Postridie caussam suam e vinculis dicit.	1
Biduo interiecto mittitur Caesaream.	2
Dies itineris.	1
Quinto die Caesareae respondet Iudaeis.	5
Iterum in carcerem truditur usque dum Festus adveniat.	
Venit Festus in provinciam, et post triduum ascendit Hierosolymam, ibidemque per octiduum moratur.	11
Dies itineris Festi.	1
Postridie Paulus se purgat, et ad Caesarem provocat.	1
Agrippa rex post dies octo venit Caesaream.	8
Idem post dies quindecim Paulum audit.	15
Pauli navigatio incipit, et post dies XXXV. adhuc Thalassae moratur.	35
	88

Dies XXXV. navigationi huic assigno, eo quod S. Lucas asserat (1), Paulum non recto itinere navigasse, sed littus legisse (2), ac contra Sidonem progressum, Cypro superata, Ciliciae et Pamphiliae mare tenuisse: tum in Lycia Paulum, priori navi relicta, alexandrinam aliam conscendisse, *cumque multis diebus tarde adnavigaret, et vix devenisset contra Gnidum*, quae urbs est Cariae in promontorio, *prohibente vento*, ad meridiem deflexo cursu, primum Salmonem, deinde Lasaeam, quae Cretae urbs erat, applicuisse; ibidemque usque ad diem X. Tisri permansisse. Haec omnia XXXV. saltem dierum tempus postulare geographicae et nauticae rei periti facile concedent: cum ultra DCC. passuum milia cursus ille patuerit, innumerisque prorsus difficultatibus fuerit impeditus. Habemus igitur dies ferme LXXXVIII. a Paulo hoc modo transactos. Hos si a summa dierum CXXIII. deducas, supererunt ad summum dies XXXV., quos Caesareae in carcere, Festi adventum opperiens, transegerit. Atqui ex Actibus constat (3), diuturniori tempore in carcere fuisse: ergo necesse est Festi adventum in sequentem annum differre; ita ut Paulus circa Pentecostem missus fuerit in carcerem Hierosolymis, deinde Caesaream traductus, ibidem per menses integros XIII. in custodia permanserit, tum navi impositus anno insequenti, circa Tisri ieiunium Thalassam pervenerit. Igitur a Pauli captura ad eius adventum in Cretam menses ferme XVI. supputandi sunt. His adde dies LXXX. inter eius a Corintho discessum capturamque interiectos, et iam mensium fere XIX. spatium a Paulo insumptum invenies. Porro Lasaea solvens Paulus, et Cretam ad meridiem legens, cum Claudam (4) sive Claudiam pervenisset, ingenti tempestate per dies XV. iactatus (5), tandem Melitae applicuit (6), sive illa Melita

(1) Act. XXVII. v. 2. et seqq. — (2) Vide tab. geograph. — (3) Act. cap. XXIV. v. 22. et seqq. — (4) Act. XXVII. v. 16. — (5) Ibid. v. 33. 39. — (6) Ibid. XXVIII. v. 1.

fuerit Siciliae atque Africae interiecta, Hierosolymitanorum Equitum iamdiu sedes; sive Melita altera in Adriatico, obiecta Illyrico, quae nunc *Meleda* ab geographis appellatur. Ibidem tres integros menses (1) mansit, tum Siciliae littus ac Syracusam praetergressus, Rhegium Calabriae venit, postea Puteolos, demum Romam; cum tamen in itinere et Syracusae (2) triduo, et Puteolis (3) septem diebus substitisset. Itaque V. circiter mensium spatio Lasaea Romam pervenit Apostolus, quos si ceteris XIX. superius numeratis addideris, constabit, cum primum Romam advenit Paulus, iam biennium integrum, ex quo Corintho digressus fuerat, praeteriisse. Biennium dico, cum tamen longe probabile sit maius adhuc tempus interfluxisse. Siquidem in supputatione nostra brevissimum unicuique rei tempus adsignavimus; cum tamen multa sint, quae maius fortasse temporis spatium efflagitarent. At cum biennii spatium in rem nostram sufficiat, nihil ulterius desideramus. Hucusque de romano Pauli itinere. Haec vero quomodo rem nostram respiciant, breviter videamus.

VII. Cum in epistola ad Romanos Paulus, se nunquam Romae fuisse, ostendat (4); et praeterea se Romam venturum dicat (5) postquam hierosolymitanum iter confecerit, cui (6) se propediem commissurum dicit, ut Achaeorum et Macedonum eleemosynas christianis, qui in sancta civitate morabantur, adferret; iam constat, epistolam hanc a sancto Apostolo antequam hierosolymitanum iter susciperet, fuisse conscriptam; id est biennio et ultra antequam Romam inviseret. Atqui Romam tertio Neronis anno pervenit; ergo epistola vel primo eiusdem Caesaris anno, vel fortasse etiam extremis Claudii temporibus scripta est. Nec sine caussa postrema Claudii tempora commemoravi. Quis enim mihi unquam ostendere poterit, eo ipso die, quo Corintho digressus est, Paulum epistolam illam scripsisse, ita ut biennio, quod Paulus in sua illa peregrinatione insumpsit, ne una quidem dies adiicienda sit? Atqui refert S. Lucas (7), Paulum Epheso profectum in Macedoniam ivisse, *cumque perambulasset partes illas,* hoc est, cum aliquandiu regionem illam perlustrans ibidem constitisset, in Graeciam transiisse, ac post tres menses, tum demum de hierosolymitano itinere cogitasse: inde recta in Syriam vela dare voluisse. Sed cum ab Iudaeis insidias sibi parari intellexisset, repente mutato consilio iter per Macedoniam arripuisse. Quaero itaque, nonne V. aut VI. aut plures fortasse menses habemus, quibus epistola illa scribi potuit? Quid si non iam dies viginti, ut supponere superius placuit (8), sed longe plures in secundo hoc Macedoniae itinere insumpsit, quo commodius erogatas in hierosolymitanos fratres eleemosynas colligeret? Id si mihi concedas, iam non sub Nerone, sed Claudio adhuc in vivis agente, epistolam ad Romanos scriptam fuisse, constabit. Nam si paulinae peregrinationis biennio menses tantum VI. adiicias, erit epistola illa trigesimo mense, antequam Paulus Romam perveniret, conscripta. At ille ex nostra supputatione (9)

---

(1) Actor. XXVIII. v. 11. — (2) Ibid. v. 12. — (3) Ibid. v. 14. — (4) Rom. cap. I. v. 11. et seqq. cap. XV. v. 19. 20. 22. 23. — (5) Ibid. cap. XV. v. 28. — (6) Ibid. v. 23. 24. — (7) Act. XX. v. I. et seqq. — (8) Supr. num. 5. — (9) Num. praeced.

V. post ieiunium Tisri mense, hoc est medio Februario, Romam pervenit, anno III. Neronis, qui annus iuxta Usserium et Petavium incidit in annum Christi LVI.; ergo epistola ad Romanos scripta fuit anno Christi LIV. mense Augusto fere medio. Sed iuxta eorundem supputationem nonnisi post diem III. idus Oct. anni eiusdem Nero imperium suscepit: ergo Claudio adhuc vivente ad Romanos epistola data est. Verum haec ex coniectura. Illud tamen certum, non ultra neroniani imperii exordia posse differri: quod mihi perinde est, ac si sub Claudio scripta habeatur. Porro quid de romana Ecclesia habet in illa epistola S. Paulus? Multa profecto, quae ostendunt, illam et iamdiu constitutam fuisse, et florentissimam, atque toto orbe celebratissimam tunc temporis extitisse. Ait enim (1): *Primum quidem gratias ago Deo meo per Iesum Christum pro omnibus vobis, quia fides vestra annuntiatur in universo mundo.* Subiicit deinde iamdiu esse (2) ex quo aveat romanos fideles invisere: *ut vos,* inquit (3), *confirmem, id est, ut utrique simul mutuum solatium capiamus, ego quidem ex vestra fide, vos ex mea.* Haec certe Ecclesiam ostendunt non modo nascentem, sed adultam satis et firmam. Perge porro: *Certus sum,* inquit (4), *fratres mei, quoniam et ipsi pleni estis dilectione, repleti omni scientia, ita ut possitis alterutrum monere.* Tum paullo post (5) sese ipsum purgans, quod Urbem illam nondum adierit, illud sibi praecipue in caussa fuisse ait, quod sibi propositum fuerit: *Ibi tantum praedicare Evangelium, ubi nondum nominatus esset Christus, ne super fundamentum ab aliis positum aedificare,* videretur. Quod profecto, nisi omnia me ludunt, Petrum respicit, qui Romae iam Evangelium disseminaverat. Quin imo et illud animadverto, S. Paulum in hac epistola ita cum Romanis molliter agere, ut licet illos aliquando reprehendat, ita tamen obiurgationes, imo admonitiones ipsas temperet, ut nescio qua erga illos reverentia cohiberi videatur. Sic in allato superius loco, cum dixisset: *ut vos confirmem,* statim, ne ipsos hoc verbo, quasi confirmationis indigos, offenderet, vocem illam explicat dicens: *Idest ut utrique etc.* Sic alibi (6): *An ignoratis fratres (scientibus enim loquor) quia lex etc.,* mitigans scilicet interposita parenthesi prioris verbi asperitatem. Demum, ut alia omittam, sub epistolae finem (7) veniam ab ipsis petit eo quod *audacius illis aliqua ex parte scripserit;* sed libertatis suae caussam praetendit, quod ipse *minister Christi Iesu in gentibus esset;* ita ut patienter Romanis ferendum esset, qui et ipsi ex parte saltem ex gentibus erant, si aliquando paullo asperius in illa epistola habiti essent. At unde tanta Pauli in hac epistola mollities, atque circumspectio? Non ita ille certe aut Corinthios (8) habuit, aut Galatas (9), aut Hebraeos (10), quos identidem severissime castigavit in epistolis: imo non in epistolis tantum, sed coram etiam, ut ex secunda

---

(1) Rom. cap. I. v. 8. — (2) Ibid. v, 10. et 13. Vide etiam cap. XV. v. 23. — (3) Ibid. v. 11. 12. iuxta graec. text. *εἰς τὸ στηριχθῆναι ὑμᾶς, τοῦτο δέ ἐστι συμπαρακληθῆναι ἐν ὑμῖν διὰ τῆς ἐν ἀλλήλοις πίστεως ὑμῶν τέ καὶ ἐμοῦ.* — (4) Ibid. cap. XV. v. 14. — (5) Ibid. v. 20. et seqq. — (6) Ibid. cap. VII. v. 1. — (7) Ibid. cap. XV. v. 15. et seqq. — (8) I. Corinth. I. v. 12. et seqq. IV. v. 10. V. v. 2. VI. v. 5. IX. v. 1. XI. v. 18. XIV. v. 26. II. Corinth. VII. v. 8. etc. — (9) Galat. III. v. 1. — (10) Hebr. cap. V. v. 11.

ad Corinthios (1) videre est. Atqui totum id Petro tributum puto. Cum enim ille romanam Ecclesiam fundasset, ac de illo Apostolo vehementer gloriarentur Romani, cavendum maxime erat Paulo, ne in alienam messem falcem immittere videretur, praesertim cum in ea epistola (2) de quaestione illa etiam ageretur, cuius caussa haud leve aliquando (3) dissidium Petrum inter et Paulum intercesserat. Itaque Paulus, Romanos demulcens, ait, scribendi illis sibi licentiam assumpsisse, eo quod ipse gentium esset Apostolus a Deo institutus; et tamen audaciae suae veniam petit, cum iis scribat, qui ab ipso Apostolorum principe edocti, *repleti sint omni scientia, ita ut possint ipsi per se invicem sese commonefacere*. Quod si etiam demus, nullam in illa epistola Petri rationem habuisse sanctum Apostolum; nemo tamen negabit, optime ex illa epistola constare, romanam Ecclesiam tunc maxime floruisse, ac proinde non iam paullo antea, sed multo prius constitutam fuisse. Cum autem Claudius XIII. tantum annos imperium tenuerit, profecto dicendum est, eius anno III. aut IV. Petrum Romam advenisse, Ecclesiamque fundasse; ita ut inter eius praedicationem et Pauli epistolam decennium circiter interiectum fuerit. Vix enim videtur, minori temporis spatio Ecclesiam illam ad tantam gloriam atque celebritatem assurgere potuisse.

VIII. Idem et invidia illa ac contentio ostendit, quae inter Christianos ex circumcisione, et Christianos ex Iudaeis orta erat in ipsa Ecclesia, cui compescendae tota fere epistola illa comparata est. Nam valde diffusam fuisse Ecclesiam hanc oportet, quae tot ex gentibus in sinum receperat, cum, ut alibi diximus (4), Apostoli in unaquaque urbe Iudaeis quidem ante omnes convertendis laborare consueverint, et tunc demum ad gentes deflectere, cum ab Iudaeis repellerentur. Quid quod capite ultimo, cum multis salutem mittat Paulus, omnes illi aut graecis aut latinis nominibus nuncupat, una excepta Maria? Equidem haud diffiteor fuisse inter illos fortasse ex circumcisione nonnullos, pro illius aetatis (5) more, latinis nominibus appellatos, ut Aquila et Priscilla, qui inter ipsos occurrunt; attamen, cum nullum inter illos hebraeum nomen habeatur, magna mihi suspicio oboritur, illos ex gentibus fuisse magna ex parte. Quod si *Narcissus* (6), cuius domesticis salutem mittit Paulus, quemadmodum eruditis nonnullis (7) visus est, celebris ille libertus esset, qui magna apud Claudium polluit auctoritate (8), idque posset evidenter ostendi: iam et domesticos illos ex gentibus magna ex parte fuisse constaret, et rursum epistolam sub Claudio scriptam fuisse; cum, teste Tacito (9), Nerone vix imperium adepto, Narcissus ab Agrippina ad mortem adactus fuerit. Sed haec incerta.

IX. Enimvero si iam adulta tunc temporis et celebris romana erat Ecclesia, haud dubitandum, ut dixi, longe antea a Petro fuisse fundatam, a Petro,

---

(1) Cap. X. v. 10. et seqq. — (2) Ad Rom. cap. XIV. v. 2. et seqq. — (3) Galat. II. v. 11. — (4) Supr. cap. IV. n. 5. — (5) Supr. cap. I. n. 6. — (6) Rom. XVI. v. 11. — (7) Vide interpret. in h. l. — (8) Tacit. Ann. XI. n. 30. 38. etc. XII. 1. etc. Vide Sveton. in Claudio. — (9) Ann. XIII. n. 1. Vide etiam Dion. Cass. Hist. Roman. libr. ult. sub. finem.

inquam, cui universa retro antiquitas (1) conditam Ecclesiam illam attribuit. Si vero a Petro longe ante fundata, iam et Marcus, perpetuus Petri comes et interpres, eiusque in peregrinatione socius Romae et ipse longe ante fuerat, et Evangelium suum in Romanorum gratiam evulgarat. Hinc haud perperam illud Marcum sub Claudio edidisse plurimi Ecclesiae Patres tradidere: ac licet quoto Claudii anno id factum sit, inter ipsos non conveniat, certum tamen est, neminem esse, qui ultra quartum eius imperii annum editionem illam producat. Ac Theophylactus (2) quidem, et Euthymius (3) annum statuunt X. post Christi Ascensionem, qui annus iuxta Petavium (4) in primum Claudii incidit, iuxta Usserium (5) vero Claudii tertio respondet. Eundem X. post Ascensionem annum exhibent in notis Marci Evangelio appositis graeca quaedam exemplaria manuscripta apud Lamium (6), Richardum Simonium (7), Millium (8), et Millii editorem Ludolphum Kusterum (9): quos inter Simonius codicis cuiusdam meminit saeculi X., Cypro advecti, qui in Colbertina Bibliotheca asservatur. At, ne primum Claudii annum admittamus, maxime facit S. Lucae in Actis Apostolorum auctoritas (10), ex quibus constat, non ante tertium eiusdem Claudii annum Petrum Romam venire potuisse. Refert enim sanctus Evangelista, cum Petrus e carcere ab Angelo ereptus fuisset, Herodem Agrippam iratum Caesaream commigrasse, ibique aliquandiu moratum, mortem obiisse. Ac quantum quidem temporis inter Petri liberationem, et Herodis mortem intercesserit ex Actis non patet; attamen haec non magno inter se intervallo distare, ex ipso narrationis ordine facile intelligitur. Siquidem convenit inter chronologos (11), quarto Claudii anno Herodem obiisse: ac proinde, licet daremus inter Petri fugam, et regis huius mortem annum integrum interfluxisse, ac Petrum vix ex carcere elapsum romanum iter arripuisse, non ille tamen ante tertium Claudii annum Romam potuit pervenire. Atqui hoc ipso anno Romam illum venisse putaverim, eodemque ipso, vel pene sequenti, Marcum Evangelium suum concinnasse. Favent autem huic sententiae ex antiquis longe plurimi. Nam, ut omittam quos supra dixi conscripti Evangelii tempus anno a Christi Ascensione X. tribuere, qui annus, si Usserii supputationem sequamur, anno Claudii tertio respondet; tertium vel quartum eiusdem Claudii annum Evangelio illi assignant tum Marci acta arabica a Kirstenio vulgata (12), tum nota apposita ad calcem eiusdem Evangelii in editione erpeniana (13), tum denique inscriptio coptico Marci Evangelio in vaticano quodam manuscripto (14) praemissa.

---

(1) Vide Sandini hist. Apost. in Petro interrogat. XIX. Tertull. de praescript. cap. XXXII. Iren. l. III. cap. III. Epiph. Haeres. XXVII. n. 6. Optat. Milev. l. II. n. 3. Oros. l. VII. cap. VI. Leo PP. serm. LXXXII. cap. 3. Cod. Theod. C. de Trin. l. *Cunct. Popul.* Greg. Turon hist. Franc. l. I. cap. XXV. Vide Bellarm. de Rom. Pont. l. II. cap. 2. Euseb. hist. eccl. l. II. cap. XIII. XIV. — (2) Prol. in Matth. — (3) Prooem. in Matth. — (4) De Doctr. Temp. t. II. in Chronol. — (5) In Chron. — (6) De Erudit. Apost. cap. XIII. sect. IV. n. XXI. — (7) Histoir. Critiq. du Text. du Nouveau Test. chap. X. — (8) In Variant. ad Marc. cap. XVI. v. ultim. — (9) In addit. ad Millium edition. Amstelod. anni 1710. loc. cit. — (10) Act. XII. v. 19. etc. — (11) Vide Usser. Petav. etc. Vales. in notis ad Euseb. libr. II. cap. XVI. — (12) Breslav. 1608. — (13) Vide Selden. de iure nat. et gent. l. VIII. cap. XII. — (14) Apud Bonjour Monum. Copt. Vatic. cap. XV.

En tibi illam: *Pax in splendore Evangelii tui, quod tradidisti Marco apostolo, lingua Romanorum Orthodoxorum; et promulgavit illud in civitate Racoti*, id est Alexandriae, *et omnibus finibus eius anno IV. Claudii, post Assumptionem Salvatoris nostri anno duodecimo*. Si autem anno Claudii IV. Marcus Evangelium illud promulgavit in Aegypto, iam antea lingua Romanorum conscriptum fuerat. Quartum quoque Claudii annum constituunt ex Petavii et Pagii supputatione, qui XII. post Christi Domini Ascensionem annis scripsisse Marcum tradiderunt; cuiusmodi sunt Abulbaracatus (1), et mahumedanus Ben-Edris, cuius verba superius (2) retulimus: tum notae quaedam graecis Marci codicibus mss. appositae, quales apud Salmasium (3) et Kusterum (4) videre est. Scribitur enim: Εὐαγγέλιον κατὰ Μάρκον ἐγράφη ῥωμαϊστὶ ἐν Ῥώμῃ μετὰ ιβ'. ἔτη τῆς ἀναλήψεως τοῦ Κυρίου: *Evangelium secundum Marcum scriptum est romane* (latine) *Romae anno post Domini Ascensionem duodecimo*. Nec sum nescius, non tantam horum aut auctorum aut manuscriptorum auctoritatem habendam esse, ut rem omnino conficere putanda sit: verum haec apprime cuidam traditioni respondent, quae a Clemente alexandrino (5), et Clementis coaevo scriptore Apollonio (6) recitatur, cuius etiam meminit Beda in commentariis in Actus Apostolorum (7). Ipsa proferam verba Clementis alexandrini: *Idcirco refert Petrus, dixisse Dominum Apostolis: Si quis ex filiis Israel agere poenitentiam voluerit, et in nomine meo in Deum credere, remittentur ei peccata sua. Post annos vero duodecim ite in mundum universum, ne quis forte dicat, non audivimus*. Unde nam haec Clemens et Apollonius acceperint, nescio; attamen videtur mihi non esse respuenda duorum antiquissimorum scriptorum auctoritas. Quae tamen quaecumque demum habenda sit, certum est, fuisse vel tertio Ecclesiae saeculo qui putarent, anno a Christi morte duodecimo Apostolos in mundum fuisse dispersos, ut fidem, a qua Iudaei abhorrebant, in omnes gentes disseminarent. Quid ni et Petrus eo ipso anno, Marco secum abducto, Romam perrexerit? nihil profecto impedit quominus id fieri potuisse dicamus. Quin imo cum Claudius nonnisi annos XIII. menses VII. circiter (8) imperium tenuerit, necesse est profecto, Petrum, ut diximus, primis Claudii annis romanam Ecclesiam fundasse; siquidem illam sub eiusdem imperii exitu tam florentem adultamque fuisse credimus, qualem illam nobis laudata Pauli epistola ad Romanos exhibuit. Hinc iure eius exordia ad prima Claudii tempora revocant Eusebius (9), Prosper (10), Hieronymus (11), Orosius (12) et Addo viennensis (13); licet error lateat in anno, cum fere omnes secundum claudiani imperii adsignent.

---

(1) Apud Vansleb. Catal. Patriarch. Alex. — (2) Supr. cap. VII. n. 1. — (3) Proleg. in Solinum. — (4) In addit. ad Millium in Marc. XVI. v. 20. — (5) Clem. Alex. Strom. l. VI. c. V. διὰ τοῦτο φησὶν ὁ Πέτρος, εἰρηκέναι τὸν Κύριον τοῖς Ἀποστόλοις, ἐὰν μὲν οὖν τὶς θελήσῃ τοῦ Ἰσραὴλ μετανοῆσαι, καὶ διὰ τοῦ ὀνόματός μου πιστεύειν ἐπὶ τὸν θεὸν, ἀφεθήσονται αὐτῷ αἱ ἁμαρτίαι. Μετὰ δώδεκα ἔτη ἐξέλθετε εἰς τὸν κόσμον, μή τις εἴπῃ, οὐκ ἠκούσαμεν. — (6) Apud Euseb. Hist. Eccl. l. V. cap. XVIII. — (7) In Act. cap. XIII. v. 1. — (8) Dio. Cass. sub finem etc. — (9) Hist. Ecc. l. II. cap. XIII. XIV. in Chron. ad ann. Abrahae MMLVIII. — (10) In Claudio. — (11) De script. Eccl. in Petro. — (12) Hist. l. VII. cap. VI. — (13) In Chron. ad ann. Christi XLV.

X. Ceterum, dummodo sub Claudio, nec eius imperio adhuc vergente ad finem, et Romam Petrus venerit, et Marcus Evangelium conscripserit, nam duo haec invicem sibi cohaerent (1); nihil mea interest, utrum primo an secundo aut tertio, imo quarto etiam aut quinto imperii anno haec evenisse credantur. Nam ultra quintum nemo protrahit, uno excepto auctore Chronici Alexandrini, qui in septimum Claudii annum videtur romanum Petri adventum differre, nullo tamen teste prolato: qua de re Valesium (2) videre potes, qui tamen, licet tempora magis fortasse quam par est producat, in eo tamen cum ceteris convenit, quod extra Claudii imperium non excurrit. Idem de Beda (3) et Isidoro (4) dicendum, qui sub Claudio scriptum Evangelium testantur, licet certum scriptionis annum non assignent: tum de Augustino, qui in libris *de Consensu Evangelistarum* (5) tradit, Marcum Evangelium suum ante Lucam exarasse. Nam cum Lucas scripserit anno aerae christianae LIII. aut ad summum LV., hoc est aut Claudii ultimo, aut Neronis secundo, quod satis convenit inter criticos (6), necesse est Marcum sub Claudio scripsisse, nisi fortasse quis velit, inter utrumque Evangelium vix biennii spatium interiectum fuisse, quod tamen veterum traditioni omnino repugnat, quae integrum fere quinquennium (7) inter utriusque editionem intercessisse testatur. Ex quibus patet, Augustinum, licet Marci Evangelio certum annum minime tribuat, cum ceteris tamen omnibus in eo convenire, quod, Claudio rerum potiente, vulgatum existimet. Quod et ex ipso etiam ordine, quo in sacro codice Evangelia digesta sunt, confirmari potest, ubi Marcus statim post Matthaeum et ante Lucam positus perpetuo reperitur. Ordinem hunc antiquissimum esse probat tum omnium Patrum in Evangeliis recensendis (8), tum veterum omnium fere codicum in ipsis exhibendis (9) consensio: quos inter si vercellensem S. Eusebii (10), cantobrigensem (11) et brixiensem (12) excipias, vix unum aut alterum invenias (13), qui non Marcum Lucae et Ioanni anteponat. Id porro non aliunde est repetendum, nisi ex eo, quod in Evangeliorum canone concinnando ordinem illum vetus Ecclesia secuta est, quo in Evangeliis ipsis scribendis Evangelistae sese invicem exceperant; ita ut prior locus Matthaeo, qui omnium primus scripserat; secundus Marco, qui Matthaeum pone secutus fuerat; tertius Lucae; denique postremus tribueretur Ioanni, qui omnium ultimus Christi gesta litteris commenda-

---

(1) Vide Vales. in notis ad Euseb. Hist. Eccl. l. II. cap. XVI. — (2) Loc. cit. — (3) In I. Petri cap. V. v. 14. — (4) Orig. l. V. cap. XXXIX. aetate VI. ad ann. MMMMMCCXXI. tum in Chronico sub Claudio. — (5) Lib. I. cap. II. n. 3. — (6) Vide Sandin. hist. Apost. in Luc. interrog. VII. — (7) Theophylact. prol. in Matth. Euthym. prol. in Luc. Variant. apud Millium ad Lucae cap. XXIV. v. 53., Bonjour Monum. Copt. Vatic. num. XV. etc. — (8) August. de Consens. Evang. l. I. cap. 2., Euseb. Hist. Eccl. l. VI. cap. XIV., Orig. apud eund. l. VI. cap. XXV., Nazianz. carm. XXXIII., Leont. de Sect. act. II. etc. Vide Hodium de Text. Bibl. l. IV. cap. IV. — (9) Vide Hodium loc. cit., Richard. Simon. Hist. Critiq. du text. du Nouv. Test. chapit. X. — (10) Editus ab Io. Andr. Irico. Mediol. ann. 1748. et a Blanchino Romae ann. 1748. in Evang. quadruplici — (11) Vide Rich. Simon. loc. cit. — (12) Vide Iricum praef. in Evang. S. Euseb. p. XXII. — (13) Iricus loc. cit. Rich. Sim. loc. cit. Calmet praefat. in Variant Lect. in Evang. quae habentur post commentaria in Act. Druthmarus in Matth. cap. I.

verat. Quod si qui alium ordinem secuti sunt, et primo loco Matthaeum et Ioannem, postremo vero Marcum et Lucam statuere (1); hi non temporum, sed scriptorum dignitatis rationem habuere; ita ut duobus Apostolis priorem locum, duobus vero Apostolorum discipulis posteriorem tribuerent. Vide quae de hac re Ioannes Andreas Iricus (2) et Philippus Garbellus (3) vv. cll. adversus Heterodoxos nonnullos, Basnagium praesertim et Clericum, disputarunt.

XI. Constat itaque sub Claudio Evangelium Marcum scripsisse: licet de anno non constet. Tertium nos, quartum aut quintum ex traditione haud contemnenda, satisque probabili coniectura adsignamus; cui profecto solidum omnino nihil ac firmum opponi potest. Unus est qui nobis adversetur lugdunensis martyr Irenaeus; cuius tamen auctoritas, magna alioquin atque reverenda, non tanti nobis in re praesenti facienda est, ut a nostra sententia recedere debeamus. Etenim non modo Marcum sub Nerone, sed extremis ipsis Neronis temporibus Evangelium scripsisse tradit; quod a nullo ante ipsum unquam, aut post ipsum proditum est, quicquid de hac re Guillelmo Cave (4), viro ceteroquin κριτικοτάτῳ, visum fuerit. En ipsa Irenaei verba, prout ab antiquo ipsius interprete in latinum translata sunt (5): graeca habes in notis prout ab Eusebio afferuntur (6): *Ita Matthaeus in Hebraeis ipsorum lingua scripturam edidit Evangelii, cum Petrus et Paulus Romae evangelizarent et fundarent Ecclesiam. Post vero horum excessum Marcus discipulus et interpres Petri, et ipse, quae a Petro nunciata erant, per scripta nobis tradidit etc.* Atqui si Marcus *post Petri et Pauli excessum* Evangelium scripsit, iam nonnisi ultimis Neronis Caesaris temporibus scribere potuit, cum qui sanctorum Apostolorum martyrium citissime collocant, eosdem XII. Neronis anno passos esse arbitrentur (7). Verum haec communi SS. Patrum consensioni et traditioni repugnant, praesertim cum Augustinus diserte doceat (8): *Marcum et Lucam eo tempore scripsisse, quo non solum ab Ecclesia Christi, sed ab ipsis adhuc in carne manentibus Apostolis probari potuerunt.* Hinc cum tam abnorme Irenaei a ceteris Patribus dissidium eruditos homines magnopere commoveret, duplex ipsius cum reliquis conciliandi via ab ipsis est excogitata. Fuere enim (9) qui mendum aliquod in textu ab Eusebio producto latere arbitrarentur, ac pro illis verbis: *μετὰ δὲ τὴν τούτων ἔξοδον*, *post eorum vero,* id est Apostolorum, *exitum,* sive *excessum,* legendum putarent: *μετὰ δὲ τὴν τούτου ἔκδοσιν*, *post ipsius,* Evangelii nempe Matthaei, *editionem,* sive, *μετὰ δὲ τὴν τοῦ κατὰ Ματθαῖον εὐαγγελίου ἔκδοσιν post editionem Evangelii secundum Matthaeum,* idque etiam manuscriptorum nonnullorum (10)

---

(1) Vide Marraccii Refut. Alcoran. Sura II. n. 3. — (2) Praefat. in Vercell. S. Eusebii Evang. — (3) Apud Iricum loc. cit. — (4) Hist. Litter. Script. Eccl. saeculum. I. in Marco. — (5) Irenaeus lib. III. cap. 1. — (6) Hist. Eccl. lib. V. cap. VIII. Ὁ μὲν δὴ Ματθαῖος ἐν τοῖς Ἑβραίοις τῇ ἰδίᾳ αὐτῶν διαλέκτῳ καὶ γραφὴν ἐξήνεγκεν εὐαγγελίου, τοῦ Πέτρου καὶ τοῦ Παύλου ἐν Ῥώμῃ εὐαγγελιζομένων καὶ θεμελιούντων τὴν Ἐκκλησίαν. Μετὰ δὲ τὴν τούτων ἔξοδον Μάρκος ὁ μαθητὴς καὶ ἑρμηνευτὴς Πέτρου, καὶ αὐτὸς τὰ ὑπὸ Πέτρου κηρυσσόμενα ἐγγράφως ἡμῖν παραδέδωκε, κ. τ. λ. — (7) Sandin Hist. Apost. in Petro. inter. XXVII. nota 58. — (8) De Cons. Evang. l. IV. cap. VIII. — (9) Christophorus. in Vers. Eusebii loc. cit. Feu-Ardent. in Iren. loc. cit. — (10) Vide Grot. praefat. in Marcum. Caten. Possini in Marcum in prooem.

auctoritate firmatur. Verum huiusmodi lectio quomodo cum veteri Irenaei interprete, qui vertit *excessum,* et cum Ruffino (1), qui habet *exitum,* conciliari possit, non video. Aliis vero visum est (2), vocem illam ἔξοδον, quemadmodum et latinas *excessum, exitum,* non tam exitum Apostolorum e vita quam ex Urbe significare; ita ut scripserit Marcus quo tempore, iussu Claudii Urbe pulsis Iudaeis, Petrus quoque et Paulus inde abire coacti sunt. Verum et duriuscule haec mihi exponi videntur, et suis et ipsa patent difficultatibus (3). Tutius mihi videntur et cautius agere, qui Irenaei locum intactum relinquunt, quum nullo modo unius tantum Patris, magni licet, auctoritas ceterorum omnium consensionem possit labefactare.

XII. Atque haec de tempore, quo Marcus Evangelium suum exaravit. Ceterum si qui erunt, quibus haec nos operosius fortasse quam par erat prosecuti videamur, cum praesertim nihil ad Evangelistae nostri laudem conferat, utrum uno potius anno quam altero ipse scribendo manum admoverit: his reponemus, non ideo nos omnem in hac quaestione enodanda industriam collocasse, quod de conscripti Evangelii tempore admodum solliciti essemus; sed ea praesertim de caussa, quod et alia plurima, quae Marci acta respiciunt, ab hac ipsa scripti Evangelii *epocha* omnino pendent, qualia sunt aquileiensis missio et alexandrina, tum etiam S. Evangelistae martyrium. Nam qui haec vel in dubium revocare ausi sunt, vel aperte etiam negare, hi universi chronologicis supputationibus fere nituntur: quas omnes, evangelicae scriptionis *epocha* constituta, facile est dissolvere; quod deinceps, Deo favente, praestabimus. Quid quod haec eadem quaestio cum altera illa celeberrima, atque apud criticos vexatissima, de romano Petri itinere intima quadam affinitate coniungitur? Ac de postrema hac multa quidem a viris longe eruditissimis sapienter et copiose disputata fuisse haud ignoro: non ita tamen haec adyta ingressi illi sunt, ut ianuas post se venientibus omnino occluderent. Nec nosmet illis conferre aut aequiparare audemus ullo modo. Sed quemadmodum pauperi spicas, quae messorum manus effugere, colligere licet, iisdemque in manipulum colligatis haud poenitendum industriae et diligentiae fructum referre: ita et nobis post tot ac tantos celeberrimorum virorum labores, quae ipsorum aciem fortasse effugerant, spicilegii loco, colligere licuisse putavimus, easdemque non in nostrum tantum, sed in totius Ecclesiae utilitatem conferre; evangelicam viduam illam imitati, quae tot inter (4) divites, munera sua larga satis atque opulenta in templi thesaurum conferentes, et ipsa *misit in gazophylacium aera minuta duo.*

---

(1) In vers. Eusebii ad loc. cit. — (2) Grabius in Iren. loc. cit. Richard. Simon. Hist. Critiq. du text. du Nouv. Testam. chap. X. — (3) Vide Massuet in Irenaeum loc. cit. — (4) Marc. XII. v. 41. Luc. XXI. v. 1.

CAPUT IX.

QUA LINGUA S. MARCUS EVANGELIUM CONSCRIPSERIT.

I. *De lingua, qua Marcus scripsit, criticorum dissidium. Reiiciuntur qui coptice, aut syriace scripsisse tradunt.* II. *Latine scripsisse communis est Orientalium sententia, quae in ipsorum etiam Bibliis Marci Evangelio praefigitur.* III. *Nec aliter in graecis codicibus nonnullis legere est, quibus accedit auctoritas veterum aliquot scriptorum.* IV. *At Hieronymus et Augustinus Marci Evangelium graece editum tradunt, quorum sententiam amplectimur, ac contra Baronium tuemur. De latinis vocibus in graeco textu occurrentibus animadversio. Nihil inde pro Baronio posse concludi.* V. *Adductis Evangelii locis, ostenditur in latinum ex graeco conversum.* VI. *Idem ex Hieronymi in N. T. laboribus ostensum.* VII. *Tum ex latinorum codicum ante Hieronymum discrepantia.* VIII. *Frustra obiicitur latinum Marci exemplar Hieronymi aetate intercidisse, aut fuisse corruptum; id enim fieri non potuisse demonstratur.* IX. *Excutiuntur alia Baronii argumenta. Nihil necesse fuit Marcum, eo quod in gratiam Romanorum scriberet, uti lingua latina.* X. *Nec verum est quod ait Baronius, graecam linguam Marci tempore Romae despectam fuisse. Expenditur Svetonii locus.* XI. *Item locus alter Iuvenalis.* XII. *Ex codice veneto S. Marci, et ex crucis titulo perperam deducitur, Marcum latine scripsisse.* XIII. *Affertur contra nos monumentum ex Orientalium traditione, et quomodo utraque sententia conciliari possit ostenditur.*

I. Ut de loco et tempore, quibus S. Marcus Evangelium conscripserit non convenit inter criticos, ita etiam de lingua. Placet aliis graece illum scripsisse, aliis latine: sunt etiam qui velint latine simul et graece, nec etiam desunt qui coptice aut syriace: ita ut quod de ceteris Evangelistis apprime constat, (vix enim est qui de Matthaeo utrum graece an hebraice scripserit in dubium revocet) id de Marco nostro in controversiam a viris longe eruditissimis adducatur. Nos pro instituti nostri ratione unamquamque sententiam expendemus, et quod nobis ad veritatem proxime accedere visum fuerit exponemus: liberum tamen erit unicuique eam demum amplecti, quae sibi verissima atque probatissima videatur. Nec tamen diu in iis refutandis immorabimur, qui aut aegyptia sive coptica, aut syriaca sive chaldaea lingua Marci Evangelium primitus exaratum tradidere. Nam et obscuri nominis fere sunt, et pauci; eosdemque, nullo teste satis probato munitos, ac fallaci in patriam charitate mentientes, nemo unquam sanus sequetur. Et de coptica quidem lingua haec habe ex Renaudotio (1): *Tertia sententia est, sed rarior, obscurorum quorundam Aegyptio-*

(1) Hist. Patriarch. Alex. in Marc. pag. 6.

rum, qui ex charitate erga patriam opinati sunt, Marcum, quando quidem Copticis, seu Aegyptiis Evangelium praedicavit, coptice illud scripsisse. Ita Abulbircat, et pauci alii. Haec vero opinio nullo idoneo teste nititur: imo vel ex eo falsa est, quod graeca lingua Alexandriae, et in tota Aegypto inferiori vulgatissima erat: cum in Barca, Pentapoli aliisque provinciis, ubi eum Ecclesias instituisse tradunt, nullus esset eidem linguae, idest copticae, *locus.* Haec de coptico Marci Evangelio vir eruditissimus; ubi tamen in iis, quae Abulbaracatum respiciunt, error fortasse aliquis latet, quod et superius (1) a nobis est animadversum. Eodem loco habenda, quae leguntur in praefatiuncula quadam Marci Evangelio in armenis Bibliis praemissa, quam mecum communicavit Ioannes Baptista Aucher alias a nobis laudatus. Ea vero sic habet: *Marcus ex mandato Petri, Petrae* (fidei) *scripsit Evangelium suum in urbe Alexandria lingua aegyptiaca, anno post Christi Ascensionem XV.* Vides quantum auctor huius praefationis a ceteris discrepet, dum et de tempore et de loco agit scripti a Marco Evangelii. Quid ni et de lingua dissentiret? Vix tamen, ut puto, qui ipsum a ceteris per omnia dissidentem sequatur, inveniet. Quod si quis adderet (2), id et ab Ioanne Chrysostomo innui aliquo modo, itemque ab Isidoro, et ab Auctore synopseos sacrae scripturae, quae Athanasii nomine inscribitur, dum tradunt Evangelium Marci in Aegypto scriptum fuisse; illud statim in promptu est reponere, etiam si eorum scriptorum sententiam admitteremus, quam tamen falsam omnino demonstravimus (3), non inde sequi illud coptice fuisse exaratum, cum vulgatior, ut habet Renaudotius (4), per regiones illas, quibus evangelizavit Marcus, esset graeca lingua, quam aegyptia, quae fortasse nonnisi apud rusticos et vulgares homines per ea tempora in sola Aegypto superiori obtinebat. Quod vero attinet ad linguam syriacam, nusquam id tradi adhuc animadverti, nisi in nota quadam coptico S. Marci Evangelio praemissa in codice vaticano quarto, et a Guillelmo Bonjour evulgata (5). Ea ita se habet: *Pax in splendore Evangelii tui, quod tradidisti Marco apostolo lingua Romanorum Orthodoxorum. Et promulgavit illud in civitate Racoti,* seu Alexandriae, *et omnibus finibus eius, anno quarto regni Claudii, post Assumptionem Salvatoris nostri anno duodecimo. Et inventum est in alio libro, quod scriptum fuerit lingua assyria.* Neminem puto futurum, qui tantum ignoto huic libro tribuendum existimet, ut mihi de ipso refutando magnopere laborandum sit.

II. Atque hae fere sunt Orientalium traditiones de assyria et coptica lingua, nullo satis idoneo testimonio roboratae. At quae graecam et latinam commemorant, eae et vetustiores sunt, et magno suffragatorum numero munitae: ita ut mirandum non sit, tanto testium et antiquitatis favore animadverso, in plures discrepantesque sententias recentiores criticos abiisse. Ac ut a latina exordiar, mira prorsus videri potest in hac re Orientalium consensio. Si quis enim aut syriacos, aut copticos, aut arabicos, aut persicos Evangeliorum libros,

---

(1) Supr. cap. VII. n. 2. — (2) Vide supr. cap. VII. loc. cit. — (3) Ibid. l. c. — (4) Loc. cit. — (5) Monum. Copt. Vatic. num. XV.

praesertim manuscriptos, perlustraverit (1), is statim in illis notis, quae vel in fronte, vel ad calcem uniuscuiusque Evangelii pro illarum Ecclesiarum more apponi solent, tradi animadvertet, Marcum latine sive romane scripsisse: cum ex adverso nullus adhuc quod ipse noverim repertus sit, qui in notis illis Marcum graece scripsisse commemoraret. Nonnullas ex hisce notis iam superius (2) allatas videre potes, alias, si vacat, vel in Bibliis Londinensibus, vel apud auctores ad paginae calcem citatos reperies. Unam proferam ex codice syriaco Bibliothecae Laurentianae, ut extat apud Lamium (3), cui reliquae fere omnes respondent: *Finem habuit descriptio Evangelii praedicationis Marci apostoli, qui locutus est, et praedicavit, et scripsit romane in urbe Romae.* Neque huiusmodi notas recentiores esse apud Orientales existimes: siquidem codex hic a Lamio productus saeculo Christi VI. exaratus fuit *anno Alexandri DCCCXCVII.* ut ex apposita ab amanuensi nota constat (4): annus vero ille Alexandri anno aerae christianae DLXXXVI. respondet. Neque desunt inter orientales scriptores, qui huic traditioni adstipulentur. Praetereo Abulbircatum alia apud Renaudotium, alia apud Sollerium (5) tradentem. Verum favet huic sententiae in Originibus Alexandrinis (6) Eutychius, tum ex Mahumedanis Ismael filius Aly, et Ahmetes duo, alter Edrisii filius, alter Abdolaimi. Ac Ismael quidem (7), singulos Evangelistas recensens: *Marcus,* inquit, *scripsit in regione Romanorum lingua romana:* Ebnedrisius autem (8) habet: *Evangelium Marci, qui ex numero fuit LXX. discipulorum, et annuntiavit Evangelium lingua franca in urbe Roma.* Latinam linguam *francam* appellat, pro recepta Mahumedanorum consuetudine. Denique paullo aliter Ahmedus Abdolaimi filius (9): *Christus hebraice locutus est: eius autem sermo in alias linguas translatus fuit. Unum enim ex Evangeliis graece, aliud syriace, aliud latine scriptum fuit. Unum autem remansit hebraice.* Quemnam Evangelistarum syriace scripsisse tradat Ahmedus, Lucam an Ioannem, divinare non ausim. Satis tamen patet, latinum idem esse ac Marci Evangelium, hebraicum Matthaei. Addam etiam syrorum scriptorum, teste Guidone Fabricio Boederiano (10), sententiam esse, Marcum evangelistam latine primum scripsisse; tum quae latine scripserat syriace vertisse: imo universum Novum Testamentum, quale nunc ab ipsis syriace legitur, ab eodem Marco in linguam illam fuisse translatum. Verum hae nugae sunt, de quibus alibi (11). Ad graecos gradum faciamus.

III. Extat siquidem in aliquibus graecis codicibus eadem prorsus ac in orientalibus inscriptio, quos inter bodleianum unum, alterumque ex bibliotheca Ioannis Mori profert Millius (12), parisiensem unum Kusterus (13), et fortasse

---

(1) Vide praef. Evang. arabici, et persici in Bibliis Walton. clausul. Evang. syriaci ibid. Bonjour Mon. Copt. Vatic. n. XIV. et XV. Otting. de transl. Bibl. in ling. vernac. §. LIII. n. 3. Guido Fabr. praef. in Nov. Test. syriac. in Bibliis Regiis Antuerp. t. V. etc. — (2) Supr. cap. VII. n. 1. — (3) De Erud. Apostol. cap. XIII. sect. III. §. I. n. CXCVI. — (4) Lamius loc. cit. — (5) Vide supr. cap. VII. n. 2. — (6) Vide Renaud. hist. Patr. Alex. in Marco. — (7) Apud Marraec. Refut. Alcor. Sura II. n. 3. — (8) Apud Ottinger. dissert. de Transl. Bibl. §. LVI. nota F. — (9) Apud Marraccium loc. cit. — (10) Praef. in Evang. Syriac. in Bibliis Regiis Antuerp. t. V. — (11) Infra cap. XIII. n. 5. — (12) Variant. in Marc. cap. XVI. v. 20. — (13) Additam. ad Millium loc. cit.

alii alios. Afferam illam ex codice parisino: Εὐαγγέλιον κατὰ Μάρκον ἐγράφη Ῥωμαϊστὶ ἐν Ῥώμῃ μετὰ ιβ'. ἔτη τῆς ἀναλήψεως τοῦ Κυρίου. *Evangelium secundum Marcum scriptum est Romae romane, anno XII. post Assumptionem Domini.* Fatendum tamen haec non tam frequenter in graecis codicibus, ut in syriacis, et aliis orientalium Ecclesiarum occurrere. At quod in sacris codicibus haud saepe reperire est, id inter Graecos Cantacuzenus (1), Auctor vitae S. Timothei martyris (2), et Hippolytus thebanus (3) testantur, quos tamen recentiores esse haud diffiteor, neque certum ex illis argumentum repeti posse. Maius profecto pondus Nazianzeni verbis tribuendum esset, siquidem hoc aperte significarent: at ea sunt, ut certi nihil ex ipsis possis deducere. Nam poemate quidem trigesimo tertio haec habet:

Ματθαῖος μὲν ἔγραψεν Ἑβραίοις θαύματα Χριστοῦ,
Μάρκος δ' Ἰταλίῃ, Λουκᾶς Ἀχαϊάδι·
Πᾶσι δ' Ἰωάννης, κήρυξ μέγας οὐρανοφοίτης.
Matthaeus Christi Hebraeis miracula scripsit,
Ausoniis Marcus, Lucas et Argolicis:
Omnibus at magnus demissus ab aetere praeco
Ioannes.

Carmine vero XLIV.

Μάρκος δ' αὐσονίοισι Θεοῦ τάδε θαύματ' ἔγραψε,
Πέτρῳ θαρσάλεος Χριστοῦ μεγάλῳ θεράποντι.
Marcus at Ausoniae Christi miracula genti
Haec memorat, Petri nixus sermone fideque.

At haec ut ad linguam, qua Evangelia scripta sunt, quis referat; ita et de loco etiam, ubi publicata fuere, haud absurde intelligi possunt. Nam quod habet Sandinus (4), haec de Evangelistarum lingua nequaquam dicta esse posse, alioquin sequeretur, Ioannem, qui *omnibus scripsit,* omnium linguis esse locutum; nihil conficit: siquidem etiam si de loco accipiantur, idem incommodum sequi necesse est; Ioannem scilicet Evangelium cunctis gentibus nuntiasse. Mihi certe videtur ita locutus Nazianzenus, ut significaret, Ioannem non in unius gentis gratia, latinae, puta, graecae, aut hebraeae, quemadmodum Evangelistae ceteri, sed in omnium gentium eruditionem Evangelium suum exarasse. Sed, ut verum fatear, obscura certe atque perplexa Nazianzeni sententia est illo loco. At non item obscurus Auctor libri pontificalis (5), qui Marcum latine scripsisse diserte tradit: tum scriptor Actorum S. Marci apud Bollandianos (6), dum de Marco Aquileiae degente loquens: *Evangelium quoque,* ait, *ibidem Domini proprio fertur edidisse stilo, quemadmodum veterum scriptorum ad posteros transmissa monumenta declarant.* Siquidem loquitur de Evangelii codice, qui tunc Aquileiae (7), nunc vero Venetiis servatur, qui cum latinis litteris exaratus sit, ut

(1) Lib. contra Iudaeos. — (2) Apud Metaphr. — (3) Fragm. IX. Biblioth. Ven. SS. Patrum tom. XIV. — (4) Hist. Apost. in Marco interrog. VI. — (5) In Petro. — (6) Ad diem XXV. April. — (7) Vide supr. cap. VII. n. 2.

deinde ostendemus (1), aperte demonstrat, Actorum illorum scriptorem existimare, sanctum Marcum latinam linguam usurpasse.

IV. Hactenus de iis, qui romano sermone usum S. Evangelistam tradiderunt: nunc eos, qui graeco existimant, referamus. Atque hi numero quidem pauciores sunt, at auctoritate longe maxima; ita ut illos, nec immerito, recentiores fere omnes (2) secuti sint. Sunt autem hi, ut Pseudozachariam chrysopolitanum (3) praetermittam, omnino duo, Hieronymus et Augustinus. Et Hieronymus quidem in praefatione ad IV. Evangelia ad Damasum, quae in antiquis editionibus epistola est CXXIII., haec habet: *De novo nunc loquor testamento, quod graecum esse non dubium est, excepto apostolo Matthaeo, qui primus in Iudaea Evangelium Christi hebraicis litteris edidit.* Augustinus vero in libris de consensu Evangelistarum (4): *Horum sane quatuor,* inquit, *solus Matthaeus hebraeo scripsisse perhibetur eloquio, ceteri graeco.* Quae totidem fere verbis etiam apud B. Isidorum hispalensem (5) leguntur. Haec profecto aperta sunt atque perspicua, nec delio egent natatore. Ceterum, ut horum et ipse sententiam amplectar, non modo hominum auctoritas facit, sed ipsa graeci et latini textus collatio, tum a viris eruditissimis (6) ante me, tum a me ipso instituta: ex qua apprime intellexi, non graecum ex latino, sed latinum ex graeco esse deductum: cum tot in latino extent graeci idiotismi, tot graeci exemplaris vestigia, unde illa versio prodierit; nihil autem appareat in graeco, quod ex latino derivatum iure quis possit suspicari. Nam quod ait Baronius (7), voces quasdam, quae graece leguntur apud Marcum, latinas esse origine atque derivatione, nihil movet. Eae enim sunt, quae, Romanis rerum apud Graecos potientibus, in graecam linguam induci debuerunt, ut illae sunt; *στολή* (8), *stola; κεντυρίων* (9), *centurio; κοδράντης* (10), *quadrans; ξέστης* (11), *sextarium; σπεκουλάτωρ* (12), *spiculator; φραγελλόω* (13), *flagello; λεγεών* (14), *legio; σανδάλιον* (15), *sandalium; πραιτώριον* (16), *praetorium; μόδιος* (17), *modius;* et si quae aliae (18) huiusmodi: quae omnes, cum vel ad reipublicae administrationem, vel ad militiam pertineant, necessario a Graecis sub Romanorum potestate positis recipi debuerunt. Hinc non modo apud S. Marcum ceterosque Novi Testamenti scriptores, sed apud S. Lucam ipsum, qui sine dubio scripsit graece, et omnium maxime linguae illius elegantiam et proprietatem secutus est, plures ex hisce vocibus invenies, puta: *ἀσσάριον* (19), *as; σάτον* (20), *satum; αὐστηρός* (21), *austerus; σουδάριον* (22), *sudarium; λιβερ-*

---

(1) Infr. cap. XII. n. 12. — (2) Maldonat. Praefat. in Evang. cap. V. Sandini Hist. Apost. in Marco interr. V. et VI. Walchius hist. Eccl. saecul. I. sect. II. cap. I. n. XLIII. Calmet praef. in Marcum. Du-Pin dissert. sur la Bibl. lib. II. part. II. pag. 35. Richard. Simon. Hist. Critiq. du text. du Nouv. Testam. chap. XI. Millius Proleg. III. — (3) Praef. in Monotessaron. — (4) Lib. I. cap. II. n. 4. — (5) Praefat. in Nov. Test. — (6) Millius proleg. III. — (7) Ad ann. XLV. n. XLII. — (8) Marc. XII. v. 38. XVI. v. 5. — (9) Ibid. XV. v. 39. 44. 49. — (10) Ibid. XII. v. 42. — (11) Ibid. VII. v. 4. — (12) Ibid. VI. v. 27. — (13) Ibid. XV. v. 15. — (14) Ibid. V. v. 9. — (15) Ibid. VI. v. 9. — (16) Ibid. XV. v. 16. — (17) Ibid. IV. v. 21. — (18) Ibid. cap. XII. v. 15. cap. XIV. v. 5. — (19) Luc. XII. v. 6. — (20) Ibid. XIII. v. 21. — (21) Ibid. XIX. v. 21. — (22) Ibid. XIX. v. 20. Actor. XIX. v. 22.

τίνος (1), *libertinus;* σιμικίνθιον (2), *semicinctium;* σικάριος (3), *sicarius;* ut illas omittam στολή (4), λεγεών (5), μόδιος (6), πραιτώριον (7), ipsi et Marco communes. Ita et nos Veneti iam a Germanis voces illas accepimus: *Trabante,* hoc est, regius satelles; *Profoss,* hoc est, spiculator; *Fraiter,* hoc est, qui sub decurione praeest militibus; *Kaserma,* hoc est, stativa; *Tallero, Kreitzer,* quae sunt monetae genera; et id genus alia, quae si quis italica lingua scribens commemorat, nemini unquam idcirco in mentem veniet, quae auctor scribit, ea ex theutonico transtulisse. Itaque perperam Baronius concludit ex huiusmodi vocibus, graecum Marci textum ex latino processisse, cum eodem modo et Lucam et universum Novum Testamentum initio latinum fuisse deducere potuisset. Quod si non tam voces ipsas, quam dicendi modos latini sermonis ingenio respondentes in graeco Marci reperiri contendit, ingenue fateor, nihil me huiusmodi, quantalibet diligentia utrumque textum, graecum scilicet et latinum, contulerim, reperisse; iis tantum exceptis, quae utrique linguae communia esse omnes norunt. Provocat quidem ille ad Guillelmi Sirleti S. R. E. bibliothecarii opusculum de hac re, ubi vir clarissimus (8) *improprias has graecas voces, et ex latino originali in graecum semilatine translatas* universas collegerat: ipse interim nullam profert; ita ut quaenam illae sint divinare non possim, cum ipsum Sirleti opus nunquam viderim; imo, utrum aliquando editum fuerit alicubi, prorsus ignorem.

V. At quod a Baronio in caussae suae defensionem praestari debuit, id nobis in caussae nostrae patrocinium facere liceat; ac, locis nonnullis ex utroque textu productis, ostendere, tantum abesse ut graecus ex latino deductus sit, ut potius latinus suamet ipsa barbarie atque ἑλληνισμῷ sese ex graeco derivatum apertissime prodat. Nec, quae in hanc rem decerpsi, omnia recitabo: sed nonnulla proponam, alia ad paginae calcem (9) notabo; multa denique praetermittam, sunt enim innumera. En itaque illa.

IN GRAECO TEXTU.	IN TEXTU LATINO.	EADEM AD LAT. LINGUAE INDOLEM REDACTA.
Cap. I. v. 12. Τὸ Πνεῦμα ἐκβάλλει αὐτὸν εἰς τὴν ἔρημον.	*Spiritus expulit eum in desertum.*	Spiritus illum in desertum adduxit.
Ibid. v. 14. Μετὰ δὲ τὸ παραδοθῆναι τὸν Ἰωάννην.	*Postquam autem traditus est Ioannes.*	Postquam vero in vincula coniectus est Ioannes.
Cap. II. v. 2. Καὶ εὐθέως συνήχθησαν πολλοί,	*Et convenerunt multi, ita ut non caperet neque*	Et convenerunt multi, ita ut eos non caperet

(1) Act. V. v. 9. — (2) Ibid. XIX. v. 12. — (3) Ibid. XXI. v. 38. — (4) Luc. XV. v. 22. XX. v. 46. — (5) Ibid. VIII. v. 36. — (6) Ibid. XI. v. 33. — (7) Act. XXIII. v. 35. — (8) Baron. l. c. — (9) Vide Marc. cap. I. v. 11. cap. II. v. 17. cap. IV. v. 17. 20. 28. cap. V. v. 15. cap. VI. v. 14. 52. cap. VII. v. 4. 21. 23. 36. cap. IX. v. 3. 26. 41. cap. X. v. 30. 32. 41. cap. XI. v. 2. 11. 16. 18. cap. XII. v. 5. 8. 23. 24. 27. 28. 33. 39. 42. 44. cap. XIII. v. 4. 10. 11. 16. 19. 22. 23. 25. cap. XIV. v. 4. 6. 8. 20. 27. 29. 31. 48. 49. 54. 65. 68. 71. cap. XV. v. 4. 5. 17. 26. 29. 31. 36. 44. 47. cap. XVI. v. 5. 8. 12.

ὥστε μήκετι χωρεῖν μηδὲ τὰ πρὸς τὴν θύραν.	*ad ianuam.*	nec locus, qui erat prope ianuam, idest vestibulum.
Cap. III. v. 7. 8. καὶ πολὺ πλῆθος ἀπὸ τῆς Γαλιλαίας ἠκολούθησεν αὐτῷ.... καὶ οἱ περὶ Τύρον καὶ Σιδῶνα.	*et multa turba a Galilaea secuta est eum . . . . et qui circa Tyrum et Sidonem.*	Et multa turba a Galilaea secuta est eum . . . . et qui habitabant circa Tyrum et Sidonem.
Ibid. v. 25. Καὶ ἐὰν οἰκία ἐφ' ἑαυτὴν μερισθῇ.	*Et si domus super semet ipsam dispertiatur.*	Et si domus in semet ipsa dividatur.
Cap. IV. v. 10. Ὅτε δὲ ἐγένετο κατὰ μόνας.	*Et cum esset singularis.*	Et cum solus remansisset.
Ibid. v. 19. Καὶ αἱ μέριμναι τοῦ αἰῶνος τούτου, καὶ ἡ ἀπάτη τοῦ πλούτου, καὶ αἱ περὶ τὰ λοιπὰ ἐπιθυμίαι.	*Et aerumnae saeculi, et deceptio divitiarum, et circa reliqua concupiscentiae.*	Et aerumnae huius saeculi, et deceptio divitiarum, et ceterarum rerum cupiditates; *sive*, et ceterae animi cupiditates.
Cap. VII. v. 18. Οὕτω καὶ ὑμεῖς ἀσύνετοί ἐστε;	*Sic et vos imprudentes estis?*	Sic vos etiam estis sine intellectu?
Cap. X. v. 26. Οἱ δὲ περισσῶς ἐξεπλήσσοντο λέγοντες πρὸς ἑαυτούς.	*Qui magis admirabantur, dicentes ad semet ipsos.*	Illi vero vehementer admirabantur, dicentes intra se.
Cap. XI. v. 5. Τί ποιεῖτε λύοντες τὸν πῶλον;	*Quid facitis solventes pullum?*	Quid facitis, *vel*, quid est quod pullum solvitis?
Cap. XII. v. 12. ἔγνωσαν γὰρ ὅτι πρὸς αὐτοὺς τὴν παραβολὴν εἶπεν.	*cognoverunt enim quoniam ad eos parabolam hanc dixerit.*	cognoverunt enim quoniam in ipsos, *vel*, de ipsis parabolam dixit.
Cap. XIII. v. 7. Ὅταν δὲ ἀκούσητε πολέμους, καὶ ἀκοὰς πολέμων.	*Cum audieritis autem bella, et opiniones bellorum.*	Cum audieritis autem bella, et bellorum rumores.
Ibid. v. 8. καὶ βασιλεία ἐπὶ βασιλείαν.	*et regnum super regnum.*	et regnum contra regnum.
Ibid. v. 9. Βλέπετε δὲ ὑμεῖς ἑαυτούς·	*Videte autem vosmet ipsos.*	Providete autem vobismet ipsis.
Ibid. v. 34. δοὺς τοῖς δούλοις αὐτοῦ τὴν ἐξουσίαν, καὶ ἑκάστῳ τὸ ἔργον αὐτοῦ.	*et dedit servis suis potestatem cuiusque operis.*	qui dedit servis suis potestatem, et unicuique opus, *vel*, ministerium suum.
Cap. XIV. v. 35. καὶ προσηύχετο, ἵνα, εἰ δυνατόν ἐστι, παρέλθῃ ἀπ' αὐτοῦ ἡ ὥρα.	*et orabat, ut, si fieri posset, transiret ab eo hora.*	et orabat, ut, si fieri posset, removeretur ab eo cura, *sive* aerumna.
Ibid. v. 64. Οἱ δὲ πάντες κατέκριναν αὐτὸν εἶναι ἔνοχον θανάτου.	*qui omnes condemnaverunt eum esse reum mortis.*	omnes vero statuerunt, illum esse reum mortis.

Haec a nobis speciminis loco allata satis ostendunt basilice errare, qui graecum ex latino ductum fuisse arbitrati sunt; cum ex adverso haec omnia latinam ex graeco translationem ostendant, eandemque ab homine latinae linguae haud omnino perito elaboratam.

VI. Idipsum ostendunt etiam labores a Hieronymo suscepti, ut integrum Novum Testamentum, ne Marco quidem excepto, *graecam fidem redderet* (1), hoc est, ut latinam versionem ad graecum textum exigeret atque emendaret. Si enim Marcus latine scripserat, non iam latinum ad graecum, sed versa vice graecum ad latinum exigendum fuit. Qui autem fieri potuit, ut Hieronymus, homo latinus, et in biblica philologia eruditus quam qui maxime, quique tamdiu (2) Aquileiae et Romae commoratus, Damasi, Innocentii, Chromatii, Heliodori, Ruffini, aliorumque doctissimorum utriusque urbis virorum consuetudine usus fuerat, id omnino ignoraverit, imo ne auditione quidem unquam acceperit, Marcum Evangelium romano sermone scripsisse? Atqui, si uspiam alias, id Romae et Aquileiae perpetua traditione servari oportuit, ubi S. Evangelista opus suum edidisse ferebatur. Et ipse tamen Hieronymus de latino Marci αὐτογράφῳ ne verbum quidem habet, sed ubi de Novo Foedere loquitur, semper ad graeca exemplaria recurrendum esse denuntiat. Sic in laudata praefatione in Evangelia ad Damasum (3): *Igitur*, inquit, *haec praesens praefatiuncula pollicetur quatuor tantum Evangelia, quorum ordo est iste: Matthaeus, Marcus, Lucas, Ioannes, codicum graecorum emendata collatione, sed veterum.* Et in epistola ad Marcellam (4) ait, se in Evangeliis castigandis non aliquid de divinis verbis corrigendum putasse; *sed latinorum codicum vitiositatem, quae ex diversitate librorum omnium comprobatur, ad graecam originem, unde et ipsi translata non denegant, voluisse revocare.* Quos hic ait Hieronymus non denegare latina ex graecis esse deducta, adversarii eius sunt, in quos stilum acuit in hac epistola; qui tamen et ipsi omnia Evangelia ex graeco esse derivata fatebantur. Neque enim hoc quispiam usque ad Hieronymi tempora in dubium revocare ausus fuerat. Eadem habet in epistola ad Lucinium (5): *Novum Testamentum*, inquit, *graecae reddidi auctoritati;* ut alia multa eiusdem testimonia praetermittam. Porro quis non fidem potius adhibere velit Hieronymo, Damaso ceterisque Ecclesiae romanae et aquileiensis viris eruditissimis, quibus vel ipsi hieronymiani nominis hostes subscribunt, quam Orientalibus a scripti Evangelii loco et tempore tanto intervallo remotis, quique ea quae referunt nullo idoneo teste confirmant? Quamquam huic Orientalium traditioni quantum fortasse tribui possit, deinde (6) videbimus. Neque enim huiusmodi est, ut cum Hieronymi sententia omnino nequeat conciliari.

VII. Interim aliud mihi adhuc argumentum suppeditant allata modo S. Doctoris ad Marcellam verba, in quibus *latinorum codicum vitiositatem* causatur, ut inde necessitatem Evangeliorum ad graecum textum exigendorum demon-

---

(1) Hieronym. de Viris Illust. n. CXXXV. — (2) Vide Vallars. in vita S. Hieronymi cap. II. IV. V. VI. etc. — (3) Olim epist. CXXIII. — (4) Epist. XXVII. al. CII. n. 1. — (5) Epist. LXXI. alias XXVIII. n. 5. — (6) Infr. num. XIII.

stret. Etenim quam vitiata fuerint aetate sua latina exemplaria diserte ipse exponit in saepe memorata ad Damasum praefatione. Siquidem adversarios suos acriter de more urgens: *Si enim,* inquit, *latinis exemplaribus fides est adhibenda, respondeant quibus: tot enim sunt exemplaria pene quot codices. Si autem veritas est quaerenda de pluribus, cur non* (nota verba) *ad graecam originem revertentes ea, quae vel a vitiosis interpretibus male edita, vel a praesumptoribus imperitis emendata perversius, vel a librariis dormitantibus addita sunt aut mutata, corrigimus?* Neque quis putet fuisse hanc latinorum codicum diversitatem a S. Presbytero plus aequo exaggeratam. Cum enim pauci adhuc antiquae illius ante Hieronymum editionis codices supersint, vix dici potest quantum inter se ipsi dissentiant (1); non quidem quod antiquam illam versionem italicam minime omnes exhibeant: sed quia tot variantibus, ut aiunt, lectionibus et librariorum et correctorum referti sunt, ut iisdem collatis appareat quam vere dixerit Hieronymus, apud latinos aetate sua *tot fuisse exemplaria pene quot codices.* Ecquis vero putet haec et de Marci Evangelio evenire potuisse, siquidem latinus eiusdem textus pro *αὐτογράφῳ* habitus esset? nonne maxima prorsus cura a romana praesertim et aquileiensi Ecclesia servatus fuisset? At non ille ceteris melius habitus erat, cum neque minorem reliquis variantium numerum exhibeat in his, qui adhuc superant, italicae versionis codicibus manuscriptis.

VIII. Quod ipsum argumenti genus adhuc magis urgeret, si qui dicerent (2), Marcum quidem latine scripsisse, sed processu temporis, cum in graecam linguam eius Evangelium conversum esset, latina eius exemplaria universa penitus intercidisse; ea autem de caussa Hieronymum Marcum ad graecos codices exegisse, qua et Matthaeum ad eosdem exegerat, licet certo constaret, Matthaeum hebraice scripsisse; imo licet adhuc hebraeum beati Evangelistae exemplar extaret apud Nazarenos (3). Quis enim unquam putabit romanam Ecclesiam, in cuius commodum et utilitatem opus illud suum Marcus comparaverat, quamque et antiquitatis tenacissimam, et rerum suarum conservandarum diligentissimam omnes norunt, tam pretiosum atque auro contra gemmisque aestimandum evangelicae praedicationis sibi auditae monumentum, misere intercidere per summam incuriam permisisse? Certe Ecclesiam illam omnium principem minime novit, qui ita sentit. Neque adductum ex hebraeo Matthaei Evangelio exemplum quidquam sententiae illi suffragatur. Nam Nazarenos Evangelium illud non tam servasse, quam foedissime depravasse, adiectis plerumque ineptis narratiunculis, certum est (4); licet nonnulli (5) crimen hoc in Ebionitas reiiciant; neque par erat ad exemplar ab haereticis interpolatum Ecclesiae codices reformari, et praeterea non de hebraeo Matthaei textu emendando agebatur, sed de latina versione, quae ex graeco deducta, ad graecum, nec

(1) Vide Mill. proleg. 852. et seqq. Calmet praefat. in variant. lect. in Evang. post. comment. in Actus Apostolor. — (2) Vide Biblia Maxima Parisiensia anni 1660. tom. XIII. proleg. in Nov. Testam. sect. III. cap. XI. — (3) Vide Rich. Simon. Hist. Critiq. du text. du Nouv. Testam. chap. VII. Hieronym. de Vir. illust. cap. III. comm. in Matth. cap. XII. XXIII. etc. — (4) Vide Grotium praef. in Matthaeum, Rich. Simon loc. cit. etc. — (5) Vide Rich. Simon loc. cit.

perperam, exigenda erat: cum ex adverso Marci Evangelium non idcirco ad graecum textum exegit Hieronymus, quod antiquum exemplar latinum aut periisse, aut corruptum ab haereticis fuisse arbitraretur (nam de hac suspicione ne γρῦ quidem apud eundem) sed quod revera graecum exemplar a Marco profectum existimaret.

IX. Nec magis urget quod habet Baronius (1), absurdum videri, Marcum, qui in gratiam Romanorum scribebat, alia lingua, quam romana uti voluisse; cum nec plebeii et infimae conditionis homines graece scirent: nec qui praestantiores ceteris haberentur, graecam linguam in pretio habere consueverint, praesertim post Claudii Caesaris decretum, quo magistratus latina lingua uti iubebantur. Addit porro Cardinalis eruditissimus, graecam linguam per ea tempora ideo apud omnes vilescere incepisse, quod eadem meretriculae fere et impudici homines uterentur; idque producto nescio quo Iuvenalis loco confirmat. At pace tanti viri, nihil haec omnia conficere mihi videntur. Nam primum quod habet, absurdum esse, Marcum, qui Romanis scribebat, graece potius quam latine scripsisse, nihil movet. Siquidem et Paulus iisdem Romanis graece scripsit, et eadem lingua ad Hebraeos: et, ut praeter scriptores canonicos alios commemorem, graece scripsere Irenaeus, Hippolytus portuensis, Apostolis pene suppares, latini licet, ac latinis scribentes. Quin imo non alia lingua scribere decuit Marcum, siquidem in eorum commodum opus suum elucubrabat, qui Romae christianam fidem erant amplexi. Licet enim inter ipsos non dubitem fuisse plurimos genere ac lingua latinos, attamen constabat illa Ecclesia magna ex parte et Iudaeis, qui ex omni gente Romam adventabant; proselytis item qui undecumque convenerant; et ethnicis etiam ex omni lingua, quos Romam aut commercia, aut negotia, aut ipsa urbis celebritas advocarat, quos omnes graecam linguam tunc temporis pervulgatissimam calluisse certum est (2). Quid de servis dicam aut libertis, qui omnes fere aut syri erant, aut aliis ex gentibus, apud quas graeca lingua aut vernacula erat, aut saltem omnibus nota? quid de hominibus paullo eruditioribus, quid de mercatoribus, quid de philosophis aliisque huiusmodi, qui graeca lingua carere nequaquam poterant? Adde, Iudaeos ideo universos fere graecam linguam callere debuisse, cum ut plurimum non alia sacrarum litterarum versione uterentur nisi alexandrina τῶν O., neque enim constat, latinam ullam sacrorum codicum translationem ab Iudaeis unquam fuisse elucubratam. Et tamen ab Iudaeis semper Apostolos in qualibet civitate praedicandi exordium fecisse, iam alibi (3) diximus. Itaque facile mihi persuadeo, romanam Ecclesiam Marci aetate aut Graecis constare, aut iis certe qui graecam linguam callerent, cuius rei haud omnino contemnendum indicium praebet laudata ad Romanos epistola, in qua S. Paulus, praeterquamquod graece scribit, utpote ad eos qui graece scirent, ubi postremo capite ad salutationes ventum est (4), plures profecto Graecos quam Latinos recenset, quod ex ipsis eorum nominibus intelligi potest.

---

(1) Ad ann. XLV. num. XL. XLI. XLIII. — (2) Vide Grot. proleg. in Marcum. Rich. Simon. Hist. Critiq. du Text. du Nouv. Test. chap. XI. — (3) Supr. cap. IV. n. 5. — (4) Cap. XVI.

X. Nec graeca lingua Claudii aetate ita viluerat atque obsoleverat, quemadmodum eruditissimo Annalium Ecclesiasticorum parenti visum est. Nam quod refert ex Svetonio de Claudio graecae linguae usum interdicente falsum omnino est; cum Svetonii verba id prorsus non reddant. En illa (1): *Splendidum virum, Graeciaeque provinciae principem, verum latini sermonis ignarum, non modo albo iudicum erasit, sed etiam in peregrinitatem redegit. Nec quemquam, nisi sua voce, utcumque quis posset, ac sine patrono, rationem vitae passus est reddere.* Porro haec verba quid aliud ostendunt, nisi Claudium ex albo et iudicum et romanorum civium illum expunxisse, non quia graece sciret ac loqueretur, sed quia latine nesciret? Id vero et aequitati et romanis legibus apprime congruenter. Nam qui poterat homo latinae linguae ignarus latinis hominibus ius dicere, latinas leges intelligere, praesertim si non iam in provincia, sed Romae ius illi dicendum fuit, quod ipse Svetonius illis vocibus innuere videtur, *sed etiam in peregrinitatem redegit?* Nec novum ius condidit hac de re Claudius, sed quia censuram gerebat tunc temporis (2), illum loco movit, antiquis legibus obsecutus, quibus homo latinae linguae ignarus ius dicere vetabatur. Nam Tryphoninus, sive Tryphonius, in Digestis (3): *Decreta,* inquit, *a praetoribus latine interponi debent.* Quod item de ceteris iudicibus est intelligendum. Cum autem Claudius in praetura exercenda antiquam severitatem affectaret, in graecum hominem censorio iure animadvertit. Nec firmius praesidium Baronio praestant, quae apud Svetonium sequuntur. *Nec quemquam, nisi sua voce, utcumque quis posset, ac sine patrono, rationem vitae passus est reddere.* Neque enim de lingua, qua in iudiciis utendum esset, historicus loquitur; tantum refert Claudium vetuisse, ne quis, vitae suae rationem censori redditurus, patrono uteretur, sed causam suam per se diceret, quo tandem modo ipse posset: quod profecto cum graeca lingua a Claudio proscripta commune habet nihil.

XI. Nec firmius id ex Iuvenale constituit Baronius, quin imo quae ex illo profert ipsius potius causam infirmare mihi videntur. Sunt autem haec (4):

Nam quid rancidius, quam quod se non putat ulla
Formosam, nisi quae de Tusca Graecula facta est?
De Sulmonensi mera Cecropis? Omnia graece,
Cum sit turpe magis nostris nescire latine:
Hoc sermone pavent, hoc iram, gaudia, curas,
Hoc cuncta effundunt animi secreta.

Haec Satyricus, non iam de meretricibus, sed de matronis ipsis commemorat, quas inter nulla culta satis ac lepida sibi videbatur, nisi graece loqui didicisset, graecasque voces latinis intermisceret. Loqui vero Iuvenalem de matronis ex eo patet, quod in illa satyra totus est, ut Ursidium Postumum ab uxore

---

(1) In Claudio n. XVI. — (2) Sveton. ibid. — (3) Libro XLII. t. *de re indicata* l. *Decreta a praetoribus.* — (4) Lib. II. Satyr. VI. v. 185. Vide etiam Martialem. l. X. epigram. LXVIII.

ducenda avocet, propositis mulierum eius aetatis moribus atque fastidiis, inter quae ineptam illam commemorat graece loquendi pruriginem, quam graphice nimis his et sequentibus versibus sugillat. Haec vero non iam despectam aut invisam Romae per ea tempora graecam linguam ostendunt, sed communi potius usu usurpatam, quamque nec qui plus ceteris aliquid sapere viderentur, neque ipsae mulierculae paullum elegantiores ignorarent; imo cuius nonnullas voces vel ipsi psittaci perdiscere cogerentur, graece, fortasse eodem modo ac ineptae illae femellae, locuturi. Hinc Persius (1):

Quis expedivit psittaco suum χαῖρε?

Quare, quemadmodum si quis nostrae aetatis mulierculas gallice loquentes audiens, inde apud Italos gallicam linguam despectam esse concluderet, hunc inepte ratiocinari diceremus, cum inde potius gallicam linguam apud nos esse pervulgatissimam sequeretur: ita perperam etiam Baronius hoc de graeca lingua ex allatis Iuvenalis carminibus deduxisse dicendus est.

XII. Quae vero argumenta aut ex latino S. Marci codice (2), qui Venetiis inter Marcianae Basilicae cimelia servatur, aut ex titulo crucis ducuntur, vix egent refutatione. Nam qui codicem latinum esse putant, et B. Evangelistae manu exaratum, latine Marcum scripsisse inde colligunt; cum tamen Sandinus (3) aliique ab eo producti, qui graece illum scripsisse putant, eiusdem codicis sese auctoritate tueantur, quem graecis litteris exaratum existimant. Inepte tamen utrique, cum, ut videbimus, codex ille sexto demum Ecclesiae saeculo scriptus fuerit. De titulo vero crucis nihil dicam. Nam ex eo, quod titulus ille tribus linguis scriptus fuerit hebraica, graeca et latina, hinc deducere tribus etiam linguis Evangelium scribi oportere, ac Matthaeo quidem hebraeum, Ioanni et Lucae graecum, Marco latinum, nihil est nisi cum sapientia insanire. Neque huiusmodi ratiocinandi ratio, etsi nonnullis fortasse mysticis theologis probari possit, eodem etiam modo et criticis arridebit.

XIII. Atque haec fere sunt potissima rationum momenta, quibus sententiam suam munire Baronius conatur, quibus expendendis ac dissolvendis, si diutius fortasse quam par erat, morati sumus, noverit lector, id nos hominis eruditissimi auctoritati tribuisse, quem fere ducem ii omnes sequuntur, qui latine scriptum initio Marci Evangelium tuentur. Neque enim decuit nos tantae auctoritatis pondus aut callide declinare, aut leniter excipere: nec is est magnus Baronius, quem, ubi aliquando erret, obiter possis refutare. Siquidem vel ipsa magnorum virorum errata tanto eruditionis apparatu plerumque munita sunt, ut nonnisi labore multo atque studio possint refelli. Sed haec obiter. Ceterum unus adhuc mihi in hac quaestione scrupulus haeret, quem profecto removere necesse est, ne quae hucusque de graeco Marci Evangelio disputavi, ea incerta pendere adhuc et nutare videantur. Equidem quae ex Augustino et Hieronymo

---

(1) Prolog. v. 6. — (2) Biblia Max. Paris. anni 1660. tom. XIII. praefat. in Nov. Test. sect. III. cap. XI. — (3) Hist. Apost. in Marco in adnot. ad interrog. V. Corn. a Lapid. praef. in Marcum.

in sententiae nostrae praesidium attulimus, invicta esse et perspicua non dubitamus: argumentum vero ex utriusque textus, latini scilicet et graeci, collatione deductum, tale esse ut nulla prorsus vi subverti possit, fatebitur profecto quicumque criticae artis vel prima elementa degustaverit: attamen momentum, quod ex Orientalium consensione, et nonnullorum Patrum testimoniis (1) ab adversariis producitur, nescio quod profecto caussae nostrae praeiudicium facere videtur. Vidit hoc Sandinus (2), vir acutissimus: sed cum eius sententiae patronos, nonnisi Eutychium alexandrinum, et Auctorem libri pontificalis agnosceret, merito utrumque contemptu potius excipiendum, quam serio refutandum existimavit; nec dignos arbitratus est, qui cum Hieronymo et Augustino, viris eruditissimis, committerentur. At nos non Eutychium tantum et Auctorem illum obscurum libri pontificalis, sed alios quoque protulimus, haud ita quidem antiquos, attamen qui ea quae tradunt ab antiquis accepisse potuerunt. Nihil vero est quod nos ita moveat ac Orientalium fere omnium in hac re consensio; quam profecto contemnat quamvis audax ille criticus Richardus Simonius (3), haud tamen solo contemptu everti posse sanus quisque et omnia circumspiciens existimabit. Nam neque de ea traditione agitur, quae in eorum commodum aut gloriam aliquam cedat, a quibus refertur; neque de ea, quae apud obscuros tantum auctores servata sit, cum ipsis sacris codicibus inserta, neminem prorsus, qui ad ipsos evolvendos accedat, latere possit. Adde, ita esse illam per omnem Orientem pervulgatam, ut non una tantum gens aut altera, sed omnes fere eandem recipiant, imo ipsas Moslemorum aures pervaserit. Nec iuvat cum Simonio (4) reponere, arabicae et persicae translationis auctoritatem nullam esse, utpote quae ex syriaco ductae sint: nam hoc ipsum traditionis illius antiquitatem ostendit, quae geminas illas translationes praecesserit, quod nos adhuc evidentius ex codice mediceo anni DLXXXVI. demonstravimus. Porro qui huiusmodi Orientalium traditionem despiciat tam antiquam, tam firmam ac sibi constantem, tam denique diffusam lateque propalatam, is mihi severo nimis supercilio gentes illas excipere videtur, quae etsi in huiusmodi rebus nugari identidem soleant, non semper tamen, etiam ubi omnes consentiunt, universae simul desipere putandae sunt. Quid inde tamen? An quia Orientalium traditionem nec risu nec contemptu excipiendam existimamus, sententia nostra nutabit? Atqui illa, nisi omnia me ludunt, ita certa est ac firma, ut nulla prorsus vi convelli possit atque subverti. Sed media quadam via incedendum esse mihi videtur; ac, si quid coniecturae tribuendum est, dicendum; Marcum graece quidem primo Evangelium suum conscripsisse; tum illud in eorum commodum, qui graece nescirent, in latinam linguam transtulisse. Placuit id ante nos Cornelio a Lapide (5), Barradio (6), alterique Cornelio Iansenio (7), tum Petro etiam de Natalibus (8), qui tamen graecum ex latino ductum fuisse, per-

---

(1) Vide supr. n. 2. — (2) Hist. Apost. in Marc. interrog. VI. — (3) Hist. du Text. du Nouv. Test. chap. XI. — (4) Loc. cit. — (5) Praef. in Marcum. — (6) Comm. in hist. Evang. l. I. c. XIX. — (7) Praef. in Concord. — (8) In Marco ad diem XXV. April.

peram arbitratur: nec scio undenam hauserit Dupinius (1) quod tam asseveranter affirmat his verbis: *Il est constant, que l'Évangile latin, que nous avons, n'est point de saint Marc:* hoc est: *Constat, Evangelium latinum, quod nos habemus, sancti Marci non esse.* Certe Grotius (2) versionem illam antiquissimam esse aperte fatetur, nec illi refragatur Simonius (3); Millius autem pluribus demonstrat (4), non fuisse illam ab eo elaboratam, qui cetera Evangelia in latinum convertit: quae vero nos speciminis loco superius attulimus (5), satis aperte declarant, translatorem illum peregrinum hominem fuisse, nec latinam linguam adamussim callentem. Quis mihi criticus ostendet, Marcum ipsum illius versionis auctorem nullo modo esse potuisse? Equidem illum revera Evangelium suum ex graeco latinum fecisse, haec quae attulimus nunquam pervincent: esse tamen in his aliquid quod vel leviter in hanc sententiam impellat, aut ipse insanio, aut nemo sanus negabit. At quocumque demum modo illa accipiatur, stat adhuc ac stabit, quod de prima Evangelii illius editione superius diximus: scilicet, graece Marcum scripsisse; quod non coniectura, sed certis argumentis contra Baronium ostendimus.

CAPUT X.

DE CHARACTERE EVANGELII SANCTI MARCI.

I. *Marcus, simplex et brevis prae ceteris, Christi potius facta quam dicta narrat.* II. *Marci stilus rudis ut plurimum, at apertus et perspicuus. De Marci brevitate nonnihil animadversum.* III. *De eadem alia quaedam ex Chrysostomo.* IV. *Cur Marcus rerum ordinem in narratione non sequatur; et undenam factum, ut pauci in eius Evangelio illustrando adlaboraverint.* V. *De XII. postremis Marci versiculis aliquando dubitatum. Eorum canonica auctoritas asseritur.* VI. *Afferuntur laciniae duae, quae in quibusdam codicibus Marci Evangelio adiiciuntur.*

I. Nunc et de stilo, sive charactere Evangelii S. Marci dicenda nonnulla: breviter tamen, cum huiusmodi animadversio potius ad criticem sacrorum librorum, quam ad historiam referatur. Et ad divinam S. Marci in Evangelio suo scribendo inspirationem quod attinet, nihil dicam. Satis enim constat, illud, statim atque editum est, in sacrorum librorum canonem receptum fuisse, praesertim cum illud S. Petrus Apostolorum princeps (6) *probasset, et Ecclesiis legendum sua auctoritate edidisset.* Nec de illo postea unquam est dubitatum, sed ab omnibus perpetuo receptum est, si Ebionaeos, Marcionitas aliosque

(1) Dissert. prélim. sur la Bible lib. II. chap. II. §. 4. in notis. — (2) Proleg. in Marcum. — (3) Loc. cit. — (4) Proleg. 521. — (5) Supr. num. 5. — (6) Hieron. de Vir. illust. cap. VIII. Clemens apud Euseb. Hist. Eccl. lib. II. cap. XV. etc. Vide supr. cap. VI. n. 1. et 2.

nonnullos primae aetatis haereticos (1) excipias, quorum tamen quanta in sacro codice corrumpendo atque interpolando licentia fuerit, quantum sibi in falsis Evangeliis cudendis, vel in veris reiiciendis permiserint, nemo ignorat (2). Pari modo nec qua occasione, quibusve de causis Evangelista ad scribendum impulsus fuerit multis exponam. Satis enim superius (3) ipsis S. Clementis verbis prolatis ostendimus, illum, ut romanis S. Petri auditoribus obsequeretur, Evangelium suum Romae composuisse atque vulgasse; quam Clementis narrationem aliorum etiam sanctorum Patrum veterumque scriptorum (4) testimonio roboravimus: ita ut satius sit haec omnino in praesentia praetermittere, quam eandem crambem ad fastidium recoquere. At ad stilum quod attinet, pressum omnino atque humile dicendi genus Marcus secutus est, ac ut in Christi factis enarrandis multus est et minutiora nonnunquam atque leviora sectatur, ita in Christi dictis referendis brevis prae ceteris et verborum parcissimus: ita ut ab illo melius, quid egerit Christus quam quod dixerit, possis ediscere. Porro ita Evangelii sui narrationem temperasse Marcus videtur, ut sese Romanorum desiderio ac votis accommodaret, qui historiam eorum, quae a Christo gesta fuerant, maxime efflagitabant; tum etiam quia, cum ipse Christum non vidisset, sed ea tantum referret quae narrantem Petrum audierat, pronius illi erat Christi facta referre, quam dicta: illa siquidem et facilius memoriae haerere solent, et quibuscumque verbis enarrari possunt: haec vero nec tam facili negotio retinentur, nec quomodocumque referri decet: sed ipsae dicentis voces ac verba, quoad eius fieri potest, servanda sunt. Hinc eadem de caussa Lucas etiam plus factis Christi quam dictis referendis intentus est; cum ex adverso Matthaeus Christi concionibus dictisque recitandis, utpote Apostolus ac praesens auditor maxime vacet, multoque magis Ioannes, Christo inter Apostolos carissimus, ac cuius menti universa Christi verba miro prorsus modo adhaerescebant. Licet enim divino instinctu permoti universi Evangelistae ad scribendum accesserint, scribentibusque Spiritus Sanctus perpetuo adfuerit, ita adfuisse tamen credendus est, ut nullam naturae vim inferret omnino: sed unumquemque, pro ingenii sui modo scribentem, ne in errores aut mendacia laberetur prohibuerit; quae dicenda essent, quae omittenda occulta quadam vi ac penitus latente suggesserit, ita ut dum se ingenium suum sequi, suaeque mentis motibus obtemperare arbitratur, adsistentis sibi Sancti Spiritus voluntati vel inscius obsequeretur (5).

II. Atque hinc profecto humilis illa atque neglecta dicendi ratio, quam in Evangelio suo sequitur Marcus, repetenda est; cum ex adverso S. Lucas nitidum ubique se, cultum et graecae linguae peritissimum exhibeat. Etenim, ut optime animadvertit S. Petrus Damiani (6), *quisquis Evangelium B. Marci*

---

(1) Sixt. Senens. Bibl. sanct. libr. VII. haer. III. Vide supr. cap. VI. n. 1. — (2) Vide Irenaeum lib. I. cap. IX. n. 2. lib. III. cap. XI. n. 7. cap. XII. n. 12., Epiph. haer. XXVIII. n. 5. haer. XXX. n. 5. 12. haer. XLII. n. 9., Tertull. contr. Marc. lib. IV. n. 3. 4., Philastr. de haeres. cap. XXXVI. etc. — (3) Supr. cap. VI. n. 2. — (4) Ibid. — (5) Vide Rich. Simon. Hist. Critiq. du text. du Nouv. Test. chap. XXIII. XXIV. — (6) Serm. XIV.

subtili meditatione considerat, et alta, ut dignum est, indagatione pertractat, rudibus quidem et non accuratis descriptum verbis, sed uberrimis inveniet caelestis intelligentiae redundare mysteriis. Atque hoc ille quidem de latino Marci textu iure dixit, quod tamen iure de graeco etiam dicendum est. Nam praeterquamquod simplex est atque demissus, ita ut nullibi vel paullisper assurgat, nec elegans aliquid sapiat aut venustum; tot praeterea hebraicis, sive syriacis locutionibus ac dicendi modis refertus est (1), ut barbarum nescio quid et peregrinum sonare videatur, quidquid visum fuerit Henrico Stephano (2), qui, ut reliquorum Novi Testamenti scriptorum, ita et Marci etiam dictionem ad graecae linguae ingenium exactam esse, ceteris licet criticis renuentibus (3), ostendere conatus est. At quantum elegantiae decedit in Marco, tantum accedit perspicuitati; *est enim stilus Evangelii eius apertus, nihilque habet quo mens haereat,* ut optime animadvertit Theophylactus (4). Ac licet non ea eloquentia Marcus praeditus sit, quae rebus graphice describendis, ac veluti sub oculis exhibendis maxime facit: nihilominus ingenuitate nescio qua, et eorum, quae rem quamque circumstant, diligenti expositione id demum efficit, ut et cuiusque intelligentiae se optime accommodet, et legentium animos non sine maxima voluptate ac suavitate detineat. Accedit perspicuitati, quae ipsam raro apud profanos scriptores comitari solet, brevitas; ac ad stilum Veteris Testamenti, prout illud LXX. Interpretes reddidere, comparata verba tum dispositio, ita ut, Marcum dum legis, ipsam LXX. seniorum versionem tibi versare videaris; quo fit, ut incomptum illud et semihebraeum dicendi genus minime averseris, cum non tam graecum volumen, quam ex hebraeo versum legere putes: quod licet ceteris etiam Novi Testamenti scriptoribus commune sit (5), eminet in Marco tamen prae reliquis, utpote qui, ut ostendimus (6), non religione tantum sed gente etiam iudaeus fuisse videatur. Habet vero maiestatem nescio quam atque perspicuitatem illa dicendi ratio; cumque illa nobis nonnisi in sacris litteris obvia sit, quicumque illam sequitur, sacrum nescio quid sonare atque divinum videtur. Atque huc sane respexisse Petrum Damiani putaverim, ubi ait de Marci Evangelio (7): *Est plane stili brevitate succinctum, sed profunda mysterii ubertate diffusum. Perscrutantes namque omnes fere paginas scripturarum, invenire vix possumus spiritum veritatis cautius vel circumspectius per alium quemlibet, quam per os Marci fuisse locutum; adeo ut ipsa descriptionis series, et ordo verborum magnum contineat sacramentum.* Ceterum non unus est Petrus Damiani, qui dicendi brevitatem in Marco commendet. Damiano praeiverat Chrysostomus, qui Lucae ubertatem, et Marci brevitatem invicem conferens: *Uterque,* inquit (8), *magistrum suum omnino est imitatus: ille quidem*, h. e. Lucas, *Paulum flumi-*

---

(1) Grot. praef. in Mar. Vide supr. cap. I. n. 2. 4. — (2) Praef. in edit. graec. Nov. Test. ann. MDLXXVI. — (3) Vide Simon. loc. cit. chap. XXVII. — (4) Theophyl. praef. in Marc. Ἔστιν οὖν ὁ χαρακτὴρ τοῦ Εὐαγγελίου (τοῦ Μάρκου) σαφής, καὶ οὐδὲν ἔχων περιπεπλεγμένον. — (5) Rich. Simon. loc. cit. — (6) Supr. cap. I. n. 4. — (7) Serm. XIV. — (8) Chrysost. hom. IV. in Matth. n. 1. ἕκαστος δὲ ὁμοίως τὸν διδάσκαλον ἐμιμήσατο· ὁ μὲν τὸν Παῦλον ὑπὲρ τοὺς ποταμοὺς ῥέοντα, ὁ δὲ τὸν Πέτρον, βραχυλογίας ἐπιμελούμενον.

num ritu fluentem; hic vero, i. e. Marcus, *Petrum brevitati studentem.* Quod imitatus anonymus nescio quis apud Lamium (1), ita eleganter cecinit:

Πέτρου μιμητὴς Μάρκος ὀφθεὶς τοῖς τρόποις,
Δίκαιον οὐκ ἔκρινε μὴ καὶ τοῖς λόγοις
Εἶναι μιμητὴν αὐτόν· ὡς καὶ τοῦ τρόπου.
Διὸ βραχὺν θεῖς τοῦ μακροῦ Λόγου λόγον,
Μικρὰ μὲν εἶπε ῥήματ' εὐλογιστίας,
Ἑνὸς δὲ μὴ δέοντα τῶν λοιπῶν ὅρου.

Quae ita licet transferre:

Petri aemulator moribus Marcus suis,
Sermone quoque Petrum aemulandum credidit,
Verbo ut magistrum moribusque redderet.
Hinc ille verbo maximum Verbum brevi
Conclusit, arcto verba dum volumine
Haud multa diae conderet scientiae;
Ast addidisse queis liceat prorsus nihil.

III. Nec diffitemur, haec, quae de Marci in scribendo brevitate ab utroque dicuntur, non modo ad pressum illud ac expeditum dicendi genus pertinere, quod Marcus secutus est, verum etiam ad ipsam Evangelii molem referri, quod omnium Evangeliorum brevissimum esse omnes norunt. Porro de hac ipsa brevitate ita laudatus Chrysostomus (2): *Quid igitur Marcus, inquiunt, hoc non facit, nec genealogiam Christi refert, sed compendio omnia recenset? Videtur quidem mihi Matthaeus ante alios opus aggressus fuisse, ideoque et genealogiam ponit diligenter, et quae necessaria sunt, iis immoratur. At Marcus post ipsum* scripsit: *ideoque breviorem viam insistit, ea quae modo dicta fuerant atque patefacta commemorans.* Quibus sane verbis videtur Chrysostomus Augustino consentire, qui Marcum *Matthaei pedisequum et breviatorem* (3) appellat. Sed hoc quid sit, iam alibi vidimus (4). Ceterum non ideo tantum aliis brevior Marcus, quia ea, quae ab aliis referuntur, ipse indicta praetereat, cum et alii nonnulla omittant, quae ab ipso narrantur, ut ex Ammonii canone decimo deprehendi potest; sed quia, ut modo innuimus, in Christi sermonibus referendis parcus admodum sit, quod certe brevitati maxime conducere nemo non novit.

IV. Quod vero ordinem gestorum minime Marcus sequatur, sed multa alio loco referat, quam quo pro rerum, quae referuntur, serie erant collocanda, iam a primis Ecclesiae saeculis est animadversum. Papiae locum de hac re su-

---

(1) De Erud. Apost. cap. XIII. sect. IV. n. XVII. — (2) Chrys. loc. cit. Τί οὖν ὁ Μάρκος, φησίν, οὐ ποιεῖ τοῦτο, οὐδὲ γενεαλογεῖ τὸν Ἰησοῦν, ἀλλ' ἐπιτόμως ἅπαντα φθέγγεται; Ἐμοὶ δοκεῖ, ὁ μὲν Ματθαῖος πρὸ τῶν ἄλλων ἦρχθαι τοῦ πράγματος, διὸ καὶ τὴν γενεαλογίαν τίθησι μετ' ἀκριβείας, καὶ πρὸς τὰ κατεπείγοντα ἵσταται· ὁ δὲ Μάρκος μετ' ἐκεῖνον, διὸ ἐπὶ σύντομον ἦλθεν ὁδόν. ἅτε τοῖς ἤδη λεχθεῖσι, καὶ ἐξ ἡλοις γεγενημένοις ἐπιχειρῶν. — (3) De Consens. Evang. lib. I. cap. II. n. 4. — (4) Supr. cap. VI. n. 4.

perius a nobis relatum (1) videre potes, qui etiam adiicit, hoc ideo evenisse, eo quod Marcus Petri sectator, cum ab eo Christi facta didicisset, ea prout memoriae sibi suppetebant scriptis consignaret: *non tam ipsorum seriem atque ordinem secutus, quam ne falsi quicquam intermisceret sollicitus.* Quin imo ex hac ipsa Marci cum Petro necessitudine factum fuisse putat Eusebius (2), ut ea fere omnia praetermitteret, quae in beati illius Apostoli laudem ac decus referri poterant, quod item superius animadvertimus (3). Enimvero haec ipsa Marci brevitas, ac nescio quae cum Matthaei Evangelio similitudo in causa fuit, ut inter sanctos Ecclesiae Patres pauci admodum, qui in Marcum scriberent, reperti sint. Nam, iis exceptis, qui universa Evangelia illustrarunt, puta Bedam, Theophylactum, Euthymium aliosque sequioris aetatis, unicus affertur a Calmeto (4) Victor antiochenus presbyter, qui scholia in S. Marcum concinnaverit. Nam Theophilum non moror, cui perperam, quod extat in bibliothecis Patrum commentarium in Marcum, subiectum est: latini hominis opus, nec magni aestimandum (5). Cuius quidem rei fidem facit tum Victor ipse in commentariis (6), quae in catena in Marcum apud Possinum habentur; tum apud eundem Possinum Anonymus Vaticanus (7), qui sibi invicem fortasse ignoti, neminem ante se in Marcum scripsisse testantur, nisi fortasse verba illa Anonymus ex Victore ipso descripsit. Eadem fere habet etiam auctor latinus commentarii in Marcum (8), qui olim sub Hieronymi nomine legebatur. Ita enim ait: *Quem ideo Evangelistam tractantes, ut puto, intactum praetereunt, quia eadem pene quae Matthaeus narrat; licet in propriis quibusdam sint distincti testimoniis.* Optime tamen animadvertit Beda, Marcum, licet ceteris breviorem, ac Evangelium a Baptistae praedicatione tantum exorsum, cum alii de Christi aut nativitate aut aeterna generatione loquantur, narrationem tamen suam ceteris longius proferre (9), scilicet usque ad annuntiati per Apostolos, et in universum mundum disseminati Evangelii tempora: *Evangelium suum*, inquit (10), *Marcus, quanto tardius ceteris inchoavit, tanto in longiora scribendo tempora porrexit.* Quem locum perperam de tempore, quo Marcus Evangelium suum elucubravit, nollem accepisset Sandinus, vir alioquin diligentissimus.

V. Atqui hic ipse Bedae locus admonet ut aliquid et de postremis etiam XII. Evangelii Marciani versiculis adiiciam, de quibus acriter est aliquando a criticis disputatum. Rem tamen paucis perstringam, utpote quae ad sacros potius criticos, quam ad nos pertineat. Illos aetate sua ab omnibus fere graecis codicibus abfuisse testatur sanctus Hieronymus in epistola ad Hedibiam (11), ubi quaestiunculam nescio quam dissolvens, quae ex Marci cum ceteris Evangelistis conflictu oriri videbatur, *huius quaestionis*, inquit, *duplex solutio est. Aut enim non recipimus Marci testimonium, quod in raris fertur Evangeliis, omnibus Graeciae libris fere hoc capitulum in fine non habentibus, praesertim cum di-*

(1) Supr. cap. VI. n. 3. — (2) Demonstr. Evang. lib. III. pag. 120. — (3) Supr. cap. VI. n. 3. — (4) Biblioth. sacr. part. II. in Marco. — (5) Vide Cave, Oudin etc. — (6) In prolog. — (7) In prolog. — (8) Inter oper. S. Hieronymi tom. XI. part. III. in prolog. — (9) Marc. XVI. v. ultimo. — (10) Comm. in Marc. ad loc. cit. — (11) Epist. CXX. al CL. quaest. III.

versa atque contraria Evangelistis ceteris narrare videatur, aut etc. Gregorius quoque nyssenus (1): *In accuratioribus,* inquit, *exemplaribus Evangelium S. Marci desinit in haec verba* (2): ἐφοβοῦντο γάρ, i. e. *timebant enim.* Eadem memorat in hunc Marci locum Euthymius: nec desunt exemplaria manuscripta quae vel ea omnia quae sequuntur praetermittant, vel etsi referant, moneant tamen in aliis aliquibus desiderari, ut in codice regio parisiensi apud Millium, ubi legitur (3): *In nonnullis exemplaribus hucusque* (hoc est ad illa verba ἐφοβοῦντο γάρ) *ducitur Marci Evangelium. In multis haec habentur:* ἀναστὰς δὲ *etc.* Vide de huiusmodi exemplaribus quid habeant idem Millius (4) et Richardus Simonius (5). Victoris quoque antiocheni, et Anonymi tholosani interpretatio in Marcum non ulterius apud Possinum (6) progreditur; quod haud leve indicium est, illos, vel postremos hosce versiculos in suis codicibus non legisse, vel saltem non habuisse pro authenticis. Nec aliter laterculus τῶν καιφαλαίων, sive capitum, antiquissimus, qui in Milliana aliisque editionibus singulis Evangeliis praemitti solet. Nam cum XLVIII. omnino capitulis constet, postremi titulus talis est: μὴ περὶ τῆς αἰτήσεως τοῦ σωμάτος τοῦ κυρίου: XLVIII. *de petitione corporis Domini:* ita ut nihil praeterea de Christi resurrectione habuerit in suo codice, qui καιφαλαῖα, sive, ut olim dici consuevit, *capitulationes* illas concinnavit. Hinc immerito vapulat apud Baronium (7) Caietanus (8), qui etiamsi dixisset, *ultimum Marci capitulum non esse solidae auctoritatis ad firmandam fidem;* non tamen idcirco *temere in re tanta catholico homine indignam tulisset sententiam.* Neque enim temere agere dicendus fuisset, qui cum nihil adhuc de hac re ab Ecclesia esset definitum, Hieronymi, Irenaei, Victoris, Euthymii et veterum codicum manuscriptorum auctoritatem secutus, aut ipsis credere voluisset, aut saltem rem in ancipiti adhuc esse positam existimasset. At quantum illud est, quod Caietanus, Hieronymi verbis prolatis, hanc ipsam sententiam impugnat atque subvertit? Nam et illud animadvertit, Marcum non stultum modo, verum et perfidum fuisse oportere, siquidem de Christi resurrectione ne verbum quidem fecisset, cum tota fere ex Christi resurrectione christianae fidei veritas pendeat (9): et rursum nihil esse in hoc Marci capite profitetur, quod ceteris Evangelistis aperte contradicat. Quibus verbis ostendit, se nihil de divina duodecim horum versuum inspiratione dubitare: licet, eo quod a nonnullis non admitterentur, non tantae essent, ut reliqua omnia, ad fidem confirmandam auctoritatis. Ceterum addere poterat Caietanus, etsi in aliquibus graecis codicibus non legerentur, in omnibus tamen latinis perpetuo lectos fuisse; haberi etiam in syriaca, arabica, et aethiopica translatione: illos pro canonicis proferre Patres fere universos, interque illos Nyssenum ipsum (10) et

---

(1) De Resurrect. Orat. II. Ἐν τοῖς ἀκριβεστέροις ἀντιγράφοις τὸ κατὰ Μάρκον Εὐαγγέλιον μέχρι τοῦ ἐφοβοῦντο γάρ. ἔχει τὸ τέλος. — (2) Marc. XVI. v. 8. — (3) Ἐν τισὶ τῶν ἀντιγράφων ἕως ὧδε (nempe ad verba ἐφοβοῦντο γάρ) πληροῦται ὁ Εὐαγγελιστής. Ἐν πολλοῖς δὲ ταῦτα φέρεται. Ἀναστὰς δὲ κ. τ. λ. Cod. Paris. 2868. — (4) Proleg. n. 812. 813. 1324. tum in Variant. ad h. l. — (5) Hist. Critiq. du text. du Nouv. Test. chap. XI. — (6) Caten. in Marcum. — (7) Ad ann. XXXIV. n. CLXXXI. — (8) In Marc. in h. l. — (9) Vide I. Corinth. XV. v. 14. — (10) De Resur. orat. 3.

Hieronymum (1); ac Nysseno et Hieronymo longe vetustiorem Irenaeum (2), tum in Canonibus (3) et Monotessaro (4) Ammonium; denique, teste Millio (5) et Simonio (6), antiquissimos codices fere omnes. Haec Caietanus pro sua sententia proferre poterat: quibus nos et illud addimus, quod ille morte praeventus futurum nequaquam potuit divinare; scilicet haud amplius divinam horum versiculorum auctoritatem in dubium posse revocari, postquam sacrosanctae synodi tridentinae decreto statutum est (7): Sacrae Scripturae *libros integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia catholica legi consueverunt, et in veteri vulgata latina editione habentur, pro sacris et canonicis esse suscipiendos.* Itaque certum est, XII. illos versiculos ad ipsum Evangelium pertinere, neque illos nisi haereticus quispiam reiicere, aut de illorum auctoritate potest dubitare.

VI. At non idem dicendum de duabus illis laciniis, quas in antiquis quibusdam codicibus Marci Evangelio assutas aliquando reperiri Simonius (8) et Millius (9) testantur. Illae enim nec unquam ab Ecclesia receptae, nec unquam pro canonicis habitae sunt; ita ut supervacuum prorsus sit de iisdem disputare. Non ingratum tamen facturum me lectori putaverim, si ipsas proferam; poterunt enim sese ipsa novitatis gratia et eruditionis commendare. Ac prior quidem in iis codicibus fere reperitur, ubi XII. illi versiculi, de quibus superius diximus, desiderantur; ubi cum abruptus sermo et mutilus appareret, haec coronidis loco adiecta sunt. Πάντα δὲ τὰ παραγγελμένα τοῖς περὶ τὸν Πέτρον συντόμως ἐξήγγειλαν. Μετὰ δὲ ταῦτα καὶ αὐτὸς ὁ Ἰησοῦς ἀπὸ ἀνατολῆς καὶ ἄχρι δύσεως ἐξαπέστειλε δι' αὐτῶν τὸ ἱερὸν καὶ ἄφθαρτον κήρυγμα τῆς αἰωνίου σωτηρίας. *Omnia igitur quae sibi commissa fuerant,* mulieres *Petro adamussim retulere: postea et ipse Iesus ab ortu ad occasum diffudit per ipsos sacrum et incorruptum aeternae salutis praeconium.* Alterum additamentum exhibet in libris contra Pelagianos Hieronymus (10): *In quibusdam exemplaribus,* inquit, *et maxime in graecis codicibus, iuxta Marcum, in fine eius Evangelii scribitur: Postea cum accubuissent undecim, apparuit eis Iesus, et exprobravit incredulitatem et duritiem cordis eorum, quia his, qui viderant eum resurgentem, non crediderunt. At illi satisfaciebant dicentes: saeculum istud iniquitatis et incredulitatis substantia est, quae non sinit per immundos spiritus veram Dei apprehendi virtutem. Idcirco iam nunc revela iustitiam tuam.* Alia fortasse hic addebantur, quae tamen non extant; quamvis non est cur eorum vicem magnopere doleamus.

---

(1) Contra Pelag. lib. II. n. 15. — (2) Lib. III. cap. X. n. 6. alias cap. XXXV. n. 3. — (3) Can. $\frac{\sigma\lambda\delta.}{\iota.}$ $\frac{\sigma\lambda\varepsilon.}{\varepsilon.}$ — (4) In Concor. cap. CLXXIII. CLXXV. CLXXVI. CLXXVII. CLXXXI. — (5) Ll. cc. — (6) Loc. cit. — (7) Sess. IV. de Reform. — (8) Loc. cit. — (9) Ll. cc. — (10) Lib. II. n. XV.

CAPUT XI.

DE LEONIS HIEROGLYPHICO MARCO INTER EVANGELISTAS TRIBUTO.

I. *Evangelistarum symbola ex Ezechielis visione et Apocalypsi deducta.* II. *Leonem Marco tribuit Hieronymus, et cur? Hominem Augustinus, quem nemo tamen est secutus.* III. *Maior habita Irenaei ratio, qui Marci symbolum aquilam statuit: illum enim ex Graecis nonnulli sequuntur, praesertim Theophylactus.* IV. *Nec desunt qui bove Marcum significari arbitrantur.* V. *Ceteris tamen omnibus Hieronymi sententia anteferenda.*

I. Nunc, quoniam de Marci Evangelio quaecumque scitu digna videbantur diligenter evolvimus, videtur nec illud esse praetermittendum quod ad leonis symbolum pertinet, quo, ut plurimum, eius imagines a pictoribus et statuariis ornari solent; imo quo ipsemet S. Evangelista, praesertim apud Venetos, veluti sacro quodam hieroglyphico solet significari. Cuius quidem consuetudinis originem ex Ezechielis prophetae et Ioannis evangelistae visionibus esse repetendam vix est inter eruditos, qui nesciat; ea tamen quomodo aut quando primum inducta sit, deinde processu temporis quomodo convaluerit, cum res paulo sit obscurior, diligenter quaerendum est. Ac ad Ezechielem quod attinet, refert ille (1), se anno XXX. babylonicae captivitatis, dum iuxta fluvium Chobar in Chaldaea versaretur, extra se raptum repente fuisse, ac nubem ingentem vento aquilonari actam inspexisse, quae igne feta, ac late fulgenti lumine coruscans liquefacti aurichalchi (2) speciem praeseferebat. At in ipso nubis sinu quattuor animalia moveri ac gradi videbantur; hominis quidem cetera membra, sed facie inter se diversa, cum aliud hominis vultum, aliud leonis, aliud vituli, postremum vero aquilae exhibere videretur. Erant autem singula senis alis instructa, humanis manibus, pedibus vitulinis, ac in morem accensae lampadis refulgentia. Eandem sibi visionem oblatam fuisse refert in Apocalypsi Ioannes theologus (3); qui tamen dum animalia illa eodem pene modo ac Ezechiel describit, addit fuisse illa oculis plena ante et retro et in circuitu et intus, nec iam in nube stetisse, sed ante Dei thronum, et circa illud volasse, nec a Dei laudibus celebrandis unquam destitisse. Porro quid duplex haec Ioannis et Ezechielis visio, ac praecipue quatuor illa animalia significarent, diligenter vel ab ipsis Ecclesiae primordiis quaesitum est, ac demum ab omnibus fere itum in eam sententiam, quae statuebat, licet alia quoque sacris illis symbolis referri possent, nulli tamen melius quam sacrae illi Evangelistarum τετράδι convenire: cum et tot illis oculis multiplex illa scientia significaretur, qua caelitus instru-

(1) Ezech. cap. I. v. 1. et seqq. — (2) Vide de Prado in Ezechiel. cap. I. sect. 3. — (3) Cap. IV. v. 6. et seqq.

cti sunt; et vitulini pedes firmitatem quandam exhibeant, veritati rerum quae ab illis referuntur apprime respondentem; alae vero illae divinorum eloquiorum sublimitati indicandae opportune sint comparatae. Hinc licet Origenes (1), Theodoretus (2), Nazianzenus (3), Auctor quaestionum ad Orthodoxos (4), Eucherius lugdunensis (5), Rupertus (6), aliique nonnulli (7) totam illam visionem aut de ipso Christo, aut de Ecclesia accipiendam esse, nec inepte, putaverint; maxima tamen SS. Patrum turba de Evangelistis accepit, quos inter (8), Hieronymus (9), Augustinus (10), Primasius (11), Theophylactus (12), Ambrosius (13), Gregorius Pp. (14), Sedulius (15), Iuvencus (16), Isidorus (17) commemorandi sunt, ut ceteros fere innumeros minorum gentium Patres et interpretes (18) praetermittam. Quare nil mirum videri debet, si tantorum Patrum auctoritate permota, in hanc demum sententiam universa concessit Ecclesia: ac licet nunquam certum de hac re iudicium protulerit, eorum tamen animantium effigies et singulis Evangelistis apponi sivit, et eosdem ipsos per ea animantia significari: tum illum Ezechielis locum, occurrentibus SS. Evangelistarum solemnitatibus, in ecclesiasticis officiis legi constituit; quo profecto ostendit, hanc sibi prae ceteris propheticae illius visionis interpretationibus maxime probari.

II. Quod item et de altera illa huius quaestionis parte dicendum est, qua quaeritur, quodnam propheticorum animantium unicuique Evangelistae sit tribuendum: cum licet nonnulli aliter senserint, frequens tamen SS. Patrum et interpretum turba in Hieronymi sententiam pedibus ierit, quae hominem Matthaeo, leonem Marco, vitulum Lucae, aquilam denique adsignat Ioanni: quod etiam communi fere Christianorum omnium usu comprobavit Ecclesia. Huius autem distributionis causam ex ipsis Evangeliorum exordiis ducit Hieronymus, cuius verba ex libris contra Iovinianum placet excribere (19): *Sed et ipsum*, inquit, *Ioannis Evangelium multum distat a ceteris. Matthaeus quasi de homine incipit scribere: liber generationis Iesu Christi filii David, filii Abraham. Lucas a sacerdotio Zachariae, Marcus a prophetia Malachiae prophetae et Isaiae. Primus habet faciem hominis propter genealogiam: secundus faciem vituli propter*

---

(1) In Ezech. hom. I. n. 15. — (2) In Ezech. cap. I. — (3) Orat. XLVII. — (4) Inter oper. S. Iustini quaest. XLIV. — (5) De formul. cap. XI. n. 4. — (6) In Apoc. lib. III. ad loc. cit. — (7) Vide Hieron. in Ezech. cap. I., Aret. caesar. in Apoc. cap. X., Andr. caesar. in Apoc. cap. X. — (8) Lib. III. cap. XI. — (9) In Ezech. cap. I. Prooem. com. in Matth. contr. Iovin. lib. I. n. 26. — (10) De Consens. Evang. lib. I. cap. VI. n. 9. In Ioan. tract. XXXVI. n. 5. — (11) In Apoc. ad loc. cit. — (12) Proleg. in Marc. — (13) In Luc. lib. I. in prol. — (14) In Ezech. hom. II. n. 18. hom. III. n. 1. hom. IV. n. 2. — (15) Carm. Pasch. lib. I. v. 339. — (16) Epigr. de Symb. Evangelistarum. — (17) Praef. in Nov. Test. Allegor. in Nov. Test. — (18) Berengaud. in Apoc. vision. II., Ansbert. in Apoc. cap. IV. Auct. serm. inter oper. S. Fulgentii serm. I., Victorin. petavion. in Apoc. cap. IV., Aret. caesar. in Apoc. cap. X., Beda in Apoc. cap. IV., Auct. Synops. S. Script. inter oper. S. Athanasii num. LXXVI., Andr. caesar. in Apoc. cap. X., Anast. sinait. Anagog. Contempl. lib. IV., Laur. Iustinian. serm. XIV., Pasch. Radbert in Matth. lib. V. sub init., Tichonius Donat. in Apoc. hom. III., Paulinus Aquilei. Hymn. in S. Marc. vers. 19., Petr. Damiani serm. XIV, Disput. puerorum apud Alchuinum cap. IX. interr. XII. — (19) Lib. I. n. 26.

sacerdotium; tertius faciem leonis propter vocem clamantis in deserto (1): *parate viam Domini: rectas facite semitas eius. Ioannes vero noster quasi aquila ad superna volat, et ad ipsum Patrem pervenit, dicens: In principio erat Verbum etc.* Eadem et in prooemio commentariorum in Matthaeum iterum inculcat; tum in interpretatione Ezechielis (2), aliorum etiam coniecturis propositis, accuratissime illustrat. Itaque ex Hieronymi sententia leo, *regium animal*, ut ipsum Theophylactus appellat (3), Marco tribuitur, eo quod initio Evangelii sui Ioannem Baptistam exhibeat, in solitudine praedicantem atque clamantem, veluti leonem quendam in deserto rugientem atque vociferantem. Atqui regia haec ipsa leonis dignitas, quam in bellua illa universi fere (4) agnoscere solent, in causa maxime est, cur non iam Marco, sed Matthaeo leonis symbolum tribuat Augustinus (5), cum regia Christi ex David origo (6) regiaque illi munera a Magis oblata (7), aliaque ab eo referantur, quibus *regia Christi persona commendetur*. Neque enim eos probat S. Doctor, qui *de principiis librorum quandam coniecturam capere voluerunt*, cum illa potius ex universo uniuscuiusque Evangelii ingenio atque scopo ducenda esset, sive, ut ille habet, *de tota intentione Evangelistarum, quae magis erat perscrutanda*. Hanc autem perpendens Augustinus, hominem Marco tribuendum esse, constituit. *Marcus*, inquit (8), *qui neque stirpem regiam, neque sacerdotalem* (quemadmodum fecit Lucas) *vel cognationem, vel consecrationem narrare voluit, et tamen in eis versatus ostenditur, quae Homo Christus operatus est, tantum hominis figura in illis quattuor animalibus significatus videtur*. Eadem et alibi (9) memorat: quem tamen, acute licet et sapienter haec animadverterit, nemo secutus est, quod ipse noverim, uno Beda excepto (10), Augustinum more suo non tam sequente quam excribente.

III. At idem Augustinus paullo ante eorum coniecturam protulerat, qui animalia illa alio ordine disponentes, aquilam Marco nostro tribuerant. Auctor eius Irenaeus martyr (11), cuius ex antiquissima versione latina locum placet afferre: *Marcus vero*, inquit, *a prophetico spiritu, ex alto adveniente hominibus, initium fecit: Initium, dicens, Evangelii: quemadmodum scriptum est in Esaia propheta: volatilem et pennatam imaginem Evangelii monstrans: propter hoc et compendiosam et praecurrentem annuntiationem fecit: propheticus enim character*

---

(1) Malach. III. v. 1. Isai. XL. v. 3. — (2) In Ezech. cap. I. v. 7. — (3) Prooem. in Marc. — (4) Vide Dionys. de Caelesti Hierarch. cap. XV. num. 8., Epiph. haer. LXXVIII. num. 12., Isid. Orig. lib. XII. n. 2., Cyrill. Hieros. catech. X. n. 3., Hilar. in Ps. CXXXI. n. 8., Euseb. Demonst. Evang. lib. VIII. Orient. de Nativ. Dom. vers. 115., Ambros. in Hexaemeron. l. V. c. III. n. 14., Basil. in Hexaem. hom. IX. etc., tum ex prophanis Philostr. in vita Apoll. lib. IV. cap. XV., Aelian. Hist. Anim. lib. III. cap. I. lib. XV. cap. 17. Dion. Chrysost. Orat. de Regno etc. — (5) De consens. Evang. lib. I. cap. VI. n. 9. — (6) Matth. I. v. 1. — (7) Ibid. cap. II. v. 1. — (8) Ibid. — (9) In Ioann. tract. XXXVI. n. 5. — (10) In Apoc. cap. IV. v. 6. — (11) Lib. III. cap. XI. n. 8. *Μάρκος δὲ ἀπὸ τοῦ προφητικοῦ πνεύματος, τοῦ ἐξ ὕψους ἐπιόντος τοῖς ἀνθρώποις τὴν ἀρχὴν ἐποιήσατο λέγων· Ἀρχὴ τοῦ Εὐαγγελίου Ἰησοῦ Χριστοῦ, ὡς γέγραπται ἐν Ἡσαΐᾳ τῷ προφήτῃ· πτερωτικὴν εἰκόνα τοῦ εὐαγγελίου δεικνύων. Διὰ τοῦτο δὲ καὶ σύντομον, καὶ παρατρέχουσαν τὴν καταγγελίαν πεποίηται· προφητικὸς γὰρ ὁ χαρακτὴρ οὗτος.*

est hic. Itaque ex mente Irenaei Marco aquila convenit, tum quia e caelo veniant prima eius verba ex prophetis deducta, tum etiam quia brevitate ipsa sua praepetem aquilae volatum imitari videatur: atque haec Irenaei coniectura non modo Aretae (1), et Andreae (2) caesareensibus, sed ipsi etiam Theophylacto (3) maxime probatur, dicenti: *Evangelium secundum Marcum aquilae comparamus; siquidem a Ioanne propheta duxit exordium. Atqui prophetica gratia cum et acute cernat et remota pervideat, aquilae similis est. Aiunt autem, aquilam acutissimo visu pollere, ita ut sola inter animantia oculos in solem possit intendere, quin fulgore illo perstringantur.*

IV. Enimvero ne ullum esset animal, inter illa quattuor, quod non Marco ab aliquibus tribueretur, bovem etiam S. Evangelistae nostri figuram gerere auctor Synopseos S. Scripturae (4), et Anastasius sinaita (5) dixerunt, quos inter Anastasius (nam alter ille nullam asserti sui causam profert): *Marcum*, ait, *tamquam bovem apparuisse inter animalia sex pennarum, eo quod a sacrificio Evangelii sui exordium duxerit*. Attamen a sacrificio non iam Marcus, sed Lucas orditur. Meminit quoque huius sententiae Berengaudus (6), scriptor saeculi VIII. qui tamen aliam afferri causam tradit, scilicet, *propter simplicitatem eloquii:* quae profecto, ut diximus (7), in Marco maxime elucet.

V. Utcumque tamen haec omnia sollerter excogitata sint, Hieronymi tamen sententia, ut diximus, probata est prae ceteris, vixque aetate nostra quemquam reperire est, non dicam qui Marco aut aquilam, aut hominem, aut bovem adsignet, sed qui haec illi noverit fuisse aliquando tributa. Fecit hoc maxima in utraque Ecclesia, latina praesertim, Hieronymi auctoritas; fecit ipsa allatae a sancto doctore interpretationis perspicuitas, omnium captui apprime accommodata; fecit denique SS. Patrum, latinorum praecipue, in sententia illa amplectenda consensio (8). Iuverit inter plurimos tres tantum adducere, quorum duo quidem ipsa poetici stili gratia, postremum vero praeter eloquentiam ipsa quoque veneti patriarchae dignitas, venetis lectoribus, quibus potissimum scribimus, commendabit. Sunt porro illi Sedulius presbyter, Aquilinus Iuvencus, et Laurentius Iustinianus. Ac Sedulius quidem (9) quattuor illa animalia hisce versiculis describit, quae antiquis mss. Evangeliariis apponi aliquando consuevere (10).

---

(1) In Apoc. cap. X. — (2) In Apoc. cap. X. — (3) Prooem. in Marc. Τὸ δὲ κατὰ Μάρκον Εὐαγγέλιον ἀετῷ παρεικάζομεν· ἀπὸ γὰρ προφήτου ἤρξατο τοῦ Ἰωάννου. Ἡ δὲ προφητικὴ χάρις, προορατικὴ οὖσα, καὶ ὀξέως τὰ πόρρω βλέπουσα, ὡς ἀετός ἐστι. Φασὶ γὰρ τὸν ἀετὸν ὀξυδερκέστατον εἶναι, ὥστε καὶ μόνον τῶν ἄλλων ζώων πρὸς τὸν ἥλιον δύνασθαι ἀτενίζειν μὴ καμμύοντα. — (4) Inter op. S. Athan. tom. II. n. 76. — (5) Anagog. contempl. libr. IV. in Biblioth. Patr. Colon. t. VI. part. I. pag. 646. H. — (6) In Apoc. Visione II. inter oper. S. Ambros. tom. IV. — (7) Supr. cap. X. n. 2. — (8) Berengaud. l. c. Primas. in Apoc. cap. IV. v. 7., Ansbert. in eund. loc., Pseudo-Fulgent. hom. I., Victorin. Petav. in Apoc. loc. cit., Ambr. in Luc. Prolog. in lib. I., Isidor. praefat. in Nov. Testam., Allegor. in Nov. Testam., Pasch. Radbert. in Matth. lib. V. sub init., Gregor. PP. in Ezech. hom. IV. n. 2., Paulin. Aquilei. hym. in S. Marc. v. 19., Petr. Dam. serm. XIV., Theodulph. Aurelian. vers. in fronte Biblior. inscript. vers. 92. — (9) Carm. Pasch. lib. I. cap. XXIV. v. 339. — (10) Vide Lami de Erud. Apost. cap. XIII. sect. II. parag. 2. n. CX.

Hoc Matthaeus agens, HOMINEM *generaliter implet.*
Marcus ut alta fremit vox per deserta LEONIS.
Iura sacerdotis Lucas tenet ore IVVENCI.
More volans AQVILAE *verbo petit astra Ioannes.*

Adhuc elegantius Iuvencus presbyter in epigrammate *de IV. Evangelistis*, prout editum est a Fabricio (1): nam apud Barthium (2) Marco non leo sed aquila tribuitur.

Virtutum instituit Matthaeus tramite mores,
Et bene vivendi iusto dedit ordine leges.
Infremit ore pio Marcus; similisque leoni
Insonat, aeternae pandens mysteria vitae.
Lucas uberius describit praelia Christi,
Iure sacer vitulus, qui iuxta moenia fertur (3).
Terras inter amat caelumque volare Ioannes,
Et vehemens aquilae stricto secat omnia lapsu.

Denique protopatriarcha noster Laurentius alias etiam symboli huius causas producens: *Non abs re,* inquit (4), *inter sancta animalia, quae spiritu fuere praenuntiata prophetico, Evangelista iste leonis gerit imaginem. Quamvis enim sive quod a Ioannis praedicatione Evangelii sui exordium sumpserit, sive quia ceteris clarius ipse dominicae Resurrectionis mysteria reseravit,* LEO *figuraliter nuncupatur: merito tamen ob rugitum vocis suae, qua docet, poenitentiam agere* (5), *deserere vitia, repugnare diabolo, futurum devitare iudicium, atque aeternae gloriae desiderare triumphum, speciem designatur habere leonis, cui propter animositatis audaciam et roboris virtutem ac vociferationis impetum, inter quadrupedia tribuitur imperium.* En itaque tibi leonis typum Marco assertum: id certe et ipsa rei convenientia suadente, et totius fere Ecclesiae auctoritate: ita ut mirum non sit, maiores nostros postquam sibi Marcum patronum adscivere, leonis insignia sibi adoptasse, utpote quae patroni sui imaginem exhiberent, eandemque prophetico utriusque foederis oraculo confirmatam. Vide quae de hac re habet Anselmus Costadoni (6) in illustratione antiquae tabulae graecae, quae apud monachos S. Michaelis de Muriano olim asservabatur.

---

(1) Comm. ad Poet. Christ. pag. 50. — (2) Advers. lib. XI. cap. XXIII. — (3) *Moenia* pro *Munia* veteres dixere, nisi fortasse respicit Poeta Levit. XVI. 27. — (4) Serm. XV. prope finem. — (5) Marc. I. v. 4. et seqq. — (6) Inter Opusc. Calogeriana tom. XXXIX.

CAPUT XII.

DE CODICE EVANGELII S. MARCI VENETIIS IN BASILICA NOSTRA ASSERVATO.

I. *Codicis marciani fama quam late diffusa. Plurimi de illo egere, qui tamen in multis invicem discrepant. Heterodoxorum calumnia depulsa.* II. *De codice evangeliario foroiuliensi. Venetus codex pars est foroiuliensis, inde olim avulsa.* III. *Id negat Comorettus, cuius momenta elevantur.* IV. *Quandonam a foroiuliensi codice marcianus divulsus? Nimis sero collocant Turrianus et Dobrowskyus: notis videtur saeculo VIII.* V. *Id nonnullis coniecturis adstruitur. Paulini aquileiensis locus expensus.* VI. *Quandonam pro ipso Marci αὐτογράφῳ haberi coepit marcianus codex, et quae erroris causa. Comorettus reiectus, qui revera αὐτόγραφον putat. Codex ille Ticino advectum non est.* VII. *Neque Paulini verba errori ansam praebuere.* VIII. *Coniectura nostra de eius fabulae origine.* IX. *Codicis illius pars una anno MCCCLIV. Pragam delata: altera Venetias anno MCCCCXX.* X. *Utriusque partis vices referuntur.* XI. *Codex ipse, prout se nunc habet, describitur.* XII. *Sequitur de eodem.*

I. Antequam manum tollo de tabula, ac de Marci Evangelio dicendi finem facio, addenda sunt nonnulla de codice illo venerandae prorsus antiquitatis, qui a quattuor fere saeculis in Marciana Basilica summa veneratione asservatur, ac pro αὐτογράφῳ ipsius Evangelistae exemplari iamdiu habitus est. De quo quidem, cum hoc opus scribendum aggrederer, silendum mihi esse statueram; cum nihil prorsus ad vitam S. Evangelistae pertineat de codice illo agere, qui sexto, ut viris doctis videtur, Ecclesiae saeculo exaratus, et ad hieronymianam correctionem exactus sit. Sed quoniam codicis illius fama late per Europam fere universam diffusa est, ac ne nostra quidem aetate defuit (1), qui illum verissimum et ipsissimum S. Marci αὐτόγραφον esse tueretur; existimavi, me opere pretium facturum, si aliquid et ipse de illo proponerem, ut quid demum de celeberrimo hoc ac tot criticorum disputationibus vexatissimo antiquitatis reliquio sentiendum sit, innotescat. Vix enim dici potest quot ac quanta eruditorum nomina proferri possent, si ii, qui de illo scripserunt, essent omnes commemorandi: quos inter tamen, ut eos praetermittam qui obiter tantum de eodem egerunt (2),

(1) Ant. Comorettus Epist. Dissert. de Cod. S. Marci. Pragae 1780.— (2) Vide Cave hist. litter. saec. I. ad ann. 40. Le Long. Biblioth. Bibl. t. I. cap. IV. sect. II. prope finem, Du-Pin dissert. prélim. sur la Bibl. lib. II. chap. II. sect. IV. in not., Dandul. in Chron. Ven. lib. IV. cap. I. part. I., Misson. iter ital. ann. MDCLXVIII. pag. 158., Blanchin. in not. ad Anast. in Petro. A Lapide praefat. in Marc., Fontan. in dissert. *delle Masnade;* Ciaccon. in Vita S. Petri, Sandini hist. Apostol. in Marc. interrog. V. not. 17., Petr. de Natal. lib. IV. cap. LXXXVI., Baron. ad ann. XLV. n. XLII., Richard. Simon. Hist. Critiq. du Nouv. Test. chap. XI., Fabric. Biblioth. Eccl. pag. 53., Mabillon Musaei ital. pag. 32., Ittigium de Patrib. Apost. §. III. pag. 5. et seqq., Walchium Hist. Eccl. saec. I. cap. I. sect. II. n. XLIII. in notis., Michaëlis introd. in Sacr. Script, N. T. pag. 919. Ludewig. Reliq. Monum. tom. V. pag. 374. etc.

Montfauconius (1), Cornelius (2), Ioannes de Rubeis (3), Laur. Turrianus (4), Mapphaeius (5), Henschenius (6), Tillemontius (7), Calmetus (8), et omnium postremi Dobrowskyus (9), et Comorettus (10), silentio praetermittendi minime sunt. Mirum vero, in quot illi quamque diversas sententias abierint! Membranaceum tradunt Turrianus, Dobrowschyus, Cornelius, Calmetus, aliique: contra papyraceum Montfauconius, chartaceum Mapphaeius. Graecum, ex fide canonici cuiusdam Marcianae Basilicae, dicit Cornelius a Lapide tum Baronius, Missonius et Sandinus: latinum ex adverso Ciacconius, Mapphaeius, Turrianus, Montfauconius, De Rubeis. Sunt qui αὐτόγραφον credant, ut idem a Lapide, Comorettus, Dandulus. Sunt qui negent, ut Caveus, Montfauconius, Dupinius aliique bene multi. Sunt qui dubitent, ut Baronius et Henschenius. Sunt etiam qui mala *Pontificiorum,* ut ipsi vocant, idest Catholicorum, fraude subiectum putent, ut Walchius et alter, quem vidi aliquando, sed cuius modo nomen non subit: apud quem haec me verba legere memini: *pias huiusmodi fraudes inter Romanos catholicos facillime excogitari:* qui tamen animadvertere debuerant, Catholicos omnium primos fuisse, qui codicem illum αὐτόγραφον non esse demonstrarent, nempe Cornelium, Dupinium, Montfauconium, et ante omnes Baronium, qui hoc *populari potius traditione asseri, quam certis argumentis constare,* duobus abhinc saeculis (11) animadvertit. Quare mihi a lectore humanissimo venia profecto tribuenda erit, siquidem in codice illo expendendo parumper immorabor: qui licet S. Marci manu revera scriptus non sit, ex eo tamen ius aliquod, cur operi nostro inseratur, sibi vindicat, quod tamdiu pro ipso S. Evangelistae αὐτογράφῳ habitus fuerit. Non autem erit iniucundum, qua de re tam acriter a viris longe eruditissimis decertatum est, eam, omni denique controversia sublata, qualis revera sit, tandem aliquando intueri; quod quidem, nisi fortasse magis quam par est rebus nostris confidimus, in praesentia nos praestituros pollicemur.

II. Ac ut ab historia ipsius codicis exordiamur, putat Turrianus (12), et haec communis fere sententia est, marcianum codicem ex Evangeliario quodam avulsum esse, quod olim in aquileiensis, nunc in foroiuliensis Ecclesiae thesauro servatur. Est autem postremus hic codex ex membrana tenuissima, forma quadrata, litteris item quadratis, non illis quidem antiquissimis, ac ex rectis lineis constantibus, quales Petronius commemorat (13), sed quae proxime ad quadratas accedant, de quibus in *Criteriis Manuscriptorum* agit Struvius (14). Porro ex litterarum forma saeculo VI. exaratum harum rerum periti (15) arbitrantur: quamvis, ut verum fatear, si huic tantum indicio standum est, uno

---

(1) Diar. Ital. cap. IV. pag. 55. et 62. etc. — (2) Eccl. Venet. dec. XIII. part. I. pag. 176. — (3) Monum. Eccl. Aquilei. cap. II. — (4) Epist. ad Blanchinum t. 2. Evangeliar. Quadr. — (5) Oper. t. XXI. in Hist. Diplom. l. II. n. X. — (6) Inter Bollandian. ad diem XXV. April. cap. II. — (7) In Marco not. VI. — (8) Proleg. in Marc. — (9) Fragm. Pragen. Evang. S. Marc. Pragae 1778. — (10) Dissert. de cod. S. Marci. — (11) Ad ann. Christi XLV. num. XLII. — (12) In epist. ad Blanchinum quae habetur in eiusdem Blanchini Evang. Quadrupl. tum seorsim edita Ven. ann. 1753. — (13) Satyr. cap. XXIX. — (14) Paragr. X. — (15) Fontanini Diss. *Delle Masnade* p. 8. Vindiciae Diplom. lib. I. cap. IV. n. IX. Mapph. observ. litt. t. I. art. 2. etc. Vide Turrian. l. c.

etiam et altero saeculo aut vetustior, aut recentior esse possit; cum forma illa litterarum appareat in Virgilio mediceo saeculi V., et ad X. usque saeculum perduravit, ut ex ipsis veterum librorum speciminibus a Blanchino allatis deprehendi potest (1), praesertim ex priori linea quam exhibet ipse Blanchinus Evangeliarii urbinatis-vaticani saeculi X. (2). Continet autem Evangelia SS. Matthaei, Lucae et Ioannis ex recensione S. Hieronymi, cuius praefatio ad Damasum initio exhibetur. Singulis Evangeliis tabula capitulorum, sive *capitulationum* praemittitur, in quas olim Evangelia dividi consuevere; tum summaria quaedam, quae *breves* appellabantur, de quibus beatum cardinalem Thomasium videre poteris (3). Sed illud in hoc codice maxima animadversione dignum est, statim post Matthaei Evangelium subiici (4): EXPLICIT EVANGELIUM SECUNDUM MATTHAEUM INCIPIT SECUNDUM MARCUM. Adduntur deinde *breves* et *capitulationes secundum Marcum,* quibus expletis sequitur, praemissis *brevibus* et *capitulationibus,* Evangelium secundum Lucam, hac inscriptione praeposita: EXPLICIT EVANGELIUM SECUNDUM MARCUM INCIPIT SECUNDUM LUCAM. Ex quibus profecto constat, Evangelium S. Marci, quod nunc in illo codice desideratur, initio quidem non defuisse, sed inter Matthaeum et Lucam, hoc est loco suo, ab amanuensi fuisse descriptum: avulsum, quaecumque demum eius rei causa fuerit, deinde; relictis tamen indiciis certissimis, quae lacunam proderent; quod in antiquis libris haud raro deprehendi norunt quicumque huiusmodi codicibus pertractandis assueti sunt. Atqui inquit Turrianus, ablatum hinc Marci Evangelium, illud ipsum esse, cuius pars Venetiis, pars altera Pragae in Bohemia asservatur. Recte ille quidem. Nam quod pragense fragmentum ex veneto codice avulsum fuerit, certissimum est; nosque deinde ostendemus (5): quod vero codex ipse noster ex foroiuliensi decerptum sit, innumera prorsus argumenta pervincunt. Nam si pragensis pars cum foroiuliensi conferatur (veneta enim, ut dicemus (6), omnino computruit) ita inter se convenient, ut non ovum ovo aut lac lacti similius sit. Eadem utrinque membranae tenuitas, eadem forma, idem color. Codex uterque quadratus eiusdemque magnitudinis: characteres item utriusque quadrati ac pene evanescentes: pagina quaelibet, interiectis lineis perpendicularibus, in duas columnas divisa, tum circumductis ad marginem in quadrum lineis conclusa (7): scriptionis versus in unaquaque columna novendecim eiusdem prorsus magnitudinis, cum litterae lineis ferreo stilo impressis inferius ac superius claudantur. Eadem orthographiae ratio, iidem aliquando nexus litterarum praesertim copulae *et* quae utrinque ita ꝛ delineatur; ut alia praetermittam, quae tute ipse collatis utriusque codicis speciminibus a Turriano vulgatis (8) per te deprehendere poteris. Nec te moveat nonnullarum litterarum ductus in specimine,

---

(1) Evangel. Quadrupl. t. II. part. II. pag. DC. — (2) Vide etiam apud eundem Blanchinum l. c. Specimina ex Evangel. Vatic. saec. VIII. n. 7016., ex Bibl. Colbert. saec. IX., ex lection. Vatic. saec. VIII. n. 3835., ex cod. aureo Palat. saec. VIII. n. 50. etc. — (3) Praef. ad cap. et stichometr. S. Script. tom. I. oper. edit. rom. anni 1751. — (4) Blanchini Evangel. Quadrupl. t. II. pag. 497. — (5) Infr. n. IX. — (6) Infr. n. XII. — (7) Comorett. pag. 15. in nota editoris *. Vide codicis utriusque descriptionem apud Turrianum diss. citata, et Dobrowskyum in diss. edita Pragae anno 1778. — (8) Ad calcem diss. modo citatae.

quod edidit Dobrowskyus (1), non omnino convenire cum specimine codicis foroiuliensis a Blanchino vulgato (2), praesertim litterarum M. et D.; cum M. in pragensi sinistrum crus habeat inflexum ac medio pene adhaerens, in foroiuliensi vero apertum sit ac diductum; D. autem longiori cauda in foroiuliensi quam in pragensi instructum sit: insuper litterae omnes exiliores in illo appareant, crassiores in pragensi, et signum litterae M. praetermissae in fine dictionum, in pragensi quidem per lineolam hinc inde inflexam punctisque geminis interpositam, in foroiuliensi vero per lineolam rectam duobus et ipsam punctis supra ac infra positis exprimatur. Cum enim litterarum forma conveniat in ceteris, perperam hinc quis duceret non unum eundemque esse utrinque scriptorem. Siquidem et nos pro vario corporis habitu, pro varia vel atramenti, vel pennae scriptoriae temperatura, litterarum formas saepe mutamus; ita ut elegantiorem elementorum speciem exhibeant, quae scribimus serena tempestate, bona valetudine et instrumentis optime comparatis, quam quae exaramus pluvio caelo, effeto corpore, atque instrumentis haud recte compositis: ita tamen ut, iis etiam differentiis perspectis, eandem nihilo secius veluti generalem scriptionis formam adhuc perdurare quisque cognoscat. Hinc in exiguis illis marciani codicis reliquiis, quas servare potuimus (3), litterarum ductus modo foroiulienses, modo pragenses imitantur, quod praesertim in littera M. videre est, quae foroiuliensi proxime accedit, cum tamen certum sit pragense reliquium et venetum nonnisi unius eiusdemque codicis lacinias exhibere. Accedit, chalcographum, qui foroiuliense fragmentum apud Blanchinum exhibuit, paullo mihi negligentiorem videri, accuratiorem vero qui pragense apud Dobrowskyum excudit: quae profecto levissimi huius discriminis haud levis causa esse potest. Ceterum cum generatim et universe utrumque specimen cum altero apprime conveniat; imo nullam inter utrumque differentiam exhibeant utriusque specimina a Turriano vulgata, aut saltem quae nonnisi maxima diligentia adhibita deprehendi possit, non illam tanti faciendam puto, ut hinc statim duos esse diversos codices statuamus; quod tam levi ductus coniectura fecit Comorettus (4).

III. Nec maius negotium nobis facessit, quod habet idem Comorettus (5) de notis margini codicis foroiuliensis appositis, quae omni fere pagina occurrunt (6), et quarum ne vestigium quidem ullum cernere est in duobus illis marciani Evangelii quaternionibus, qui Pragae asservantur: ex quo concludit illos nequaquam ad foroiuliense Evangeliarium pertinere: cum nihil aliud inde sit concludendum, nisi notas illas omnes posteriori manu additas, et aliud omnino quam Evangelium spectantes, nonnisi post paginas illas avulsas pro rerum opportunitate additas esse. Maius fortasse momentum in eo esset, quod ait (7), lectiones duorum pragensium quaternionum multas esse, quae a vulgato differant toto caelo; cum tamen, teste Turriano, lectio codicis foroiuliensis

(1) Diss. cit. — (2) — Loc. cit. — (3) Vide infr. num. XII. — (4) Diss. cit. fol. 13. — (5) Ibid. pag. 15. — (6) Turrian. diss. cit. — (7) Ibid. pag. 15.

sit ipsissima versio sancti doctoris Hieronymi; quam antiquam italam vocamus, sed ab eodem emendatam et redditam pristinae integritati: quae quidem lectiones, ut ostendit pragensis fragmenti editor Dobrowskyus (1), ad XC. fere numerum assurgunt. At animadvertendum est, tam Dobrowskyum quam Comorettum quinque illa Marci capita, quae in pragensi reliquio habentur, exegisse ad vulgatam lectionem prout nunc extat in Bibliis iussu Sixti V. et Clementis VIII. Romanorum Pontificum emendatis: quae tamen multo minorem variantium numerum redditura erant, si ad antiquum hieronymianae correctionis exemplar expensa essent, quale inter S. Doctoris opera edidit Martianaeus (2). Ceterum nil mirum pragense Marci fragmentum tot illas variantes exhibere, cum universum foroiuliense Evangeliarium iisdem refertum sit (3). Certe in uno capite XIII. S. Lucae, quod constat versiculis XXXV, quodque casu excutiendum assumpsi, occurrunt ex his variantibus omnino XV.; et in capite sequenti, quod eundem habet numerum versiculorum, X. inveni, cum ex adverso in Marci capite XIII., in quo sunt versiculi XXXVII. occurrunt tantum XIV. Quod si capita duo Marci, quae sequuntur, XIV. scilicet et XV., multo maiorem variantium numerum exhibent, animadvertendum erat Comoretto duo illa capita omnium esse longissima, cum decimum quartum versiculos habeat LXXII., decimum quintum vero XLVII., ut nihil dicam de versiculorum ipsorum longitudine, qui versiculos ceterorum capitum identidem excedunt. Haec minutim animadvertisse placuit, ut omnis de hac re amplius dubitandi causa omnino tolleretur. Quamquam etsi daretur maiori variantium numero quinque illa Marci capita esse referta, quam tria alia sint Evangelia in codice foroiuliensi, non inde tamen sequeretur, quod vult Comorettus, illa ex eodem codice deducta non esse. Nam et id casu usuvenire potuisset, et iterum cum Marci versio alia manu confecta fuerit, ut ostendimus (4), ab ea quae cetera Evangelia transtulit, et quidem rudiori ac minus latina, nil mirum Hieronymum, qui nonnisi obiter ac levi manu Novum Testamentum emendavit (5), plura in Marco errata ac sphalmata quam in ceteris reliquisse, quae dum librarii aut recte aut perperam emendare conantur, tot illas variantes deinde in eo Evangelio invexere. Mitto cetera, unumque addam quod de *capitulationibus* ad S. Marcum, quae in foroiuliensi codice habentur, a Dobrowskyo (6) est animadversum, ne quis forte ex hoc capite litem nobis intendere aliquando velit. Posset enim quempiam fortasse movere, quod cum ad calcem Matthaei in codice illo summa singulorum capitum S. Marci notetur, et singulis capitibus certus numerus adsignetur, numerorum tamen notationes, quae habentur in fragmento pragensi, minime foroiuliensibus *capitulationibus* respondeant, ita ut ad alterum potius codicem referri videantur: sic sub num. XLI. ita habet foroiuliensis *capitulatio*. XLI. *In gazophylacio: et cum diceret de lapidibus templi, designavit novissimum tempus.* Cum tamen haec in

(1) Diss. cit. cap. IX. — (2) Oper. S. Hierony. tom. X. part. II. edit. veron. — (3) Vide Evangeliarium illud apud Blanchinum in Evang. Quadrupl. edit. roman. — (4) Supr. cap. IX. n. XIV. — (5) Vide Mill. prolegom. 862. — (6) §. X.

codice pragensi non sub numero XLI. sed XLII.; quod in sequentibus etiam capitibus usque ad finem videre est. At id *librariorum oscitantia factum est*, ait Dobrowskyus, *ut ibi capitulationes notentur, ubi non debent: neque vero capitulationes reliquorum Evangeliorum, in codice foroiuliensi contentorum, notationibus in margine accurate conveniunt:* quod quam verum sit, qui *capitulationes* S. Ioannis cum marginalibus numeris contulerit, statim deprehendet.

IV. Atqui cum haec ita se habeant, iam constat ex foroiuliensi Evangeliario pragense fragmentum avulsum fuisse ac proinde et codicem nostrum, unde fragmentum illud, ut modo dicemus, decerptum est. Quo vero tempore, qua de causa, a quibus Marci Evangelium a reliquis distractum fuerit et quomodo deinde fama illa invaluerit, ut pro verissimo Marci αὐτογράφῳ haberetur, quaerunt Turrianus et Dobrowskyus (1), qui tamen, leves tantum coniecturas secuti, certi habent prorsus nihil quod proponant. Nam quod suspicari videntur fuisse aliquem ex quattuor aquileiensibus patriarchis ex familia turriana, qui illum ab Evangeliario evulserit, idque ex tabulis argenteis ostendere se posse arbitrantur, quibus veneta eius Evangelii pars clausa est, ubi Turrianorum insignia visuntur; nihil omnino eosdem iuvat. Nam eius Evangelii mentio occurrit, ut vidimus (2), in actis S. Marci, non illis quidem antiquissimis, sed quae tamen ante Christi saeculum XI. conscripta videntur, tum in chronico aquileiensium patriarcharum edito a Io. Bern. De Rubeis (3), quod cum in Maxentio patriarcha desinat, qui floruit initio saeculi IX., non multo post exaratum dicendum est. Porro cum Turriani nonnisi anno Domini MCCLXXVI. (4), Mediolano pulsi, Vicecomitum potentia praevalente, domicilium sibi in Foroiulio constituerint apud Raymundum gentilem suum, qui biennio ante aquileiensem patriarchatum obtinuerat, profecto marcianus codex a foroiuliensi Turrianorum opera avulsus esse non potest. Attamen acta illa et chronicon aut posteriora esse aut corrupta atque interpolata Turrianus (5) clamabit, et ad suam illam argenteam Evangelii thecam confugiet, ut ostendat ad Turrianorum tempora foroiuliensis et marciani codicis divisionem esse referendam. Atqui demus Turriano quod de chronicis putat: at Turrianorum insignia thecae illi apposita ostendunt thecam illam ab Turrianis renovatam fuisse, at non item marcianum codicem ab illis a foroiuliensi abstractum fuisse. Quin imo si quid et ipsi sapimus, oculosque in hisce rebus aliquantisper exercitatos habemus, ipsa illa theca videtur nobis longe maiorem antiquitatem quam Turriano videatur praeseferre. Nam cum utraque thecae frons tabula argentea constet auro obducta, atque figuris extantibus anaglypho opere elaborata (6): circum vero haec anaglypha ad extremam thecae oram limbus reticulato opere adiectus sit: hunc quidem, cui et turrianum stemma appositum est, ad Turrianorum tempora pertinere fatemur: at caelatas illas tabulas longe vetustiores putamus, ipsis harum rerum peritis, quos in consilium adhibuimus, non renuentibus. Nam caelaturae sunt

(1) §. III. — (2) Supr. cap. IX. n. 3. — (3) Append. Monum. Aquilei. n. II. — (4) De Rubeis Monum. Aquilei. cap. LXXVIII. — (5) Diss. cit. — (6) Vide tab. II.

rudes et neglectae, vestium forma qualis IX. fere saeculo ab episcopis usurpari consuevit, pastoralis baculi apex leviter in se deflexus, totum denique opus ita elaboratum, ut eandem prorsus aetatem videatur referre, quam referunt tegumenta vercellensis Evangeliarii Berengarii regis iussu saeculo VIII. confecta (1), et alia eiusdem saeculi monumenta. Itaque puto Turrianum patriarcham cum marciani Evangeliarii thecam iam vetustate fatiscentem, et, quod fieri in antiquis libris saepe videmus, iuxta oras praecipue obtritam resarcire vellet, anaglypticas tabulas ipsa antiquitate venerabiles, ac omnino integras servasse, limbum vero iam detritum opere arabico pro aetatis suae ingenio refecisse, turrianae familiae insigniis in rei memoriam appositis: ceterum Evangelium illud longe ante Turrianorum tempora ex foroiuliensi codice abstractum fuisse. Quod item ut credam maxime faciunt tot illa graecorum, italorum, slavorum, hungarorum principum et aliorum nomina, quae in foroiuliensi codice ad paginarum oras apposita sunt, quorum ne vestigium quidem in pragensibus foliis apparet, ea profecto de causa quod nonnisi post marcianum codicem inde avulsum inscribi incoeperunt. Et tamen, Turriano teste, pag. 107. occurrit nomen Theodelindae reginae, quae obiit anno Christi DCXV., pag. 69. terg. nomen Luitprandi regis, qui Italiae regnum ab anno DCCXII. ad annum DCCXLIV. obtinuit; tum nomen Rachisii regis, qui anno DCCLIX., imperio abdicato, ad cassinates monachos transiit: pag. 89. nomen Aistulphi regis, qui Rachisio successit: pag. 102. occurrit Anselmus et eius soror Giseltruda, tum Petrus et Ursus Foroiulii duces saeculo Christi VIII., ut etiam Rotkecaudus, qui exhibetur pag. 30. Adde Ludovicum II. imper. et Ingelbergam anno DCCCL. ab eo ductam uxorem, pag. 3., et pag. seq. Ioannem Tsimiscen et uxorem eius Thedam impp. constantinopolitanos labente saeculo X., ut recentiores alios praetermittam. Porro haec nomina hac illac nullo ordine et multorum manu inscripta videntur vel adhuc viventibus, vel nuper vita functis iis, quos referunt, apposita memoriae causa (vigente adhuc diptychorum usu) ut inter missarum solemnia recitarentur: nec inepte eo libro adscribebantur, cuius per ea tempora usus erat in Liturgia. Siquidem (2) diaconus, non certas lectiones Evangelii per ordinem digestas, prout nunc fieri solet, certo libro iuxta festivitatum seriem inscriptas; sed ipsum Evangeliorum codicem ad ambonem afferebat, atque inde respondentem solemnitati Evangelii lectionem recitare consueverat. Itaque si quam ex istis nominibus coniecturam ducimus, eaque prorsus vana non est, iam constat multis ab hinc saeculis marcianum Evangelium e foroiuliensi codice excerptum fuisse: fortasse saeculo Christi VIII., qua de re tamen viderint eruditi.

V. Sed et aliam coniecturam, ex quodam S. Paulini aquileiensis patriarchae loco deductam, addere liceat (3). Disputat ille contra Felicem urgelitanum episcopum adoptianae haereseos instauratorem, ac locum expendit ab eo produ-

(1) Illa habes apud Iricum proleg. in Evang. S. Eusebii, et apud Blanch. Evangeliar. Quadrupl. tom. II. pag. DLXXIV. — (2) Vide Turrian. diss. cit. — (3) Contra Felicem lib. III. cap. XII.

ctum ex Evangelio, ubi de futuro iudicio loquens Christus: *De die autem*, inquit, *illo et hora nemo scit, neque angeli caelorum, neque Filius*. Vult vero Paulinus, duas illas voces *neque Filius* adiectas fuisse ab haereticis; *quoniam*, ait, *in antiquariis Evangeliorum authenticis, quae penes nos, et in scrinio sanctae nostrae*, hoc est aquileiensis, *retinentur Ecclesiae, Filii vocabulum in eodem Evangelii loco insertum minime valuit reperiri: et viri illustrissimi, beatus scilicet Hieronymus* (1) *atque Ambrosius* (2), *satis in sacro peritissimi eloquio, adfirmant ambo consona voce, lectis sane ab eis priscis Graecorum codicibus, in eadem Evangelii forma Filii nomen non fuisse inspectum: unde et ex eo credibile potest videri longe a vero et ex superfluo additum*. Non tamen negat voces illas in *recentioribus voluminibus* reperiri. Porro si demus, foroiuliense Evangeliarium iam tum in aquileiensi Ecclesia fuisse, quod certe admittendum videtur, cum codex ille saeculo VI. vel V. fortasse exaratus fuerit, Paulinus vero scripserit saeculo VIII. iam ad finem vergente; si hoc, inquam, demus, et ad illum codicem provocasse sanctum Patriarcham putemus, fatendum erit Marci Evangelium tunc temporis a ceteris iam avulsum atque distractum fuisse, et ad hoc quidem non vero ad cetera illa Paulinum respexisse. Nam cum ille textus bis in sacro codice occurrat et apud Matthaeum (3) et apud Marcum (4), duae voces *neque Filius* leguntur illae quidem in codice foroiuliensi apud Matthaeum, at in fragmento pragensi neutiquam extant apud Marcum: cum tamen optimi quique codices eas potius apud Marcum legi debere, quam apud Matthaeum persuadeant (5). Porro si Paulinus ad *authentica aquileiensia* provocat adversarium, iam non ad textum Matthaei provocare potest, ubi illas nemo legebat; sed ad Marci, ubi ceteris codicibus invitis illae voces *neque Filius* non legebantur in codice foroiuliensi. At si Matthaeus et Marcus unum tantum codicem tunc temporis conflabant, utriusque lectio aeque *authentica* erat, nec ullum Paulino ex Marci lectione praesidium, cum Matthaei lectio adversario suffragaretur. Quid itaque? Puto utrumque iam tum fuisse separatum, et Paulinum de Matthaei lectione nihil sollicitum, cum codex ille recentior haberetur, provocasse ad Marcum, cuius codex pro *authentico* et fortasse etiam pro *αὐτογράφῳ* ab Aquileiensibus habebatur. Neque me movet quod habet Io. Bern. de Rubeis (6), Paulinum eo loco de Matthaeo loqui, non vero de Marco; tum quia *Evangelia* plurali numero usurpat, tum quia Ambrosius et Hieronymus, ad quos provocat, de Matthaei, non vero de Marci loco loquuntur. Nam ad *Evangelia* quod attinet, sive, ut ipse habet Paulinus, *antiquaria Evangeliorum authentica*, non ita morose cum sancto Patriarcha agendum est, ut ne syllabam quidem ab eo sine causa prolatam esse arbitremur; qui cum ornatum semper ac floridum dicendi genus affectare soleat, plerumque in eiusmodi locutiones excurrit; quod, qui in eius lectione aliquantisper versati sunt, probe norunt. Praeterea habuit aquileiensis Ecclesia *antiquaria Evangeliorum* fortasse plura, interque illa marcianum

(1) In Matth. XXIV. v. 36. — (2) De Fide lib. V. cap. XVI. n. 193. — (3) Matth. XXIV. v. 36. — (4) Marc. XIII. v. 32. — (5) Vide Mill. Variant. in Matt. et Marc. ad ll. cc. — (6) Monum. Aquilei. cap. II.

ex Paulini sententia *authenticum:* quid mirum si ad ipsum provocans, plurali numero utatur? Quod vero ad Ambrosium pertinet et Hieronymum, Ambrosius quidem utrum de Matthaeo an de Marco loquatur, incertum: neutrum enim nominatim compellat: Hieronymus vero loquitur quidem de Matthaeo, at nisi ratiocinatio illa Marcum etiam respiciat, nihil illa valet adversus Arianos, contra quos disputat, qui ex hoc loco Filium Patre minorem deducebant. Quin imo de Marci loco agere revera Paulinum vel ex eo mihi probatur; quod Felix nonnisi inepte Matthaei locum protulisset. Nam apud Matthaeum quidem, ut diximus, pauci admodum codices voces illas repraesentant: at apud Marcum fere universi. Cur non ad hos potius Felix, quam ad illos provocaret? Ac Felicis quidem scripta non extant: vix tamen puto alio modo se habere potuisse. Quid itaque Paulinus? provocat ad *authentica Evangeliorum antiquaria* Ecclesiae aquileiensis, ad marcianum nempe codicem, quem pro *authentico* habebat, utpote qui summa apud Aquileienses suos veneratione servabatur. Id vero ut credam facit etiam vox illa *authentica*, quam, si morem illius aetatis consideremus, non exemplum aliunde deductum, sed ipsum αὐτόγραφον exemplar innuere ut plurimum cognoscimus; cuius significationis exempla plurima apud Ducangium in glossario (1) videre potes. Nec quicquam obest, quod auctor chronici cuiusdam habet apud Io. Bern. de Rubeis (2), Poponem aquileiensem patriarcham, qui ineunte saeculo Christi XI. floruit, Grado insula expugnata, quo codicem illum Paulus patriarcha anno Domini DLXVIII. detulerat, inter ceteros Ecclesiae suae thesauros etiam *Evangelium, quod B. Marcus evangelista propria manu scripserat,* recuperasse; ac post IV. fere saecula Aquileiam iterum retulisse: ac proinde non potuisse Paulinum ad codicem illum provocare, qui non Aquileiae, sed in Grado insula tunc temporis servabatur: nam et nimis sero se ille chronographus prodit, qui post Volcherum patriarcham, hoc est saeculo XIII. et fortasse etiam tardius scripsit; et iterum, admissa etiam chronographi narratione, quid prohibebat Paulinum, gradensem codicem aut per se aut per alios scrutari, eundemque aquileiensem vocare, cum gradensis et aquileiensis Ecclesia pro una tantum, licet in duas partes dissecta, haberetur? Sed coniecturarum satis. Eas tamen nec ineptas omnino, neque iniucundas arbitratus, proferre volui. At quid illis aut quantum tribuendum sit, aliorum iudicium esto.

VI. At quocumque demum id tempore factum fuerit, undenam tamen rumor ille ac opinio increbuit, illum codicem esse Evangelium, Marci manu exaratum? Multa de hac re Comorettus, Turrianus aliique; sed in re admodum incerta, quid afferri unquam poterit, quod omnibus aeque arrideat atque probetur? Putat Comorettus, idcirco habitum pro αὐτογράφῳ, quia revera αὐτόγραφον esset. Ac initio quidem cum tribus aliis alia manu scriptis coniunctum, iterum seiunctum deinde, ac eo honore habitum, quo prosequi pretiosissimum thesaurum decebat. At ego Evangeliarium saeculi V. vel VI., ad Hieronymi

(1) Gloss. Med. et Inf. Latin. ad voc. *Authenticum.* — (2) Append. ad Monum. Aquilei. n. III.

recensionem exactum, eadem manu, quicquid illi visum fuerit, eadem, inquam, manu ac tria reliqua conscriptum pro αὐτογράφῳ nunquam recipiam. Quid quod nec Hieronymus Aquileiae tamdiu commoratus, neque Rufinus, neque Chromatius, neque aquileiensium rerum curiosus indagator Paulus Varnefridus aquileiensis diaconus, illius unquam mentionem iniecere? Missa itaque Comoretti sententia, quandoquidem hic quoque nonnisi coniecturis uti licet, si quid coniectando elicere possumus, videamus. Ac Dobrowskyus (1) quidem post Turrianum existimat, codicem illum aut Ticino aut Vercellis Aquileiam advectum a Theutimaro patriarcha fuisse post medium fere saeculum Christi IX. eamque coniecturam ex eo ducunt, quod Longobardorum regum nomina, Theodelindae puta, Liutprandi, Rachisii, Aistulphi occurrat in codice foroiuliensi unde marcianus avulsus est: tum Liutzuardi sive Liutardi et Artuini episcoporum, quorum priorem ticinensis, alterum vero placentinae sedis antistitem arbitrantur: advectum vero a Theudmaro sive Theutimaro patriarcha, quod nullius alterius patriarchae nomen ibidem occurrat: hic vero bis Ticinum perrexerit, ut conciliis ibidem habitis anno DCCCL. et anno DCCCLV. interesset. At haec quam sint levia nemo non videt. Nam Theodelindam ceterosque Longobardorum reges Ticini sedisse nemo negat: at meminisse debuerant viri doctissimi, Longobardorum reges etiam in foroiuliensem provinciam et Venetiam imperium exercuisse (2), licet illa propriis ducibus subiiceretur, qui tamen ab ipsis Longobardorum regibus instituebantur. Quid mirum eorum nomina in provinciis illis subiectis in diptycha admitti? Adde, Rachisium foroiuliensem ducatum, antequam in Longobardorum regem eligeretur, tenuisse (3): Aristulphum Rachisii fratrem fuisse: Theodelindam vero et Liutprandum eximia prorsus et pietatis et optime administrati imperii apud omnes fama claruisse (4). Quod si ideo Ticini servatum hoc Evangeliarium quis putat, quia horum regum nomina ibidem occurrunt; Aquileiae etiam eodem tempore servatum fateatur oportet, cum occurrant etiam nomina Petri et Anselmi ducum foroiuliensium, tum Ursi ducis cenetensis, qui, Rachisio et Aistulpho regnantibus, ducatum tenuere (5). Nec melior ratio, quae ex Theudmari nomine deducitur. Codex ille, inquis, Aquileiae non erat ante Theudmarum patriarcham, quia nullus ex eius antecessoribus recensetur. Atqui nec ex successoribus quisquam: ergo nec post Theudmarum Aquileiae unquam fuit. Theudmarus bis Ticinum perrexit: ergo idcirco ille codicem inde attulit? Vix puto levius quicquam afferri posse. Sed addes, Liutardi ticinensis et Artuini placentini nomina occurrunt. Primum ostendas oportet, Liutardum et Artuinum episcopos, quorum nuda nomina occurrunt, ticinensem et placentinum fuisse. Nam Liutwardos geminos comenses episcopos, quae Ecclesia aquileiensi per ea tempora subiecta erat, memoratos invenio apud Ughellum (6) circa annum DCCCCI. et DCCCCXVIII. et Artuinos

(1) Paragr. IV. — (2) Paul. diac. de Gest. Longobard. lib. II. cap. IX. XIV. lib. IV. cap. XLI. lib. V. cap. XVII. XVIII. etc. lib. VI. cap. XXV. etc. — (3) Murat. Annal. d'Ital. ad ann. DCCXLIV. — (4) Paul. diac. lib. IV. cap. VI. lib. VIII. cap. XXVIII. — (5) Vide de Rubeis Monum. Aquilei. in dic. chron. III. — (6) In Episc. Comens. n. 34. et 36.

sive Arduinos sane multos apud eundem Ughellum haberi ipse Turrianus fatetur. Cur itaque aut Liutwardus ticinensis comensi, aut Artuinus placentinus ceteris anteponatur? Vides itaque, nullam esse causam cur Evangeliarium illud Ticino advectum fingamus.

VII. Nec melior alia Dobrowskyi coniectura (1), existimantis ea quae attulimus Paulini verba in causa fuisse, cur Marci Evangelium ex foroiuliensi codice distraheretur, ac pro αὐτογράφῳ haberetur. Siquidem putat, cum quis ceteris paullo eruditior, nec tamen doctissimus apud Paulinum legisset voces illas *neque Filius* non extare in *authenticis Evangeliorum antiquariis* Ecclesiae aquileiensis, et verba illa revera in illo codice apud Marcum non legi deprehendisset, legi vero apud S. Matthaeum, statim sibi visum esse *authenticum illud antiquarium,* quo Paulinus usus fuerat, detexisse. Et Marci quidem Evangelium habuisse pro *authentico*, Matthaei vero, ubi verba illa legebantur, non item: tum hoc aliis aperuisse, ac pro ea, quae tunc erat hominum credulitas, facile ceteris persuasisse: deinde processu temporis *authenticum* in *autographum* mutatum, cum synomina haec vocabula videri possent; atque inde factum, ut ipsissimum illud exemplar, quod manu sua Marcus conscripserat, possidere se Aquileienses gloriarentur. Porro huic opinioni corroborandae plurimum contulisse tum vulgatam apud illos de aquileiensi Marci apostolatu traditionem, tum multorum etiam sententiam, qua illum latine scripsisse ferebatur: quibus semel receptis, nil mirum Aquileienses sibi persuasisse, latinum Evangelii exemplum Ecclesiae illi a Marco fuisse traditum, quam ipse olim iussu Petri instituerit. Cum autem haec opinio percrebuisset, ac communi omnium persuasione recepta esset, tum demum Aquileienses, fortasse sub Turrianis patriarchis, de Marci Evangelio a ceteris segregando cogitasse. Haec Dobrowskyus, acute sane et sagaciter, nec tamen vere. Nam si Evangelium illud post Paulinum Ticino, ut ipse putat, allatum est, quomodo sibi persuadere poterant Aquileienses illud ipsum esse, quod scripserat Marcus, et ad quod provocaverat Paulinus? Neque enim tam sero haec evenisse potuerunt, ut iam omnis perlati a Theudmaro ab urbe ticinensi codicis memoria deleta esset: cum, ut superius ostendimus (2), ab ipso fere IX. saeculo marciani Evangelii a reliquo codice facta divulsio repetenda sit. Alterutrum igitur falsum sit necesse est, aut codicem Ticino advenisse, aut ex Paulini verbis sententiam de eius αὐθεντίᾳ promanasse. Quin imo etiamsi ostendatur, quod et nos modo fecimus, codicem Ticino advectum non esse; adhuc tamen Dobrowskyi de origine huius opinionis coniectura stare non potest: cum ex inscriptis nominibus foroiuliensium ducum, longobardorum regum et aliorum, qui ante Paulini tempora fuere, haud inepte coniecerimus marcianum Evangelium, ubi ne vestigium quidem harum adnotationum apparet, a ceteris ante ipsum Paulinum fuisse seiunctum. Corruat igitur hac de causa, aut saltem nutet, utraque Dobrowskyi coniectura necesse est.

---

(1) Paragr. V. — (2) Supr. n. IV.

VIII. Atqui, inquies, qui aliena convellis ecquid tandem ipse constitues? Ego vero nihil: neque enim in tanta rei antiquitate ac saeculorum caligine expiscari licet quidquam; non modo quod verum sit, sed quod vel proxime accedat ad veritatem. Sed cum, quandoquidem coniecturis res agitur, ceteris adhuc unam adiicere nihil prohibeat; dicam non quomodo hoc factum fuerit, sed quomodo id fieri potuisse, mihi videtur. Certum est Hieronymi correctionem nonnisi sero ab universis receptam fuisse (1), sed ad VIII. fere saeculum italicam translationem in liturgia ac publicis officiis passim obtinuisse, cum aegre admodum se ab antiqua psallendi et orandi consuetudine christianus populus convelli pateretur; ac periculum esset ne piorum aures offenderentur, si alio sibi modo sacros libros in Ecclesia recitari legique audiret ab eo, cui vel ab infantia assuevisset. Itaque sensim in Ecclesiam hieronymiana versio et castigatio inducta est; ita ut S. Gregorius, qui sub saeculi VI. finem floruit, in epistola ad Leandrum hispalensem episcopum (2), quae Moralium libris praemittitur, testetur: *Sedem Apostolicam, cui Deo auctore praesidebat, utraque translatione uti consuevisse*. At quamvis per ea tempora italica versio fere ubique obtineret, tanta tamen erat hieronymianae translationis auctoritas, ut in omnium fere Ecclesiarum scriniis asservaretur (3), ac ab eruditis viris ipsi italicae anteferretur, utpote quae et in Veteri Testamento propius ad hebraicam veritatem accederet, et in Novo diligentius ad graecos codices exacta esset. Id vero cum alibi, tum maxime in aquileiensi Ecclesia fieri debuisse intelligit quicumque meminerit, quanta Hieronymo cum Ecclesia illa intercesserit necessitudo: ita ut facile admodum sit quaecumque in S. Scripturam elucubravit sanctus Doctor, ea statim vel ab ipso aquileiensi Ecclesiae missa fuisse, vel ab eadem Ecclesia diligentissime conquisita. Certe versionem Tobiae et librorum Salomonis (4) Chromatio aquileiensi, et Heliodoro altinati episcopo Hieronymus nuncupavit, et fortasse etiam libri Iudith (5): eidemque Chromatio libros Paralipomenon a se translatos (6) inscripsit. Rufinus vero aquileiensis, ille ipse Rufinus, qui ob conversos iterum in latinum ab Hieronymo sacros codices tantopere in sanctum presbyterum est debacchatus, dum paucis post annis suos in Osee commentarios adornaret, hieronymiana translatione usus est (7), *eo quod in prioribus editionibus*, idest in italica, *elocutiones vitiatae sensum vel doctrinae vel narrationis disrumperent: posterior vero illa translatio, etsi non multum ipsi contextui splendoris adiecit, tamen elocutionis integritate illa, quae diximus, interceptorum sensuum damna frequenter evitet*. Tanta vero cum esset hieronymianorum codicum existimatio, eaque in dies augeretur atque amplificaretur, nil mirum, quoties in italica illa versione aut dubium quid, aut corruptum occurrisset, ad hieronymianam recurri, eamque pro *authentica* haberi et *authenticam* etiam fortasse appellari consuevisse. Hinc cum aquileiense Evangeliorum exemplar hie-

(1) Vide Richard. Simon. Histoir. critiq. des vers. du Nouv. Test. chap. IX. — (2) In fine. — (3) Rich. Simon. l. c. — (4) Vide Hieronymi praefationes in hos libros. — (5) Vallars. in notis ad praefat. in Iudith. — (6) Praef. in Paralip. — (7) Ruf. praef. comm. in Osee.

ronymianam emendationem exhiberet, initio quidem hoc sensu *authenticum* dici coepit, praesertim cum fortasse illud ipsum fuerit, quod Hieronymus Aquileiam transmiserat, aut ab ipsis saltem ex hieronymianis αὐτογράφοις iamdiu deductum. Nec errores illi, sive ut ipse Hieronymus vocat (1) *paragrammata*, quae in illo codice occurrunt frequentissime, quidquam coniecturae nostrae officere putandi sunt, cum et obiter Hieronymus Novi Testamenti versionem castigaverit, ideoque plurima, ut diximus (2), inemendata reliquerit, et ipse identidem de librariorum, qui opera sua transcribebant, oscitantia conqueratur (3), quorum libros ipse, tot ac tantis sollicitudinibus atque occupationibus distentus, emendare nequaquam poterat. *Unde*, sic ille in epistola ad Lucinium, *unde si paragrammata repereris, vel minus aliqua descripta sunt, quae sensum legentis impediant, non mihi debes imputare, sed tuis et imperitiae notariorum, librariorumque incuriae, qui scribunt non quod inveniunt, sed quod intelligunt; et dum alienos errores emendare nituntur, ostendunt suos.* Ceterum sive ipse Hieronymus codicem illum tradiderit Aquileiensibus, sive ex hieronymianis Aquileienses exscripserint, *authenticum* fuisse appellatum nil mirum. Cum vero processu temporis *authenticum* pro αὐτογράφῳ usurpari vulgo coepisset (4), eaque esset eius vocis haud omnino falsa interpretatio, paulatim rumor increbuit αὐτόγραφον Evangelii Aquileiae servari: cumque id de ceteris Evangelistis credere absurdum esset, quos aut graece aut hebraice scripsisse constabat, creditum est de Marco. quem et Aquileiae fuisse haud falsa traditione certum erat, et latine scripsisse nescio quis rumor ferebat. Tum vero de marciano Evangelio a ceteris seiungendo demum est cogitatum, quo magis ille error invaluit: ita ut semel recepta eo tempore (puto VIII. saeculo) opinio de codicis illius αὐθεντίᾳ, ea ad aetatem usque patrum nostrorum perduraverit, donec, critica disciplina novam lucem adepta, initio saeculi proxime elapsi de traditionis illius veritate coeptum est dubitari. En tibi, lector candide, quid ipse de re tota coniecerim. Coniecerim dicam, aut potius somniarim? Elige utrumlibet, nihil moror. Certum tamen est, utcumque et Dobrowskyi coniecturam et nostram et aliorum fortasse alias reiicias, eo tamen aliquando devenias oportere, quo se demum et Turrianus recepit: *Fabellam hanc aut casu aliquo et errore, seu pia fraude ortam fuisse.* Quamvis ille quidem ad XI. Christi saeculum fabellae initia reiiciat, quam nos multo ante exortam esse arbitramur.

IX. At quocumque tandem tempore fama illa increbuerit, certum est tamen XIV. Ecclesiae saeculo ita apud omnes pervulgatum fuisse, αὐτόγραφον Evangelii S. Marci exemplar apud Aquileienses servari, ut Carolus IV. Rom. imp. anno Christi MCCCLIV. cum Aquileiae moraretur, ex septem quaternionibus, quibus Evangelium illud constabat, duos postremos a Nicolao fratre suo aquileiensi patriarcha dono petierit, eosdemque ad archiepiscopum atque capitulum pragense miserit, quos veluti pretiosissimum sancti Marci λείψανον in metro-

(1) Epist. LXXI. alias XXVIII. n. 5. — (2) Supr. n. III. — (3) Epist. XXVII. alias CII. n. 1. Epist. LXXI al. XXVIII. n. 5. Epist. CVI. alias CXXXV. n. 9. etc. — (4) Supr. n. VI.

politana Ecclesia servarent. Rei gestae seriem apud Turrianum videre potes, plenius vero apud Montfauconium (1), qui etiam Caroli epistolas ad pragensem archiepiscopum et capitulum datas exhibet, tum eiusdem Caroli attestationem quandam de Marci Evangelio Pragae servatam. Videri etiam potest apud Ludewig (2) et Io. Bern. de Rubeis (3) Nicolai patriarchae de eodem Evangelio luculentissimum testimonium, seu memoriale sub anno MCCCLVII., ubi pragensium foliorum prima et extrema verba citantur, quae eadem illa sunt, quae prima et extrema in fragmento a Dobrowskyo edito reperiuntur. At reliqui quinque eiusdem codicis quinterniones saeculo sequenti ineunte Forumiulium delati apud insigne illius urbis capitulum aliquamdiu servati sunt. Huius translationis causas quaerit Turrianus, multasque affert satis probabiles: sed illa omnium verissima quod cum in foroiuliensi provincia per ea tempora omnia et tumultibus civilibusque discordiis permixta essent, ad eum locum pretiosa quaeque conferri placuit, qui omnium tutissimus ac munitissimus haberetur. Hinc iterum anno MCCCCXVIII. idem ille codex foroiuliensibus canonicis in custodiam eadem de causa traditus fuit, una cum Evangeliario tria alia Evangelia Matthaei, nempe, Lucae et Ioannis continente, et alia magni pretii supellectili: quae tamen omnia deinde foroiulienses aquileiensibus canonicis restituerant integra fide. Sed quum anno MCCCCXX. Forumiulium se sponte in Venetorum fidem dedisset (4), senatus, honorifica legatione Forumiulium missa, marcianum codicem sibi tradi postulavit. Ea accepta, Foroiulienses Aquileiam statim miserunt, qui codicem illum ab aquileiensibus canonicis reciperent, ac Forumiulium deferrent. Cum autem canonici multa praetexerent, codicemque tradere detrectarent, Foroiuliensium legatus eosdem urgens: *Nisi*, inquit, *hoc ad praesens et subito*, h. e. statim, *faciatis, dico vobis quod scribetur campo*, h. e. in castra, *serenissimi Ducalis Dominii, videlicet domino comiti Philippo, qui cum toto campo huc Aquileiam accedat pro dicto libro*. Id vero cum audissent Aquileienses ultro codicem legato tradidere: Foroiulienses vero illum transmisere Venetias, ubi hactenus asservatur. Rei gestae seriem ex authentico instrumento, ut vocant, rogato Aquileiae sub die IX. Iunii eiusdem anni didicimus, cuius nobis exemplum ductum ex originali, quod extat in archivo illustrissimi capituli foroiuliensis, communicavit illustrissimus et reverendissimus d. Michael comes Della-Torre e Valsassina, eiusdem Ecclesiae canonicus; ex quo deprehendimus, quam a vero in hac re ipsa statuenda aberraverint tum Turrianus ipse, tum eius adversarius Franciscus Zacharia (5). Ceterum ex hac ipsa narratione animadverte, quam certissime aetate illa codicem hunc ipsum revera Marci αὐτόγραφον esse homines existimarent, cuius obtinendi gratia ne ipsum quidem Philippum Archii comitem (6), venetarum copiarum imperatorem, Aquileiam cum exercitu pergere piguisset. Cetera eius legationis acta apud Cornelium videre potes (7).

---

(1) Diarii Italic. cap. IV. — (2) Tom. V. lib. III. in diplomat. Bohemo-Silesiaco n. LXV. — (3) Monum. Aquilei. cap. II. — (4) De Rubeis Monum. Aquileiens. cap. CIV. CV. et CIX. — (5) Vide notas a Turriano additas ad calcem. edit. anni 1753. n. 6. et 7. — (6) Vide Sabell. dec. II. lib. IX. ad annum MCCCCXX. — (7) Eccl. Ven. decad. XIII. parte I. monum. Z.

X. *Forsitan et libri fuerint quae fata requiris?* Quae pars pragensi capitulo obtigit, ea inter eius Ecclesiae cimelia diligenti cura servata, integra et incorrupta ad nostra usque tempora perduravit. Cumque in eo fragmento lectiones illae evangelicae habeantur, quae iuxta Romani Missalis ritum in die Paschae et Ascensionis in Liturgia recitari solent (1); duobus illis diebus, ex Caroli IV. imp. decreto, metropolitana pragensis Ecclesia illo ipso codice ad Evangelium uti consuevit. Verum processu temporis mos ille exolevit, tum ob legendi difficultatem, tum etiam ne codex satis vetustate detritus, magis adhuc contrectando et osculando detereretur. Denique anno MDCCLXXVIII. fragmentum illud diligentissime descriptum, notisque illustratum Iosephus Dobrowskyus pragensis Ecclesiae clericus ecclesiasticus Pragae vulgavit, addito etiam specimine characterum aeneis formis inciso, quo et nos usi sumus, ut illum cum foroiuliensi Evangeliario conferremus. At alterius partis, quae Venetis cessit, longe dispar sors fuit. Ipsa enim in illum veneratio, ac ipsius servandi diligens cura, ut omnino intercideret in causa fuit. Nam cum in thesauro marcianae Ecclesiae repositus, qui locus valde humidus est, solique atque aeri fere impervius, nonnisi certo anni die inde educeretur, ut fidelium venerationi super aram basilicae maximam exponeretur, situ ipso et salsi humoris ipsum pervadentis vi ita computruit, ut iam non amplius codex, aut codicis pars appellari possit, sed informe omnino atque putrescens vetusti codicis reliquium. Et sane cum nondum saeculum et sesqui elapsum esset, ex quo Venetias fuerat advectus, anno nempe MDLXIV. ita ad Ferdinandum Austriae archiducem de illo scripsit Franciscus Turrianus (2): *Vidi hac die cum quodam procuratore D. Marci codicem, qui membraneus est, sed adeo a vetustate detritus, ut parum vel nihil in eo legi queat: atque ita destructus, ut discerni non possit, utrum sint quattuor vel quinque quaterniones. Excribendas et delineandas curavi paucas lineas, quas hic appono, cum rarissimae sint, necnon difficillimae lectu.* Eadem habet de hoc ipso codice a se diligenter inspecto Scipio Mapphaeius (3), Bernardus Montfauconius (4), et Franciscus Blanchinus (5), qui etiam illud addunt, ita folia universa vetustate esse corrupta, ut, nullo iam extante scriptionis vestigio, graece ne an latine scriptus sit discerni non possit. Quare post tantorum virorum testimonia, qui codicem propriis oculis inspexerant ac diligentissime pertractaverant, non erat profecto cur de eius corruptione ullo modo dubitarem. Sed cum eos de eiusdem codicis materia inter se discrepare toto caelo viderem, et papyraceum diceret Montfauconius, chartaceum Mapphaeius, membranaceum Blanchinus, nec in eo doctissimorum hominum dissidio, cui potius accederem, mihi constaret, licet Blanchini sententia prae ceteris arrideret, iterum illum lustrare placuit, ut, re diligenter expensa, quaestioni, quae criticorum ingenia per integrum fere saeculum exercuit, finis tandem imponeretur. Quod etiam eo ut mihi fieri liceret vehementius optavi, quod si aut chartaceus revera esset, aut

(1) Vide Dobrowsky §. VI. — (2) Apud. Flam. Cornel. l. c. — (3) Hist. Diplom. l. II. n. 10. — (4) Diar. Ital. cap. IV. — (5) In notis ad Anast. lib. II. in Petro.

papyraceus, iam non ille aut foroiuliensis Evangeliarii, aut prageusis codicis pars haberi posset, siquidem membranacei illi sunt: ac proinde omnia illa fere evanescere necesse erat, quae vel ipse de illo codice iam scribenda paraveram, vel viri longe doctissimi Calmetus, Turrianus, Dobrowskyus, aliique ante me de illo tradiderant.

XI. Itaque die XII. Maii huius anni MDCCCXIX. illum e thesauro eductum diligenter expendendum suscepi, facta ad id mihi facultate ab excell. et reverend. Francisco Maria Milesi Venetiarum patriarcha, quo auctore atque hortatore commentarium hoc de divo Marco evangelista scribendum suscepi. Aderant duo ex canonicis nostris, viri spectatissimi, nempe reverendissimus Ioseph Bugno capituli syndicus, et reverendissimus Aloisius Aemilianus capituli eiusdem pro-syndicus, tum ex Marcianae Basilicae mansionariis duo viri item excultissimi rr. dd. Iosephus Bezzatti et Iacobus Corazzari, quos in consilium adhibere volui, ne in qua re a viris longe doctissimis in partes itum erat, in ea mihi ipsi fidere, ac sensu tantum meo iudicare velle viderer. His itaque adstantibus allatus est codex. Clausus ille erat hinc inde duobus operculis ligneis serico rubeo circa oram obductis, laminaque argentea contectis, quae olim deaurata fuisse videbatur, licet vetustate atque usu aurea illa bractea obtrita sit, ac prorsus evanuerit. Porro ex utraque operculi parte argentea illa lamina in duas partes dividitur. Quae medium tenet satis ampla est et omne fere operculum tegit; nisi quod spatium quoddam superest quaqua versus inter ipsam et extremam tabellae oram, quod pollicis magnitudinem parum excedit. Est autem lamina illa anaglyptico opere caelata, ac signis aspera, quae quid referant paulo infra dicemus. At spatium inter ipsam tabellaeque oram interiectum lamina altera tegit, quae priorem omnino ambit et ad extremam oram pertingit, opere reticulato, quod subtilitate ipsa sua atque exilitate saeculi XIII. aut XIV. ineuntis ingenium aperte prodit: cum alterius laminae anaglypha saeculum IX. aut X. referre videantur; ita incondita sunt atque impolita. Quin et vilioris notae argentum in anaglyptis est, quam in limbo. Limbus vero ipse in utraque tabula Aquileiae civitatis, in una vero turrianae etiam gentis stemmata exhibet: aquileiensia in summa atque ima utriusque tabulae parte aquilam nempe alis expansis, qualis in Athestinorum principum stemmate visitur: Turrianorum vero ex utroque latere, scilicet turrim decussatis liliis ornatam. Porro caelatarum laminarum una, quae sinistrum codicis latus operit, bifariam per transversum dividitur. Exhibet pars superior Christum in cruce suspensum, adstantibus hinc inde Deipara et Ioanne evangelista, quibus duo angeli iuxta angulos imminent flentium instar atque adorantium: inferior vero S. Marcum a sinistro latere scribentem, a dextro vero eundem stantem exprimit, ac S. Petro sedenti offerentem B. Hermagoram, cui coram se genuflexo Petrus pastoralem baculum porrigit, manus illi interim eodem Marco imponente. At in altera lamina sedet elatis clavibus S. Petrus, cuius cathedra multiplici exiguorum fornicum ordine ornata, qui parvis statuis sive sigillis excipiendis parati esse videntur, eam fere formam praebet, quam antiquae episcoporum cathedrae referre solent, qualis ea est quam in appendice ad librum pontificalem Agnelli ab-

batis edidit aere incisam Bacchinius, ac S. Maximiano tribuit; qui medio fere saeculo Christi VI. ravennatensem cathedram tenuit, aut qualis apud Bollandianos ad diem Iunii XXIX. romana S. Petri cathedra exhibetur in analectis. Ad pedes Petri in genua provolutus visitur Marcus, supra cuius caput angelus adstat, apertum librum manu tenens, Evangelium puto; quo pacto exprimere voluit anaglyptes aquileiensem S. Marci missionem; cum scilicet ad illam urbem a Petro missus, Evangelium sibi a Deo revelatum ad eandem detulit: sive etiam Evangelii ipsius a Petro factam confirmationem. Cathedrae Petri a nobis descriptae animal quoddam (canem, an lupum, an vulpem nescio) animal, inquam, currentis instar caelatum est. Si lupum revera anaglyptes caelare voluit, suspicio aliqua oriri posset, ad Luponem patriarcham, qui teste Ughello saeculo Christi IX. vixit (1), emblema illud referri, vel ad Luponem alterum patriarcham anni DCCCCXXXII. (2), quod tamen video quam sit leve.

XII. Atque haec exterior libri facies: sublata vero argentea fibula, qua per annulos utrinque extantes immissa, utraque tabula colligatur, et libro patefacto, iam non ipse codex, sed velum sericum apparuit, taeniola ex auro textili circumdatum, quod dextrae tabulae frequentibus clavulis seu potius aciculis adfixum, tegebat codicem, tabulaeque adstringebat, ne in gestatione illa solemni, qua de superius locuti sumus (3), loco moveri, aut detrimenti aliquid capere posset. Quae omnia minutim referre volui, ne quis Venetorum negligentiae id adscribat, quod nimiae fortasse religioni tribuendum est. At ubi velum illud quoque sublatum est, tunc demum foeda codicis facies apparuit. Siquidem folia universa putruerant, invicemque adglutinata ita in unam massam coaluerant, ut nullo modo, ne corneae quidem lamellae ope, diduci possent invicem, quin statim frangerentur, atque veluti sicca arboris folia in pulverem dilaberentur. Quin ipse membranae color mutatus purpuream violae nigredinem induerat, litteris omnibus omnino obliteratis atque deletis, ita ut de codicis scriptura, lingua et materia, quod mihi initio proposueram, detegendis desperarem. Sed quum, multis foliis accurate, prout tum fieri poterat, sublatis, diligentius operi instarem, animadverti circa codicis margines paulatim violaceum illum colorem evanescere, donec tandem folia plurima satis alba apparuere; nisi quantum vetustas ipsa albentem membranae colorem in subflavum mutaverat. At qua parte olim scriptura extabat, eadem ac in ceteris foliis nigredo: margo tamen purus, nec ulla recentiori nota aut nomine inscriptus: quod cum cernerem iam in sententia illa magis magisque confirmabar, in quam pragensis fragmenti descriptio me adduxerat; notas scilicet, quae in foroiuliensi Evangeliario leguntur, nonnisi post marcianum codicem inde evulsum, ipsi inscribi incoepisse (4). Id vero cum animadvertissem, iam ipsam codicis materiam explorandam suscepi. Ac visu quidem tactuque membranaceus omnibus visus est, quamvis tenuissimis foliis constaret. Allatae prunae sunt, ignique frustula quae-

(1) In Patriarch. Aquil. n. 41. — (2) Ibid. num. 46. — (3) Supr. n. X. — (4) Supr. n. IV.

dam bis ac tertio imposita. Tum vero illa movere se, corrugari atque contrahi; deinde, igne concepto, tetrum odorem efflare, qualis e membrana prunis imposita prodire solet. Nihil ulterius de materia quaesitum: membranaceum omnes fassi sunt. Sed quod maxime avebam, nondum eram assecutus; nempe ut frustula saltem aut foliorum lacinias aliquot reperirem, quae mihi codicis linguam et characteres repraesentarent. Institi adhuc, ac tandem inter fragmenta sex aut septem inveni. Tunc demum patuit verissime, proditum esse pragense fragmentum ex nostro codice, codicem vero nostrum ex foroiuliensi Evangeliario fuisse divulsum. Nam licet fragmenta nullam integram vocem praeter duas hasce CTS. et DIXIT exhiberent, bono tamen fato accidit, ut ceterae omnes alphabeti litterae ex intercisis vocibus repeti possent, tribus tantum exceptis F. L. Q. Porro omnia omnino in utroque codice conveniebant. Eadem lingua: nam CTS., h. e. Christus et DIXIT latina sunt, eadem characterum species, eadem magnitudo, idem evanescentis atramenti color, eaedem lineolae stilo ductae literas superius ac inferius claudentes, utrinque demum iuxta characterum formam membrana identidem perterebrata, dum literarum notas ducens antiquarius altius fortasse stilum infigit. His itaque omnibus inspectis, vehementer gavisus sum, quae coniectura tantum et ratione pervideram, ea ipso codicis testimonio roborari. Quare codice iterum composito atque obsignato, lacinias illas, quas ceteris integriores repereram, inter duo vitra reponi, ac patriarchali sigillo muniri volui, quae advenis de codice illo saepissime interrogantibus ostenderentur: ne novus aliquis calumniator (1) in scenam prodiret, qui diceret: *Codicem illum apud Venetos sigillo munitum esse, nec aperiri exteris, forte ne de rei veritate fiat periculum.* Hactenus de marciano codice dictum sit; de quo ut fusius agerem celeberrimorum virorum, qui de illo egerunt, auctoritas fecit atque dissensio: adhuc plura dicturus, si quae ab illis omnia disputata sunt, ea in medium proferre voluissem.

---

(1) Vide Walchium Hist. Eccl. saec. I. cap. I. sect. II. n. XLIII. in notis.

CAPUT XIII.

DE ALIIS OPERIBUS S. MARCO TRIBUTIS.

I. *Praeter Evangelium alia etiam Marco tribuuntur.* II. *Acta S. Barnabae, quae tamen Marci non sunt.* III. *Ut nec epistola ad Hebraeos.* IV. *De I. Petri epistola quaesitum.* V. *Syriaca N. T. versio Marco non est adscribenda.* VI. *Marci Liturgia duplex; syriaca una, eademque falso ipsi tributa.* VII. *Aegyptia altera, de qua variae criticorum sententiae; sed probabilior quae illam a Marco vere institutam tuetur. De antiqua Liturgiae disciplina atque forma nonnulla proposita.* VIII. *Afferuntur momenta, quae marcianae Liturgiae αὐθεντίαν demonstrant.* IX. *Afferuntur contraria. Balsamonis momenta, et diluuntur.* X. *Natali ab Alexandro occurritur, Liturgiae huius novitatem causanti.* XI. *Alia Natalis argumenta diluta.* XII. *De Liturgia praesanctificatorum.*

I. Quandoquidem hucusque de Marci Evangelio actum est, dicam etiam de aliis scriptis, quae a nonnullis eidem sancto Evangelistae tribuuntur. Ea vero sunt: I. Acta S. Barnabae apostoli. II. Epistola S. Pauli ad Hebraeos. III. Epistola I. S. Petri. IV. Versio syriaca Novi Testamenti. V. Liturgia denique, S. Marci nomine inscripta. De singulis breviter.

II. Acta S. Barnabae edidere ad diem XI. Iunii Bollandiani, graeca quidem ex ms. vaticano, latina ex versione Gullielmi Sirleti S. R. E. cardinalis: ea *Ioanni Marco* Barnabae consobrino in mss. tribuuntur, quem nonnulli cum Marco nostro confundunt. Sed praeterquam quod duos illos Marcos omnino distinguendos esse alibi (1) ostendimus, tot ac tanta in actis illis habentur falsa, commentitia, et Actis Apostolicis ab Luca evangelista conscriptis omnino contraria, ut nullo modo nec Ioanni Marco, nec Marco evangelistae possint adscribi. Id vero ante nos animadvertit cardinalis Baronius (2).

III. Epistolam Pauli ad Hebraeos a Marco scriptam fuisse tradunt apud Spanhemium (3) nonnulli. Verum optime animadversum est a Calmeto (4): *Qui hoc faciunt infirmis omnino niti argumentis;* et praeterea, licet de auctore huius epistolae alii alia tradiderint, neminem tamen ex antiquis proferre est, qui illam Marco tribuerit. Quod si illam, dictante Paulo, a Marco scriptam quis dixerit, aut a Paulo hebraice exaratam, a Marco deinde in graecam linguam translatam: huic ex antiquitate testes producendi erunt, qui hoc ipsum confirment. Nam vagis, nulloque teste roboratis coniecturis nihil ferme critici tribuere solent. Praeterea nec Marcum Pauli apostoli interpretem, aut amanuensem fuisse unquam docuit

---

(1) Supr. cap. II. n. III. et seq. — (2) In notis ad Martyrol. ad diem XI. Iunii. — (3) De Auct. Epist. ad Hebraeos. Part. II. cap. IX. — (4) Praef. In Epist. ad Hebraeos artic. I.

antiquitas: nec epistolae ad Hebraeos stilus talem se prodit, ut ex hebraeo aut syriaco videatur esse deductus; quin imo multa sunt in eadem epistola, quae persuadeant, primigenium eius textum graecum fuisse. Vide Calmetum de hac re sapientissime disputantem (1).

IV. Probabilior certe Baronii (2), Cornelii a Lapide (3) aliorumque (4) coniectura, qui putant primam S. Petri epistolam a S. Marco conscriptam; non iam quod illa Marci revera sit, ac perperam Petro apostolo tribuatur; sed quod a Petro iussus, ipsius nomine illam scripserit S. Evangelista, Petro ipso res ac sensa suppeditante. Nam utramque Petri epistolam per interpretes scriptam fuisse testatur in epistola ad Hedibiam (5) Hieronymus. En eius locum: *Habebat Paulus Titum interpretem, sicut et B. Petrus Marcum, cuius Evangelium, Petro narrante et illo scribente, compositum est. Denique et duae epistolae, quae feruntur Petri, stilo inter se et charactere discrepant, structuraque verborum. Ex quo intelligimus pro necessitate rerum, diversis eum usum interpretibus.* Est igitur iuxta S. Hieronymum epistola utraque per interpretes exarata; licet non qui primam, idem et secundam conscripserit. Sed si quid de interprete coniiciendum est, cur non priorem a Marco scriptam putemus, qui et apud Petrum erat, dum scriberetur, ut constat ex illis eiusdem epistolae verbis (6): *Salutat vos..... Marcus filius meus,* et munere *interpretis* apud ipsum fungebatur? (7). Certe haec coniecturam non excedunt, sed quae proxime accedat veritati.

V. At non idem dixerim de syriaca Novi Testamenti versione, quam a Marco concinnatam nonnulli Syri iactitarunt. *Syri*, inquit Guido Fabricius (8), *constanter asseverant, S. Marcum latine primum scripsisse Evangelium suum..... deinde lingua patria, hoc est galilaea syrave transtulisse non modo Evangelium suum, sed etiam ceteros omnes Novi Testamenti libros. Id mihi litteris significavit Guill. Postellus, affirmavitque se ita a Syris ipsis accepisse.....illi vero rem ita se habere ex avita traditione affirmabant.* Verum nec ipsi, qui haec refert, Fabricio, nec Richardo Simoni (9), nec Hottingero (10), nec Bellarmino (11), nec ulli eorum, qui non quae mira sed quae verissima sunt probare solent, haec Syrorum traditio unquam arrisit; nec apud ipsos Syros ita communis est, ut non a cordatioribus in dubium revocetur. Hinc, teste Mullero (12), Moyses Mardenus, ille ipse, qui Widmanstadio in viennensi Novi Testamenti syriaci editione adiutor fuit, syrus licet et eruditissimus, illius versionis auctorem ignorare se ingenue professus est: quamvis antiquissimam illam esse eruditi omnes (13) fateantur. Et sane obstat inter cetera huic sententiae ipsa Marci aetas; siquidem eo tempore obiit, cum nondum universi Novi Testamenti libri conscripti erant (14); obstat etiam antiquorum Patrum silentium, quos inter nullus est, qui versionem illam a Marco conscriptam tradiderit.

---

(1) Ibid. artic. II. — (2) Ad ann. Christi XLV. n. XXVIII. — (3) In epist. I. Petri cap. V. v. 14. — (4) Vide Calmet praef. in I. Petri, a Lapide loc. cit. — (5) Epist. CXX. al. CL. quaest. XI. — (6) Cap. V. v. 14. — (7) Vide supr. cap. IV. n. IV. et V. — (8) Polyglott. Antuerp. tom. V. praefat. in Nov. Test. Syriac. — (9) Histoir. Critiq. des vers. du Nouv. Test. chap. XIII. — (10) De transl. Bibl. in ling. vern. art. LII. — (11) De Verbo Dei. libr. II. cap. IV. — (12) Diss. de vers. syriac. pag. 41. — (13) Rich. Simon. l. c. — (14) Hotting. l. c.

VI. Superest Liturgia, de qua diligentius est inquirendum; neque enim eo loco habenda et ipsa est, quo cetera omnia quae Marco vel ab obscuris quibusdam scriptoribus vel ex levissimis coniecturis adscribuntur. Ea duplex est. Altera (1), quam Guillelmus S. R. E. card. Sirletus ex antiquo codice annorum ferme DC. monasterii S. Mariae ὁδηγητρίας in Calabria eruit, et ad v. cl. Ioannem a S. Andrea parisiensem canonicum dono misit an. MDLXXXII., quamque idem Ioannes anno sequenti typis mandavit, addita latina eius interpretatione; deinde saepe in Bibliothecis Patrum recusa est, et demum ab ipso Renaudotio iterum edita, a mendis purgata, notisque illustrata. Altera vero qua Syri cum Maronitae tum Iacobitae utuntur, quae extat in romana editione Missalis Chaldaici, tum iterum latine apud Renaudotium (2). Ac priorem illam quidem apud Alexandrinos olim in usu fuisse Renaudotius ostendit (3), ex eaque, veluti fonte quodam, tres illas Liturgias ortas esse (4), quibus Coptitae uti solent, quaeque nominibus SS. Basilii, Gregorii nazianzeni, et Cyrilli alexandrini in libris ipsorum liturgicis inscribuntur, quas inter cyrilliana (5) prae omnibus marcianae respondet. Posteriorem vero, qua Syri tam Iacobitae quam Maronitae uti solent, putat (6) inde Marci nomen indeptam, quod cum olim maxima inter Syros ac Aegyptios Iacobitas, sive Monophysitas necessitudo intercederet, aegyptia vero Ecclesia se a S. Marco fundatam certa traditione iactaret, voluerunt Syri Liturgiam quandam sibi peculiarem suppetere, qua in S. Evangelistae festo uterentur: quod nemini mirum videri poterit, qui sciat apud illos non unam tantum, ut apud nos, sed ultra XL. *Anaphorae,* sive, ut verbo nostro utar, *Canonis* formas usurpari, quibus pro sacrorum dierum varietate uti solent. Quae quidem viri longe doctissimi coniectura ostendit, illum parum admodum posteriori huic Liturgiae Iacobitarum tribuere, eandemque Marco longe posteriorem putare; utpote quam nonnisi post exortam Monophysitarum haeresim prodiisse arbitretur. Ac de coniectura illa sua videat ipse; levis enim mihi ac incerta prorsus videtur: at non in eo falsus Renaudotius, quod Liturgiam illam negat a Marco institutam, cum, ubi ea excipias quae in omnibus omnium gentium Liturgiis reperiuntur, Alexandrinis nulla in re omnino respondeat: cum tamen si quam Liturgiam Marcus edidit, eam ab alexandrina Ecclesia prae ceteris servari debuisse consentaneum omnino sit.

VII. At de altera illa a Sirleto reperta longe aliter sentiendum est, ac longe aliter omnino sentit Renaudotius, homo profecto doctissimus, et cui in huiusmodi rebus eruditi omnes libenter primas concedunt. Equidem non sum nescius, qui de hac Liturgia iudicium protulere, in duas easdemque inter se repugnantes sententias abiisse. Nam Liturgiae repertor Sirletus (7), eiusque editor Ioannes a S. Andrea (8), tum ex antiquis Nicolaus methonensis saeculi XII. scriptor (9)

---

(1) Vide Renaud. Liturg. Orient. tom. I. pag. 127. et ibid. pag. XCII. — (2) Ibid. tom. II. pag. 176. — (3) Ibid. tom. I. pag. 128. — (4) Ibid. Diss. de Liturg. Coptic. n. XIX. XXII. — (5) Ibid. n. XXVI. — (6) In notis ad Syriac. Lit. S. Marci. tom. II. pag. 185. — (7) In epist. ad Io. a S. Andrea Liturgiae S. Marci a Renaud. subiecta. — (8) Epist. ad Sirlet. ibid. — (9) In Orat. ad eos qui haesit. etc. ad calcem tom XII. part. I. Biblioth. Patrum Colon.

aliique ex recentioribus Liturgiam illam verissimum Marci fetum existimant: Natalis vero ab Alexandro (1) aliique tam ex nostris quam ex heterodoxis apud Renaudotium (2) eam veluti spuriam ac fraudi subiectam omnino reiiciunt. Attamen mediam sententiam omnino tenendam existimaverim, quam scilicet Labbeus (3) aliique amplexi sunt (4), ac a qua abesse admodum ne ipse quidem Renaudotius (5) videtur; Liturgiam, scilicet, illam revera esse Marci, at non omnino incorruptam, prout ab illo tradita est, cum illi multa processu temporis adiecta fuerint; illa ipsa, nempe, quibus permoti recentiores critici tam severum in ipsam iudicium protulere. Id vero cuiusmodi sit, breviter habe. Certum est, formam illam, quam in Eucharistia consecranda atque distribuenda Ecclesia utitur, ac potiores et illustriores *Canonis* sive *Anaphorae* partes ab Apostolis fuisse constitutas; quum nullo alio modo explicari possit admirabilis illa universarum Liturgiarum concordia, qua fit, ut licet in multis discrepent inter se, in iis tamen omnes conveniant, quae alicuius momenti videri possint. Nam inter tot Orientis ac Occidentis Liturgias, nulla est quae non Epistolae et Evangelii lectionem solemnem exhibeat, nulla quae vel τρισάγιον, sive ut Latini vocant *Praefationem*, vel osculum pacis, vel orationem dominicam, vel Sanctorum, Defunctorum et Vivorum commemorationem, sive *diptycha*, vel invocationem S. Spiritus super dona, ut ipsa transmutet, vel consecrati panis fractionem, eiusque cum Christi sanguine commixtionem, vel Eucharistiae adorationem, aliaque huiusmodi praetermittat; ut nihil dicam vel de sacris vestibus, vel de incensi et luminum usu, vel de aquae mixtione ab Armeniis tantum reiecta, vel de signo crucis super dona ducendo, de cantu, de vocis modo elatae modo submissae mutatione, qua certae preces debent a sacerdote recitari: adde voces illas: *Dominus vobiscum: et cum spiritu tuo. Sursum corda: habemus ad Dominum. Gratias agamus etc.: dignum et iustum est. Vere dignum et iustum est etc.* quae in omnibus Liturgiis reperiuntur: adde commemorationem Passionis, Mortis, Sepulturae, Resurrectionis et Ascensionis Christi, quae consecrationis verba perpetuo consequitur: adde postulationes pro episcopis, sacerdotibus, regibus etc. communes omnibus; ac miram hanc concordiam conspicatus fateberis, nonnisi ab Apostolis ipsis haec omnia esse repetenda (6). Nam nisi ab illis, antequam per universum orbem disseminarentur, haec omnia constituta fuissent, et ea ab ipso Christo magna ex parte accepissent, qui fieri poterat, ut tam multis in rebus imo et in verbis Syri, Aegyptii, Graeci, Hispani, Galli, Afri, Itali, Indi, Armenii, Aethiopes, et si qui alii proprias olim Liturgias habuerunt, inter sese convenirent? Certe hic optime facit celeberrimum illud Augustini effatum (7): *Quod universa tenet Ecclesia, nec conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate apostolica traditum rectissime creditur.*

---

(1) Hist. Eccl. saec. I. cap. XII. art. III. — (2) Diss. de Liturg. copt. num. XIX. et seq. — (3) Diss. ad Bellarm. de Scrip. Eccl. in Marc. — (4) Renaud. loc. cit. — (5) Ibid. — (6) Vide Renaud. diss. de Liturg. Orient. orig. pag. V. — (7) Contr. Donatist. de Bapt. lib. IV. cap. XXIV. n. 31. Vide etiam eiusdem epist. LIV. alias CXVIII. cap. I. n. 1.

Itaque cum certam Liturgiae formam constituissent Apostoli, deinde per orbem universum dispersi essent, singuli Liturgiam illam iis Ecclesiis, quas ipsi instituebant, tradiderunt; ita ut non inepte apostolicae Ecclesiae se ab iis Apostolis Liturgias suas accepisse glorientur, qui illas fundarunt; ac proinde alexandrina etiam, quam a S. Marco constitutam dicemus (1), non ab alio quam a sanctissimo Evangelista sacrificii offerendi formam acceperit. Nemo tandem existimet, apostolicam hanc Liturgiam aut scriptis statim commissam fuisse, aut circa singulas caeremonias ita adamussim exactam ut eandem prorsus omnibus Ecclesiis a se constitutis Apostoli tradiderint. Nam Liturgias nonnisi saeculo Christi IV. scriptis mandari incoepisse evidenter ostendit Renaudotius (2): formam vero Liturgiae, quam Apostoli communi consensu statuerunt, non certis verbis alligatam fuisse, a quibus diversa proferre nullo modo liceret; ex eo patet, quod si hoc ipsi statuissent, una tantum in universa Ecclesia eademque omnino esset Liturgia. Hinc nihil aliud statuerunt Apostoli, nisi certas quasdam res in eius celebratione nusquam esse praetermittendas, ut illa sunt, preces pro omnibus, pacis osculum, fractio panis sancti, oratio dominica, τρισάγιον, invocatio S. Spiritus super dona, communesque illae voces: *Dominus vobiscum, sursum corda, dignum et iustum est etc.* aliaque huiusmodi, quae ubique recepta conspicimus: cetera vero omnia singulorum arbitrio permissa sunt. Itaque Apostoli quique, ubi Ecclesias fundabant, ea, quae ad Liturgiae veluti *essentiam* pertinebant, ad normam Liturgiae Hierosolymis primum institutae ac celebratae disponebant: cetera vero, quae primarios illos ritus comitabantur, ut preces illae sunt ad actus Liturgiae singulos, verbaque ipsa pro suo quisque ingenio proferebat; unde tanta illa inter apostolicarum Ecclesiarum Liturgias dissimilitudo orta est. Quin etiam, cum nihil scriptum de hac re adhuc extaret, puto Apostolos singulos Liturgiae ordinem, quem initio in unaquaque Ecclesia constituerant, perpetuo tenuisse, non item verba; ita ut, exempli causa, satis esset Petro in romana Liturgia (illius enim auctorem Petrum fuisse non dubito) ubi sancta dona consecrasset, commemorationem Passionis Christi, Mortis et Resurrectionis adiicere, commemorationi Dei invocationem, ut sacrificium benigne intueretur, adiungere; tum angelum invocare ut dona super Dei altare repraesentaret, deinde societatem Sanctorum postulare, et demum, expleto canone, addere orationem dominicam; atque hunc ordinem quotidie servare: quin tamen, utrum his vel illis verbis in his peragendis uteretur, vehementer curaret: licet non diffitear, quum eadem quotidie peragerentur, eadem quotidie verba, paucis mutatis, celebranti perpetuo occurrere debuisse. Hoc ipsum, qui Apostolis successere, fecisse par est: ac perpetua traditione non Liturgiae modo ordinem, sed ipsa etiam maxima ex parte Apostolorum verba, in sacrificio servasse: quae tamen scriptis committere nullo modo licebat (3); sed ex aliorum recitatione a novis sacerdotibus cum primum ad altare accedebant addiscebantur, ac memoriae assidua auditione

(1) Infr. cap. XVII. — (2) Diss. cit. pag. II. de Liturg. Copt. num. XII. — (3) Vide le Brun de silent. etc.

mandata, eadem ratione iis, qui deinde sacerdotio initiarentur, tradebantur. Ceterum illa extra sacrificium proferre nunquam licebat, ne ab ethnicis aut profanis audirentur: imo inter ipsum sacrificium nonnisi submissa voce, ut nunc obtinet apud Latinos, vel clausis sanctuarii foribus, ut apud Graecos aliosque, recitabantur, ne laici ipsi fideles eadem addiscerent: neque enim illa nisi a consecratis sacerdotibus ad altare proferri debuere. Cuius rei memini satis apertum vestigium, adhuc me puero, in urbe nostra vetustatis tenacissima perdurasse: cum enim in cuiusdam parochi disciplinam traditus, nescio qua die cum ipso in Ecclesia, dum a ministris solemnius ornaretur, versarer, puerili ductus curiositate altare quoddam conscendi, ut quid in tabellis, quae cuique altari superponuntur, scriptum esset inspicerem: quod conspicati ministri vehementer me obiurgare coeperunt; neque enim licere laicis, aiebant, ea, quae ibi scripta essent, legere; sed solis sacerdotibus, ipso interim parocho eorum verba confirmante atque comprobante. Quod cum coaetaneis meis (ut est aetas illa loquax) narrarem, se quoque a magistris suis eadem de causa identidem increpitos retulerunt: ita ut dubitare non possim, fuisse hanc sententiam per ea tempora apud nos fere communem. Nec aliud respicit profecto mos ille adhuc in latina Ecclesia perdurans, ut quo die episcopus sacerdotes consecrat (1), Canonem universum voce aliquantulum elata pronuntiet, ipsis circa illum stantibus, ac eadem verba pronunciantibus. Hoc enim ex antiqua illa disciplina ductum est, qua nec Canonem scribere, neque laicis communicare neque recitare unquam extra missam licebat. Ceterum viguit ea disciplina usque ad quartum aut quintum saeculum. Sed cum, quae sola memoria a multis servantur, ea a multis etiam vel incuria, vel oblivione, vel alia de causa corrumpi possint; ea vero libertas, qua nonnulla in Canone immutare pro lubito licebat, facile in licentiam posset a multis converti; tum demum de Canone scriptis tradendo actum est, additis certis ac immutabilibus deinde precum et caeremoniarum formis, quas omnes omnino sequerentur, iis tamen incorrupte servatis, quae ab antiqua et apostolica traditione emanarant. Hinc tot illae Orientalium Liturgiae, Basilii, Cyrilli, Chrysostomi et aliorum sanctorum Patrum et episcoporum nominibus inscriptae, quae utrum ab ipsis revera compositae fuerint, nec ne, inquirere instituti nostri non est; ut etiam de illis, quae Ambrosii, Leonis, Isidori, aliorumve nomine apud Occidentales servatae sunt.

VIII. Haec cum ita se habeant, quid de alexandrina Marci Liturgia existimem facile lectori est divinare. Illam, scilicet, revera a S. Evangelista aegyptiae Ecclesiae initio traditam fuisse, ac in quibus quidem cum ceteris convenit, esse ex apostolica traditione, et fortasse ex institutione ipsius Christi: in quibus vero discrepat, ea a Marco ipso esse repetenda: licet non diffitear nonnulla etiam ab alexandrinis episcopis Marci successoribus addi deinde potuisse. Verba etiam ipsa magna saltem ex parte a Marco composita; quamvis certa ratione, quae ab illo sint, quae aliunde, internosci modo non possit. Uno verbo, Liturgiae

(1) Vide Pontific. Rom. in consecr. presb. et ad ipsum notas Catalan.

illius summa, ordo, ritus a Marco est: ac proinde non immerito pro vero illius fetu accipienda. Movet me Aegyptiorum traditio, qui illam Marco adscribunt (1); movet me alexandrinae Ecclesiae copticae usus, quae Liturgias suas, quas coptica lingua conscriptas habet, et Basilii, Cyrilli et Gregorii theologi nominibus insignivit, et maxima ex parte ex marciana deprompsit, cyrillianam praesertim, quam marcianam etiam vocari tradit Abulbircatus (2); movet me eiusdem antiquitas; nam ante chalcedonense concilium Liturgia illa conscripta fuisse oportet, qua aeque usi sunt et Melchitae et Iacobitae sive Copti, quos concilium illud in duas sectas divisit: nam marciana Liturgia usos et Melchitas fuisse, patet tum ex laudato Nicolai methonensis testimonio, qui cum graecus esset, et in communione patriarchae constantinopolitani, quam et Melchitae amplectebantur, nunquam veluti Marci fetum Liturgiam illam produxisset, quam Copti Monophysitarum haeresi infecti procudissent, ac soli sequerentur: tum ex epistola Marci patriarchae alexandrini ad Balsamonem (3), qua quaerit: quid de Liturgiis Iacobi et Marci sentiendum, quae suo saeculo *in partibus Hierosolymorum et Alexandriae legebantur, et dicebantur conscriptae a sanctis apostolis Iacobo fratre Domini et Marco: recipiendae ne essent a catholica Ecclesia, nec ne?* neque enim de Liturgia ab haereticis tantum usurpata quaesivisset: movet me denique fieri nequaquam potuisse, quin Marcus alexandrinam Ecclesiam constituens certam aliquam illi traderet Liturgiae formam: quae ubi semel tradita ab ipso fuerit, profecto immutari deinde saltem magna ex parte non posset; quae causa est, cur quae apud Iacobitas vocantur Cyrilli, Basilii et Gregorii Liturgiae, hae magna ex parte marcianae prorsus respondeant. Vix enim, aut ne vix quidem, nisi fortasse cum animi vel haeresi repente orta vel alia de causa in furorem acti sunt, vix (inquam) aut ne vix quidem ab ea sacrorum forma, quae semel suscepta est, removeri se populus patitur: nec alia de causa Melchitae constantinopolitanas Liturgias recepere, nisi quia cum reliqui Aegyptii fere universi in Monophysitarum haeresin lapsi essent, ipsi vero soli in constantinopolitanae Ecclesiae communione permanserint, ab eius Liturgiis recipiendis non abhorruere, quibuscum fidei societate coniungebantur.

IX. Atque haec ea sunt, quae mihi *αὐθεντίαν* marcianae Liturgiae maxime persuadent. Nunc quid contra illam afferant nonnulli (4) videamus. Aiunt I. Balsamonem, Liturgiam illam nullo modo recipiendam esse, Marco alexandrino respondisse; ac proinde pro falsa et supposita habuisse. At Balsamoni saeculi XII. scriptori, atque in ecclesiastica antiquitate parum admodum erudito (5), de hac re tamquam ex cathedra decernenti, nemo sane gratis assenserit, nisi sententiae suae aut testes proferat, aut causas; praesertim cum eodem edicto Iacobi

---

(1) Renaud. praef. in hanc Liturg. — (2) Renaud. notae in Liturg. Copt. S. Cyrill. tom. I. pag. 315. — (3) Bals. resp. ad Marc. alex. interr. I. Αἱ περὶ τὰ μέρη τῆς Ἀλεξανδρείας καὶ τῶν Ἱεροσολύμων ἀναγινωσκόμεναι λειτουργίαι, καὶ λεγόμεναι συγγραφῆναι παρὰ τῶν ἁγίων ἀποστόλων Ἰακώβου τοῦ ἀδελφοθεοῦ, καὶ Μάρκου, δεκταί εἰσι τῇ ἁγίᾳ καὶ καθολικῇ Ἐκκλησίᾳ, ἢ οὔ; — (4) Natal. ab Alex. Hist. Eccl. saec. I. cap. XII. artic. III. Bona de reb. Liturg. lib. I. cap. IX. art. 2. Vide Renaudot. ll. cc. — (5) Vide Renaud. de Liturg. Coptic. n. XV.

etiam hierosolymitanam Liturgiam proscribat, quam tamen trullanus canon secundus, cuius est veluti oecumenicae synodi maxima apud Graecos auctoritas, receperat atque comprobarat. At quos ille testes profert? nullos: quas causas? absurdas plane. Ait, nihil de Liturgia a Marco scripta aut in sacris litteris, aut in sacris canonibus tradi: neque animadvertit, si Marci Liturgiam sacrae litterae commemorarent, nullam de illa dubitationem suboriri potuisse: nec tamen quicquam eius *αὐθεντία* officere, quod eius mentio in sacro codice non occurrat, cum plura sint ab Ecclesia recepta, quorum nulla in scripturis extat mentio, et tamen apostolica esse non dubitamus, quale est, ut de ceteris taceam, symbolum Apostolorum. Canones vero quid attinebat ab eo commemorari, qui alteram illam Iacobi Liturgiam reiicit, licet a canonibus comprobatam? Porro quinam sunt canones, apud Graecos praesertim, qui latinae Ecclesiae Liturgiam comprobaverint? audebit ne idcirco et illam reiicere Balsamon atque damnare? Animadvertendum tamen, Balsamonem non omnino negare Liturgias illas Iacobi et Marci esse posse: sed tantum negare, usu esse recipiendas, eo quod illas constantinopolitana Ecclesia minime agnoscat. Ipsum audi subtilem sane et lepidum disputatorem (1): *Sed etiam*, inquit, *catholica Ecclesia sanctissimae et oecumenicae sedis constantinopolitanae illas omnino non agnoscit: quapropter non esse recipiendas decernimus. Licet etiam genuinae essent, iam nullius usus esse decretae sunt, ut et alia multa.* Subiicit deinde (2): *Idcirco debent universae Dei Ecclesiae consuetudines amplecti Novae Romae sive Constantinopoleos, et sacris operari iuxta traditiones magnorum doctorum et luminarium pietatis S. Ioannis Chrysostomi et S. Basilii.* Audin graeculum nugantem? *Etsi*, inquit, *genuinae forent*, tamen deserendae. Cur? ut constantinopolitanam Ecclesiam imitere. Itaque traditio apostolicarum Ecclesiarum hierosolymitanae et alexandrinae deserenda est, contemnenda auctoritas synodi per Balsamonem oecumenicae, ut constantinopolitanae Ecclesiae, quae tam sero patriarchalem dignitatem adepta est, adhaereamus; quodque illa recipit recipiendum, reiiciendum quod reiicit, licet apostolica auctoritate institutum, licet canonibus concilii oecumenici confirmatum. Iacobo et Marco apostolis anteferendi Chrysostomus et Basilius; imo, cum eadem semper futura sit constantinopolitani throni praerogativa, praeferendi Photius, aut Ioannes Nesteutes, si novam statuant Liturgiam. O ineptum hominis ingenium! at unde haec tanta constantinopolitani throni in antiquas et apostolicas institutiones potestas? ex sacris litteris? minime: ex sacris canonibus? nequaquam. Si nescis, ex iure romano; ubi statuitur: *Romanum morem sequendum esse, quando lex scripta non extat* (3). Quid vero absurdius potuit excogitari? traducitur ad ecclesiastica negotia, quae lex de civilibus lata

---

(1) Bals. loc. cit. Ἀλλὰ καὶ ἡ καθολικὴ Ἐκκλησία τοῦ ἁγιοτάτου, καὶ οἰκουμενικοῦ θρόνου τῆς Κωνσταντινουπόλεως, οὐδ' ὅλως ταύτας ἐπιγινώσκει· ψηφιζόμεθα οὖν μὴ εἶναι δεκτὰς αὐτάς. Κἂν γὰρ ἐγένοντο, παντελῶς ἀπραξίας κατεψηφίσθησαν, ὡς καὶ ἄλλα τὰ πολλά. — (2) Ibid. Διά τε τοῦτο καὶ ὀφείλουσιν πᾶσαι αἱ Ἐκκλήσιαι τοῦ Θεοῦ ἀκολουθεῖν τῷ ἔθει τῆς νέας Ῥώμης, ἤτοι τῆς Κωνσταντινουπόλεως, καὶ ἱερουργεῖν κατὰ τὰς παραδόσεις τῶν μεγάλων διδασκάλων, καὶ φωστήρων τῆς εὐσεβείας, τοῦ ἁγίου Ἰωάννου τοῦ Χρυσοστόμου καὶ τοῦ ἁγίου Βασιλείου. — (3) Vide Photium in Nomocan. tit. I. cap. III. et Balsam. ad eum loc.

est: antiqua Roma, qua de loquitur lex, in novam Romam mutatur: et quod mireris patriarchae sub Saracenorum potestate degenti romana lex denuntiatur. Hoc vero si ineptire non sit, quid tandem erit? Attamen turpius adhuc desiperet, qui, ex eo quod hanc Liturgiam a Marco traditam dicamus, ideo in sanctarum scripturarum canonem recipiendam esse contenderet: ex eo vero quod recepta non sit, illam non fuisse a S. Evangelista concinnatam concluderet. Neque enim omnia, quae inspirati auctores scripsere, inspirata sunt; sed ea tantum quae Spiritu Sancto afflante exararunt. An si adhuc superessent tria illa parabolarum millia, quae Salomon scripsit, et carmina illa quinque mille, quae idem rex concinnavit, tum quaecumque illum de historia naturali disputasse tradunt sacrae litterae (1), ideo ea omnia pro canonicis libris recipienda quis existimaret, eo quod ille Sancto Spiritu afflante Proverbiorum, Ecclesiastae et Cantici libros conscripserit?

X. Sed et alias movet difficultates Natalis ab Alexandro (2). Ait, in ea τρισάγιον et ὁμοούσιον occurrere, quae voces nonnisi sero in Ecclesiam invectae sunt; tum illa: *Spiritum Sanctum Dominum vivificantem, qui in lege et Prophetis et Apostolis locutus est, tibi consubstantialem, ex te procedentem;* quae verba ex symbolo constantinopolitano fere exscripta sunt. Subiicit: Marci ipsius nomen veluti martyris et alexandrinae civitatis patroni ibidem recitari, *patenarum* et *calicum* voces usurpari, cum *patenae* vox recentissima sit; preces offerri pro rege, cum rex nullus Alexandriae esset Marci aetate, denique *pontificem vocari sanctissimum et beatissimum papam, et episcopum reverendissimum; quae nomina et epitheta tribus primis Ecclesiae saeculis usurpata non fuerunt.* Nollem haec unquam viro ceteroquin doctissimo excidissent: sed *patimur manes quisque suos.* Nam quid mirum, nova identidem Liturgiis inseri, prout temporum ratio ac rerum vices efflagitant? sunt multa in illa Liturgia, quae sequiorem aetatem olent: id ultro damus; at ideo ne erit illa Marco deneganda? Addita illa sunt processu temporis, ita ferente Ecclesiae disciplina, vel verborum adversus novas haereses in conciliis oecumenicis usurpatorum vi atque evidentia, qualia illa sunt ὁμοούσιον, θεοτόκος etc.: adiecta sunt diptychis sanctorum, episcoporum, principum nova nomina: insuper et novae precationes, novi ritus nonnulli: attamen quod ad universam Liturgiae formam et ordinem pertinet, idem semper servatum, et ipsa Liturgia illi perpetuo tributa, qui primus illam disposuit. Nam quis unquam eo quod in Romano Missali SS. Philippi Nerii, Theresiae, Hieronymi Aemiliani, Vincentii de Paulo et aliorum nomina occurrant, ipsum nec illud esse statuat, quod Pius V. R. P. emendavit, nec quo ante saeculum XVIII. romana Ecclesia usa est? Atqui distinguendae additiones ab iis, quae antiquissima sunt. Ac additiones satis multas in marcianam Liturgiam irrepsisse libenter agnoscimus: unum tantum tuemur, Liturgiae ipsius ordinem ac verba ipsa, non omnia quidem, sed bene multa Marco esse tribuenda. Nec ideo tamen ea omnia nova esse concedimus, quae

(1) III. Reg. IV. v. 32. 33. — (2) Loc. cit.

Natalis pro novis habet. Nam etsi latinum *patenae* nomen recens esse daremus, attamen graecum *δίσκος discus*, quod habet Liturgia, antiquum est et omnino graecum, quoque uti Marcus ipse potuit; nisi fortasse quis putet, Marcum lance nequaquam usum esse in sacrificio, ac sanctum panem super nudam mensam collocasse. Quamquam nec ipsum latinum *patenae* nomen adeo recens est ac Natali videtur, utpote quod apud Columellam (1) occurrat. Ceterum tantum abest, ut vox illa *δίσκος* novum aliquid exhibeat, ut potius inde Liturgiae huius, licet etiam ad Marcum non pertineret, remotissimam antiquitatem deprehendere debuerit Natalis. Sic enim habet (2): *Ὁ Ἱερεὺς σφραγίζων τοὺς δίσκους καὶ τὰ ποτήρια, ἐκφόνως κ. τ. λ. Sacerdos signans discos et calices, dicit elata voce etc.* Cur *discos et calices* plurali numero? ex antiquissima (3) disciplina, qua praeter calicem et patenam, qua utebatur ipse sacerdos, alii calices aderant et patenae, in quibus Eucharistia populo distribuenda conficeretur: qui calices *ministeriales*, seu *communicales* appellabantur. Disci autem usus in Liturgia necessarius, nempe ne sancti panis fragmenta dilabantur: ita ut nulla fere sit Liturgia ubi eius mentio non occurrat, ne ipsa quidem excepta S. Iacobi omnium antiquissima. Pari modo hallucinatus est vir eruditissimus, cum ex oratione pro *rege*, Liturgiae inserta, ipsius novitatem deduxit. Nam apud Graecos Romanorum imperatores vocari *βασιλέας* vel pueri norunt; orationes vero pro imperatore ab ipsis Ecclesiae primordiis in Liturgia offerri consuevisse, constat ex Athenagora (4), Tertulliano (5), Prudentio (6), et auctore Constitutionum Apostolicarum (7), sed maxime ex epistola prima S. Pauli ad Timotheum (8), ubi haec leges: *Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus: pro regibus ὑπὲρ βασιλέων et omnibus qui in sublimitate sunt, ut quietam et tranquillam vitam agamus in omni pietate et castitate: hoc enim bonum et acceptum est coram Salvatore nostro Deo.* Quid ni hoc ipsum alexandrinae Ecclesiae Marcus praescripserit? nam si *βασιλέα* non *imperatorem* sed *regem* quis intelligere voluerit, cum aliunde constet hanc Liturgiam alexandrinae Ecclesiae propriam fuisse, dicendum erit Arabibus Aegyptum occupantibus Liturgiam illam conscriptam fuisse; neque enim unquam alias post Christum proprios reges habuit Aegyptus: imo non reges, sed *caliphas;* neque enim hoc praetereundum, quandoquidem de nomine sermo est. Atqui nonnisi X. a Christo saeculo *caliphas* sibi proprios habuit Aegyptus, ut constat ex Chronico Orientali: ergo tunc tantum Liturgia illa scripta dicetur, quam tamen ante chalcedonense concilium scriptam fuisse, superius (9) ostendimus.

XI. At nullibi magis a Natali erratum, quam ubi *papae* nomen Liturgiae illi insertum veluti certissimum novitatis indicium produxit. Equidem non dif-

---

(1) Lib. XII. cap. XLIII. — (2) Apud Renaud. tom. I. pag. 143. — (3) Vide Bona de reb. Liturg. lib. I. cap. XXV. n. 3., Georg. Liturg. Rom. Pontif. disquisit. de sacro minist. cap. III. n. 3. et 4., Merati ad Gavant. comm. in Rubr. Miss. Rom. part. 2. cap. I. not. 3. — (4) Apolog. n. XXXVII. — (5) Apolog. cap. XXX. ad scapul. cap. II. — (6) Hymn. de S. Romano. — (7) Lib. VIII. cap. XII. — (8) I. Timoth. cap. II. vers. 1. — (9) Supr. paragr. VIII.

fiteor, illas *beatissimi*, *sanctissimi*, *reverendissimi* appellationes recentiores esse, seroque invectas in Liturgiam: at *papae* nomine non iam Romanus Pontifex, ut perperam putavit Natalis, sed ipsum indicat alexandrinum patriarcham, cum primis Ecclesiae saeculis omnibus fere episcopis commune esset, ut inter cetera ex ipsis augustinianarum epistolarum titulis deprehendi potest. Ac quamvis ipsam hanc *papae* vocem, et praeterea ritum illum, ut prius pro *papa* sive patriarcha, deinde pro episcopo preces fundantur, ab ipso Marco originem duxisse mordicus tueri non ausim: vix tamen fieri potuisse crediderim, ut Marcus in sua Liturgia non aliquem locum designaverit, ubi pro episcopo orandum esset, quocumque tandem nomine illum appellaverit; neque enim singulas etiam voces a Marco repetendas esse existimaverim. Nihil itaque ad alexandrinae Liturgiae Marco inscriptae γνησιώτητα evertendam faciunt adversariorum argumenta; neque enim alia, praeter haec, adducuntur: atque illud stat, quod tuendum suscepimus, eius auctorem Marcum revera fuisse, licet multa illi processu temporis addita fuerint, dempta etiam nonnulla, ut in huiusmodi libris saepissime fieri solet.

XII. De Liturgia *praesanctificatorum*, S. Marco tributa a Coptitis, nihil dicam. Unica eius mentio occurrit in alexandrina Liturgia S. Basilii (1) his verbis: Ἄλλο παρ' Αἰγυπτίοις ἀπὸ τῶν προηγιασμένων τοῦ Ἀποστόλου Μάρκου μετὰ τὴν μετάληψιν τῶν ἁγίων μυστηρίων. *Aliud apud Aegyptios ex Liturgia praesanctificatorum Apostoli Marci post receptionem sanctorum mysteriorum*. Deinde sequitur oratio. Sed cum nullibi alias de hac Liturgia sermo sit, quid de illa statui debeat non constat. Libentius tamen Marco abiudicarem, cum, ut animadvertit Renaudotius (2), oratio illa ex Basilio desumpta esse, paucis mutatis, videatur.

---

(1) Apud. Renaud. tom. I. pag. 79. — (2) In notis ad loc. cit. pag. 341.

CAPUT XIV.

DE AQUILEIENSI S. MARCI APOSTOLATU.

I. *Quaestionis huius difficultas. Memorantur qui de illa ante nos disputarunt.* II. *Quid inter historiam et traditionem intersit.* III. *Laureacensis Ecclesiae traditio aquileiensem apostolatum confirmat. Aquileiensis S. Marci missio saeculo VIII. tota Europa notissima erat et pervulgata.* IV. *Quod etiam ex marmorea cathedra elicitur, quam Venetias Heraclius augustus transmisit.* V. *Tum ex multis X. saeculi diplomatibus.* VI. *Afferuntur scriptores saeculi VIII. idipsum asserentes.* VII. *Idipsum Adonis viennensis et synodi mantuanae auctoritate firmatur.* VIII. *Expenduntur Nazianzeni et Procopii de Marco testimonia.* IX. *Actum iterum de iisdem testimoniis.* X. *Italiae nomen a Nazianzeno et Procopio usurpatum, Italiam septentrionalem praecipue Venetiam significat.* XI. *Idipsum rursus ostenditur.* XII. *Aquileiensis urbis dignitas aquileiensi traditioni maxime favet.* XIII. *Refelluntur adversariorum momenta.* XIV. *Fabella quaedam de Marco Rivoaltum appulso reiecta.* APPENDIX CONTRA HIERONYMUM TARTAROTTUM.

I. Quaestionem aggredimur de aquileiensi S. Marci apostolatu, quam satis per se impeditam, ac veterum monumentorum defectu caligantem, adhuc difficiliorem reddit nonnullorum criticorum morositas, Bailleti (1) praesertim et Tillemontii (2), qui cum nullum sibi de missione illa testimonium afferri animadverterent, quod octavum Christi saeculum anteverteret, eam statim inter fabulas amandarunt; ut nihil dicam de heterodoxis, quos non modo hic ipse veterum monumentorum defectus, sed insita illa traditionum, quae in romana Ecclesia retinentur, carpendarum prurigo adversus eandem S. Marci missionem sollicitavit. Perbelle tamen nobiscum actum est, quod non omnium primis in hanc palaestram descendere contigit, cum viri longe doctissimi ante nos hac ipsa in arena versati fuerint, quos inter silentio praetereundi non sunt Godefridus Henschenius (3) et Ioannes Bern. Maria de Rubeis (4); quorum prior in animadversionibus ad acta S. Marci, alter vero tum in monumentis Ecclesiae aquileiensis, tum in dissertationibus, totius Venetiae, imo et Norici et aliarum gentium de hac re traditionem strenue propugnarunt. Sed et Ioannes Baptista Sollerius in Historia Chronologica Patriarcharum Alexandrinorum, quam tomo V. Iunii Actorum Bollandianorum praemisit (5), licet controversiam hanc intactam omnino relinquat; subductis tamen annorum vitae S. Marci rationibus, evidenter ostendit, nihil obstare quominus S. Evangelista Christi lucem Aquileiensibus at-

(1) Vies des Saints in Marco. — (2) Memoires etc. in Marco. — (3) Inter. Bolland. ad diem XXV. April. — (4) Dissert. variae erudit. a cap. VII. ad XIV. Monum. Aquilei. cap. I. — (5) Sect. II. n. 21.

tulerit, ac apud eosdem integrum biennium transegerit, quantum scilicet temporis (1) aquileiensi eius apostolatui tribuit antiqua Venetorum traditio. Nec minori adiumento nobis fuit dissertatio quaedam de Marci aquileiensi missione a v. c. Sebastiano Braida Ecclesiae metropolitanae utinensis canonico anno MDCCXXXI. elucubrata, nec tamen edita, quam nobis communicavit Petrus Braida, Sebastiani ex fratre nepos, et eiusdem Ecclesiae canonicus, vir eruditissimus ac aquileiensium antiquitatum scientissimus, ut ex animadversionibus ad opuscula SS. Nicetae et Chromatii aquileiensium episcoporum ab ipso edita videre est. Mirum tamen, tot inter celeberrimos viros neminem fuisse adhuc, qui argumento illi, quod ex S. Gregorio nazianzeno adducemus, pondus illud addiderit, quod eloquentissimi simulque eruditissimi Patris auctoritas postulare videbatur; cuius quidem testimonium si quis plene in luce collocasset, iam aut omnia me ludunt, aut universa de aquileiensi Marci apostolatu controversia iamdiu sublata esset. Verum illud cuiusmodi sit inferius videbimus (2). Interim aequum duximus ingenue, per quos profecerimus, confiteri.

II. Ac ut rem ipsam aggrediamur, sapienter monet in laudata dissertatione Sebastianus Braida, magnum inter historiam et traditionem discrimen interesse; nec iisdem utramque momentis muniendam esse. Et historiam quidem συνχρόνους testes et oculatos, si fieri potest, postulare, qui de qua re agitur, eam ex professo narrandam tradendamque posteritati susceperint; ac quorum testimoniis productis, nulla de ipsa ulterius controversia excitari possit: traditionem vero ex constanti ac perpetua gentis alicuius de aliquo facto persuasione constare, quae nonnisi sero tandem litteris commissa fuerit, ac idcirco iis omnibus rei circumstantiis destituatur, quibus certe haud destitueretur, si illam historici posterorum memoriae commendassent. Porro ut huiusmodi facta cordatis viris haud omnino reiicienda existimentur, satis erit, si qui illa tradiderunt, licet longe post rem gestam vixere, antiqui tamen et ipsi sint atque vetusti; si ea eruditionis atque virtutis fama floruerint, ut nec facile ipsi decipi potuisse, nec ullo modo alios decipere voluisse putari possint; si quae tradunt, ea ex antiquis monumentis decerpsisse videantur, quae illorum quidem aetate extarent, processu vero temporis interierint; si nihil in ipso facto sit, quod aut certis et exploratis historiis repugnet, aut cum chronologia, geographia, receptisque aliunde traditionibus nequeat conciliari; si denique traditionem hanc non una tantum gens, in cuius aut gloriam cedat aut commodum, sed aliae etiam, quarum nihil intersit eam veram esse, et susceperint et constanter retinuerint. Haec si traditioni alicui roborandae universa conspirent, iam nonnisi intemperantis ac morosi nimium ingenii erit ipsam respuere, quum licet illa historica evidentia minime muniatur, ad historicam tamen evidentiam proxime accedat. Itaque ut illae traditiones respuendae sunt, quae ab incerto aliquo rumore ortae, evanuerunt processu temporis, dilapsaeque sunt: ita non illae

(1) Vide Dand. in Chron. lib. I. init. — (2) Infr. num. VIII.

abiiciendae, quas multarum et gentium et saeculorum consensio comprobavit. Porro haec omnia mirum quantum traditioni nostrae firmandae constituendaeque conspirent!

III. Nam ut a pervagata apud gentes multas de hac re notitia exordiar, ipsarumque consensionem luculentissimi testimonii loco producam, praetermissis Venetis, Foroiuliensibus et Histris, apud quos, vel ipsis adversariis fatentibus, (ut nos ostendemus) saltem post saeculum Christi VIII. de aquileiensi S. Marci apostolatu nunquam est dubitatum; eadem traditio apud Noricos etiam et Germanos servata est, quos inter Laureacenses se a S. Marco Aquileia profecto Evangelii lucem accepisse gloriantur. Fuit autem Laureacum Norici Ripensis urbs ab Antonino in Itinerario commemorata, cuius sedes episcopalis Petovium translata est, utriusque Pannoniae olim metropolis, quam ab ipsa Apostolorum aetate erectam a discipulis S. Petri Symmachus (1), Agapitus II. (2), et Benedictus VII. (3) Romani Pontifices testati sunt. Porro urbe illa ab Hunnis vastata (4) haud procul oppidum Anasianum, vulgo *Ens*, erectum fuit, ubi in turri quadam hi versus leguntur:

Aspicis exiguam, nec magni nominis urbem;
Quam tamen aeternus curat amatque Deus.
Haec de Laureaco reliqua est: his Marcus in oris
Cum Luca Christi dogma professus erat.

Equidem haud antiquissimi versus illi sunt, sed tamen ante XVI. saeculum incisi, Hansitzio teste (5), ac proinde quaenam esset tunc temporis Noricorum traditio demonstrant. Eam illi tamen a maioribus longe antea acceperant: nam Schritovinus, qui medio saeculo XV. Laureacensium episcoporum catalogum iussu Friderici III. imp. confecerat, id ipsum haud spernendis coniecturis ostendere conatus fuerat; idque etiam ex germanicis historicis satis multi tuentur, ut videre est apud Farlatum (6), et apud venetum Italiae sacrae editorem (7). Nec ego is sum, qui Laureacensium traditionem tueri velim: videant ipsi in re sua: mihi satis est ex ipsa, quaecumque demum illa sit, id demum deducere, traditionem Aquileiensium Alpes praetergressam fuisse, ac apud ipsos Germanos iamdiu invaluisse. Quamquam nihil est quod Noricos morer; qui fortasse seri nimis eiusdem testes adveniunt. At illud quantum est, quod nono ipso ac decimo Ecclesiae saeculo ita late erat pervagata, ut nulla fere esset Europae gens, cui non persuasum esset, Marcum in Venetia et Carnia Evangelium omnium primum disseminasse. Id et Caroli M. imperatoris diplomata, et Romanorum Pontificum decreta, et eius aetatis scriptores, et alia huiusmodi monumenta, quae deinde afferemus, evidenter demonstrant; ut nihil dicam de iis, qui vel martyrologia scripsere, vel acta sanctorum martyrum, apud quos aquileiensem Marci aposto-

(1) Anno 514. Vide Append. ad Chron. Reichersperg. Vid. etiam Salagium de statu Eccl. Pannon. lib. II. cap. XV. — (2) Epist. I. — (3) Epist. ad Gallos et German. — (4) Agapitus Pp. epist. cit. — (5) Germ. sacr. tom. I. part. I. cap. II. — (6) Illyric. sacr. Proleg. part. III. cap. II. §. II. — (7) Tom. V. in Patriarch. Aquilei. n. 1.

latum identidem commemoratum reperias. Equidem haud sum nescius, fuisse homines per ea tempora ad quaelibet facile credenda proclives, praesertim in iis, quae ad Religionis historiam et ad Sanctorum gesta pertinebant; neque enim quemquam in huiusmodi rebus impudenter mentiri posse arbitrabantur: at haec ipsa hominum simplicitas in causa erat, ne ipsi facile mentirentur; ac somnia illa tam putida venditarent, qualia subsecutis temporibus, saeculis nempe XI. XII. et XIII., moribus quotidie declinantibus ac animis superstitione occupatis, ab ineptis ac effrontibus veteratoribus sunt excogitata. Itaque si quae Caroli M. aetate mendacia iactata sunt, fuere autem longe plurima, eaque fere omnia partim inscitiae et credulitati, partim vero criticae artis defectui, non fraudi aut malae fidei, tribuenda. Porro quis in hac de apostolatu aquileiensi S. Marci traditione fraudi locus esse unquam potuit? Quid erat cur Galli, Germani, Romani, Longobardi in hanc fraudem conspirarent? An quidquam illorum intererat, utrum Marcus Aquileiae potius, quam Thessalonicae, aut Ephesi apostolico munere functus esset? profecto nihil. An dices, commentum hoc ab Aquileiensibus primum fuisse excogitatum, eius deinde fama disseminata, etiam illas regiones penetrasse; ac pro vero receptum fuisse? At qui fieri potuit, ut tam cito Europam fere universam persuaderet, clausisque, ut aiunt, oculis ab omnibus reciperetur? Cogita quanta fuerit illorum temporum barbaries, quae tenebrae, quam rari codices, typographica arte nondum reperta, litterisque omnino iacentibus atque neglectis; quam impedita commercia, tot illa tempestate saevientibus bellorum procellis: ac statim intelliges, tradionem hanc tam late diffusam, etiamsi demum ex Aquileiensium officina prodiisset, nonnisi aliquot ante saeculis procudi potuisse. Erit itaque ad VI. vel VII. Ecclesiae saeculum deveniendum: quo tempore adhuc incorruptior stabat fides, nec tantus erat fabularum amor, quantus deinde subrepserat.

IV. Quin imo hanc traditionem sexto saeculo apud Aquileienses invaluisse, indicii loco potest esse alexandrina S. Marci cathedra Primigenio gradensi patriarchae ab Heraclio imp. anno DCXXIX. dono missa, ut apud Dandulum (1) et in Chronico gradensium patriarcharum (2) videre est. Quid de cathedra illa putandum sit, modo non quaeram. Attamen quid erat cur Heraclius veneto patriarchae cathedram illam ingentis muneris loco donaret? Nullam aliam fuisse causam putaverim, nisi ut, eutychiana haeresi et mahumetica perfidia grassante quo loco a Petro missus Evangelium Marcus disseminaverat, altera Ecclesia ab eodem Marco instituta apostolicum eius thronum possideret. Nam Apostolorum cathedras in iis ipsis locis, ubi Evangelii lucem diffuderant, servari consuevisse, adductis veterum scriptorum testimoniis, alio loco (3) demonstrabimus: eburneamque ipsius Marci sedem, qua dum Aquileiae versaretur usus fuerat, diu apud Aquileienses summa veneratione servatam fuisse, ipsa B. Evangelistae acta (4) a bollandianis sociis edita apertissime tradunt; quae licet coniecturam non excedant, ac singula fortasse per se leviora videri possint, attamen si simul

(1) Chron. mss. ad ann. 629.—(2) Apud Ughell. t. V. in Patriarch. Grad. n. VI.—(3) Infr. cap. XIX. n. VIII. —(4) De Apostolatu Aquilei.

omnia accipiantur, magnam sententiae nostrae fidem ac robur adiiciunt: neque enim mihi persuadere unquam potero, traditionem huiusmodi tam antiquam, tam constantem, tam late pervagatam, quamque et Romanorum imperat. graeci et latini, et Romani Pontifices, et eruditissimi viri secuti sunt, nonnisi ex incertis rumusculis ortam esse, ac vix ortam universam pene Ecclesiam pervasisse.

V. Quod ne quis a nobis gratis confingi putet, traditionis ipsius testes luculentissimos afferre iuvat, iis praetermissis, qui recentiori aetate floruerunt: quorum tamen testimonium non omnino esset repudiandum, cum id ex antiquissimis monumentis hausisse videri possent. Ecquis enim existimet, aut Andream Dandulum Venetorum ducem (1), aut chronicorum aquileiensium scriptores (2), aut Ioannem XIX. Romanum Pontificem (3), aut alios huiusmodi, ea quae de hac re tradunt, non ex antiquissimis monumentis hausisse; Dandulum praesertim, cuius quanta fuerit in veritate indaganda diligentia, in narranda fides omnes norunt? Quis putet acta S. Marci Evangelistae (4), acta SS. Hermagorae et Fortunati (5), acta S. Syri ticinensis episcopi (6), acta denique SS. Euphemiae et sociarum martyrum aquileiensium (7), quamvis spuria essent, ac nonnisi post X. fere saeculum procusa, ita tamen esse falsa, ut nihil in ipsis sit, quod ex antiquis historicis deductum fuerit, nihil quod libenter pro vero recipi debeat, ne tunc quidem cum in re aliqua universa simul conveniunt? Equidem esse nonnulla in ipsis fraudi subiecta negare non ausim: at aeque omnia reiicere, nec ipsorum testimonium, concors licet et sibi constans, in re ulla recipere, id mihi durum nimis atque severum videtur; praesertim cum nihil omnino sit, quod ea quae referunt aperti mendacii coarguere possit. Sed quoniam altera ex parte iis etiam faciendum est satis, qui nihil in criticis admittunt, nisi quod certissimum sit et exploratissimum; ipso saeculo Ecclesiae X. imo etiam XI. traditionem illam iam late propagatam fuisse non est operosum demonstrare. Nam praeter Luitprandum ticinensem (8) meminit huiusce traditionis Leo VIII. in epistola ad Rodoaldum aquileiensem (9); ac licet ex Romanorum Pontificum albo, utpote schismaticus expungetur, luculentum tamen nobis in hac re praebet testimonium: *Et ut omnibus*, inquit, *pateat Christianis, quanta charitate diligamus, ob amorem B. Marci evangelistae, pastoris nostri gloriosissimi, Petri Apostolorum principis discipuli, qui vestrae praesedit cathedrae, renovamus vobis per praesens privilegium, illud antiquum sanctissimo Hermagorae B. Marci Evangelistae successori a beatissimo Petro contraditum etc.* Eadem videre est tum in conventione a nobis inferius memoranda (10) Ursi ducis et Valperti patriarchae anni DCCCLXXX., tum in duobus Ludovici et Lotarii impp. diplomatibus, altero anni DCCCXXX. ad Maxentium patriarcham aquileiensem (11), altero incerti temporis, sed fortasse anni DCCCXXV. ad Venerium gradensem (12), ubi aquileiensis

(1) Chron. Ven. init. lib. IV. — (2) Apud De-Rubeis Mon. Eccl. Aquil. in app. — (3) Apud Ughellum tom. V. in Patriarch. Aquil. n. LI. — (4) Apud Bollandum XXV. April. — (5) Ibid. XII. Iulii. — (6) Ibid. XII. Iulii in praefat. — (7) Apud Comorett. pag. V. — (8) De Reb. Impp. et Regg. lib. III. cap. II. — (9) Apud Ughell. in Patriarch. Aquil. n. XLIX. et apud Lunig. Cod. Diplom. Ital. tom. IV. pag. 1523. — (10) Infr. cap. XIX. n. 1. — (11) Apud Mabill. Ann. Benedict. tom. II. in app. et apud de Rubeis Mon. Aquil. cap. I. — (12) Ital. Sacr. venetae edit. in Patriarch. Grad. n. XVII.

Ecclesia *SS. Marci et Hermagorae sedes* vocatur, tum demum in diplomate Caroli M. imp. anni DCCCIII. (1), ubi Fortunatus gradensis praesul vocatur *patriarcha sedis S. Marci evangelistae, et S. Hermagorae episcopus.* Accedunt scriptores saeculi eiusdem IX. Notkerus Balbulus monachus S. Galli (2), Usuardus monachus S. Germani (3), et Ado viennensis (4); qui omnes in martyrologiis suis S. Hermagoram primum, post S. Marcum, aquileiensem antistitem *discipulum* appellant *S. Marci evangelistae;* quin imo Notkerus id *in antiquis codicibus inveniri* testatur; quos certe saeculo saltem VII. scriptos fuisse necesse est, si quidem saeculo IX. *antiqui* appellari potuerunt. Ado vero, praeter ea quae habet de Hermagora in martyrologio, haec memorat in chronico (5), quod ad Christi annum DCCCLXXVII. perduxit: *Marcus evangelista Evangelium quod Romae scripserat, Petro iubente, primum Aquileiae praedicavit; ibique ordinato Hermagora discipulo suo, ad Aegyptum pervenit.* Vides itaque aquileiensis Marci missio, quam late saeculo IX. et X. fuerit pervulgata, cuius et ex Gallis et ex Germanis tot ac tantos testes habemus.

VI. Atqui eadem de ipsa fama iam percrebuerat saeculo VIII., cuius rei testimonia bene multa proferre licet, sed quae longe ante famam illam invaluisse demonstrant. Ac primum missum facio Caroli M. imp. diploma anni DCCXCII. ad Paulinum aquileiensem antistitem, quod apud Palladium (6) videre potes: missas item facio Flacci Alcuini ad eundem Paulinum epistolas binas (7), in quibus illam S. Marci cathedram tenere latenter innuit; ac Pauli Warnefridi diaconi foroiuliensis atque hominis aquileiensium antiquitatum scientissimi locum produco ex brevi chronico (8) metensium episcoporum, quod anno DCCLII. elucubravit: *Cum Romam,* inquit, *pervenisset Petrus, illico qui summas quasque urbes in occiduo positas Christo Domino per verbum fidei subiugarent, optimos eruditosque viros ex suo consortio direxit: tunc denique Apollinarem Ravennam, Leucium Brundusium, Anatolium Mediolanum misit; Marcum vero, qui praecipuus inter eius discipulos habebatur, Aquileiam destinavit, quibus cum Hermagoram suum comitem Marcus praefecisset, ad B. Petrum reversus Alexandriam missus est.* Pari modo S. Paulinus superius memoratus in hymno de S. Marco quod v. cl. Franciscus Madrisius primus vulgavit (9):

Sic a beato Petro missus adiit
Aquileiensem dudum famosissimam
Urbem, sacrati verbi pullulantia
Disseminavit, satoque centuplices (10)
Fructus ad alta vexit felix horrea.
Christi dicavit mox ibi Ecclesiam etc.

---

(1) Apud Lunig. Cod. Diplom. Ital. tom. IV. pag. 1511. — (2) Martyrol. ad diem XII. Iulii. — (3) Martyrol. ad eandem diem. — (4) Martyrol. ad eandem diem. — (5) Ad ann. Christi XLV. — (6) Historiae Foroiul. lib. II. De Rub. Monum. Aquil. cap. I. Madris. in Append. ad Oper. S. Paulini n. III. — (7) Alchuin. Epist. XXIV. alias CXII. vel LXI. Epist. XCVII. al. LXXXI. vel LX. — (8) Init. — (9) Inter Opera S. Paulini hymn. V. v. 21. — (10) Matth. XIII. v. 8. 23. Luc. VIII. v. 8.

Ad quem locum haec notat Madrisius: *En satis perspicuum et vetus testimonium, quo adventus S. Marci ad oras aquileienses asseritur, quod nonnulli non veriti sunt inficiari.*

VII. Sed nihil aeque traditionis huius antiquitatem ostendit ac acta synodi mantuanae anni DCCCXXVII. (1), et antiqui romani Martyrologii auctoritas, quod Martyrologio ipsi suo praefixit superius laudatus Ado viennensis (2). Ac Martyrologium quidem illud haec habet ad diem XII. mensis Iulii. *IV. Idus Iulias. Aquileiae, Hermagorae episcopi discipuli S. Marci.* Porro de hoc Martyrologio haec habet ipse Ado in praefantiuncula illi praemissa (3): *Huic operi,* nempe Martyrologio ab se scripto, *huic operi, ut dies martyrum verissime notarentur, qui confusi in Kalendis,* h. e. Kalendariis, *satis inveniri solent, adiuvit venerabile, perantiquum Martyrologium ab urbe Roma aquileiam cuidam sancto episcopo a Pontifice Romano directum, et mihi postmodum a quodam religioso fratre aliquot diebus praestitum. Quod ego diligenti cura transcriptum, positus apud Ravennam, in capite huius operis ponendum putavi.* Haec Ado medio fere saeculo VIII. Quae quidem ostendunt, codicem illum VII. saeculo ineunte conscriptum fuisse: nam ne ante scriptum putemus facit S. Gregorii papae nomen eidem insertum: ne autem multo post Gregorium exaratum existimemus, ipsa Adonis verba nos prohibent, quum nullo modo *venerabile et perantiquum* dici posset, cuius aetas saeculum et sesqui minime aequaret; quot fere anni inter Gregorii Magni mortem, et martyrologium ab Adone scriptum intercessere. Sed adhuc magis mantuanae synodi testimonium urget. Nam cum synodus illa auctoritate Eugenii papae II. postulantibus Ludovico et Lothario impp. coacta fuisset, ut tandem antiquae illi inter aquileiensem et gradensem antistitem controversiae finis imponeretur; cum multa ex utraque parte iactata fuissent, ita demum Patres loquentes inducunt eiusdem concilii acta: *Nos, veritate perspecta, invenimus, a beato evangelista Marco, qui spiritualis ex sacro fontis utero et carissimus S. Petri apostoli fuit filius, necnon ab elegantissimo Hermachora aquileiensem Ecclesiam prae omnibus in Italia Christi fide prius fundatam esse etc.* Tum paulo post: *Antiquorum recitatis historiis aquileiensem matricem semper et metropolim fuisse comperimus etc.* Subiiciunt deinde: *Tempore Aquileiae civitatis stantis in Hesperia, illuc S. Marcus evangelista ad praedicandum ab urbe Roma, scilicet a beatissimo Petro principe Apostolorum directus est, per cuius vero praedicationem veracissimam, orthodoxa fides Christi populo commoranti inibi ab eo tradita est, et usque nunc ibidem immutabilis manet: nec non ab eo exordium christianitatis non solum sumpsit Italia, verum etiam multae aliae provinciae etc.* Sed et Tiberius Ecclesiae gradensis diaconus de hac re a Patribus eius concilii interrogatus, ita respondit: *Negare non possum, quia ego et pene omnes sciunt Aquileiam civitatem, primam et metropolim esse, et a B. Marco et Hermachora in Christi fide fundatam etc.* Haec in illius synodi actis; quibus quid aut luculentius esse potest,

---

(1) Ext. in Veneta Labbeana Concil. Collect. tom. IX. pag. 657. — (2) Ext. in fronte Martyr. Adonis editi a Rosweydo. — (3) Apud Rosweydum ibid.

aut apertius ad traditionis huius antiquitatem ostendendam? Agebatur de aquileiensis patriarchatus in gradensem plebem iurisdictione, cum tamen Gradus ipsa in metropolim iam esset erecta: aderant ex utraque parte, qui Ecclesiarum suarum iura tuerentur, ac utrimque ea monumenta prolata fuerant, quibus et Aquileienses ius suum in plebem gradensem, et Gradenses immunitatem suam vindicarent. At, *veritate perspecta, antiquorum recitatis historiis,* quid demum synodi Patres concludunt? Nempe Aquileiae litem esse adiudicandam, ea praecipue de causa quod S. Marcus aquileiensem cathedram instituerit, atque omnium primus in ipsa consederit. Quid ad haec Tiberius gradensis? Aperte fatetur, haec se nullo modo negare posse, ac aquileiensem Marci episcopatum ita esse pervulgatum, ut vix, qui hoc nesciat, possit reperiri. Nunc quaero: sunt ne haec omnia recentis commenti, et ex incertis rumusculis conflati, an sincerae, antiquae sibique constantis traditionis indicia? Acta haec sunt saeculo IX. ineunte; quaeque ibi de Marci apostolatu aquileiensi feruntur, ex *antiquorum historiis* deducta esse universi Patres fatentur. An antiquae historiae dicerentur, quae nonnisi praecedenti saeculo scriptae fuissent? Nec monumenta illa obiter et perfunctorie lustrata, sed evoluta diligenter et operose fuisse, tum verba illa synodi indicant *veritate perspecta;* tum severa illa censura, qua monumenta alia a Tiberio producta reiecta sunt. Cum enim ille Venerii gradensis episcopi nomine *obsecratus esset, ut auctoritates, quas pro sua Ecclesia duxerat* (forte adduxerat) *in praesentia synodi legerentur; relectis omnibus,* inquiunt synodi Patres, *reperimus exemplaria nullius manu esse roborata, et quamvis ita sint, seu essent firmata, magis aquileiensi Ecclesiae, quam suae pertinere. Cumque a synodo sciscitaretur, utrum horum exemplorum authentica in archivo suae Ecclesiae tenerentur nec ne? respondit etc.* Vide quam circumspecte in actis illis excutiendis, quae Tiberius protulerat, se habuerint Patres, quos profecto eadem etiam severitate in aquileiensis patriarchae Maxentii scriptis et testimoniis expendendis versatos fuisse quisque existimabit. Sed et ipsi diserte fatentur, *auditis* Histriensium *precibus,* qui cum Maxentio convenerant, *sanctissimos et dominos legatos S. R. E. Benedictum videlicet episcopum, et Leonem diaconum* (hi namque synodo praeerant) *universa quae Maxentius patriarcha aquileiensis in libello obtulerat, auctoritatesque veracissimas, quae in hac synodo probatae sunt, recitatis etiam canonibus, recapitulando cuncta per ordinem protulisse.* Tum singulos episcopos rogatos de sententia, *si secundum has auctoritates Aquileia semper metropolis fuerit, respondisse universos: iusta est Histrianorum petitio etc.* Nolim ego synodi huius decretum ex omni parte tueri: nam cum anno DCVII. integro scilicet saeculo post aquileiensem sedem Gradum translatam (1), Candidianus catholicus a gradensi clero, Ioannes schismaticus ab aquileiensi patriarchae creati sint, et illi eiusque successoribus, Ioanne reiecto, Romani Pontifices communicaverint, qua ex parte vera aquileiensis Ecclesiae successio staret, pronum est iudicare. Attamen quod ad eiusdem Ecclesiae origines et auctorem spectet, quis neget,

(1) Vide De Rubeis Monum. Eccl. Aquil. cap. XXXIII. et seqq.

mantuanos Patres caute et circumspecte fuisse versatos? Quis neget monumenta in hac causa producta, sive, ut verbis synodi utar, *auctoritates* prolatas, et *antiquas* fuisse et *veracissimas*, ac proinde ipso VIII. et fortasse VII. Ecclesiae saeculo longe vetustiores; siquidem, hisce perspectis, circumspectissimi Patres aquileiensis Ecclesiae exordia a Marco evangelista esse repetenda unanimi consensione statuere?

VIII. Atqui haec sunt quae aquileiensem Evangelistae nostri missionem confirmant testimonia: quae inter licet nullum sit, quod VIII. saeculum antecedat, plura sunt tamen, ut diximus, quae ostendant traditionem hanc VII. etiam Ecclesiae saeculo viguisse. His autem vetustius monumentum, quod rem apertis verbis demonstret, nullum prorsus suppetit: habemus tamen vel inter ipsos graecos scriptores qui hoc ipsum subobscure tradere videantur, Procopium scilicet chartophylacem in encomio S. Marci (1), et Gregorium nazianzenum, quorum loca diligentius excutienda sunt. Et Nazianzenum quidem saeculo Christi IV. floruisse omnes norunt. Procopii vero aetas incerta: vixisse tamen extremo saeculo VI., vel VII. incipiente, haud levibus argumentis ostendi potest. Nam sub exitu orationis de Aegypto loquens et de urbe alexandrina, ita ipsas describit, ut non modo S. Marci corpus ibidem adhuc servari demonstret, sed illas et florentissimas esse, et adhuc sub Romanorum Imp. potestate ad Marcum confugere, *quoties barbarorum furorem impendentem sibi animadvertunt.* Porro Persae (2) anno Heraclii VI. idest Christi DCXV. Alexandriam ac Aegyptum universam, irruptione facta, occupaverant: ac licet abacta praeda inde paullo post discesserint, ita illis tamen imminebant, ut non ea certe felicitate fruerentur, quam eo loco exaggerat Procopius. Anno vero eiusdem Imp. XXV. (3), hoc est Christi DCXXXIV. vel XXXV. Mahumedani, Aegypto in servitutem redacta, Alexandriam ipsam expugnarunt, sub quorum tyrannide adhuc perstat. Itaque Procopius ante Heraclii annum VI. vel saltem ante annum XXV. scripsisse necesse est; quae profecto etiam bollandiani Sollerii (4) sententia est; licet in historia patriarcharum alexandrinorum (5) captam Alexandriam putet a Saracenis anno Christi DCXL., quae certe levis est discrepantia. Hoc posito, audi quid de occidentali Marci apostolatu hic idem Procopius tradat, Marcum ipsum compellans: *His*, inquit (6), *artibus exercituum duces captivos duxisti; his unica indutus tunica errorem expugnasti; his cum Petro, o Petri fili, Italorum genus subegisti, ab oriente in occidentem solem transvolans, ac ubique praedicationem diffundens etc.* Tum paucis interiectis (7): *Postquam autem misericordem*

---

(1) Apud Bolland. ad diem XXV. April. et in append., tum apud Possinum Caten. in Marc. init. — (2) Cedren. ad ann. VI. Heraclii, Theophan. ad annum eundem. — (3) Chron. Orient. in Patriarch. Alex. n. XXXVIII. Cedren. Theoph. etc. ad ann. Heraclii XXV. — (4) In comm. praevio ad Act. S. Marci ad diem XXV. April. — (5) Apud Bolland. tom. V. Iunii cap. V. — (6) Num. 4. Τούτοις γὰρ ἐζώγρησας τοὺς στρατηγοῦντας ὁ ἰδιώτης· τούτοις ἐπολιόρκησας τὴν πλάνην ὁ μονοχίτων· τούτοις μετὰ τοῦ Πέτρου, ὁ τοῦ Πέτρου υἱός, τῶν Ἰταλῶν ἐχειρώσω γένος, ἐξ ἑώας μὲν ἀφορμήσας, πρὸς δυόμενον δὲ καταπτὰς ἥλιον κ. τ. λ. — (7) Num. 6. Ἐπεὶ οὖν εὐσπλάγχνου Θεοῦ παρουσίαν εὔσπλαγχνον ἀνεκήρυξεν, καὶ γλώσσῃ Θεολόγῳ ἄλλους τε πλείους καὶ Ἰταλιώτας πρὸς τὴν ἐπίγνωσιν εἵλκυσε κ. τ. λ.

misericordis Dei adventum annuntiavit, et lingua Deo plena et multos alios et Italos ad veritatis notitiam attraxit etc. Iterum paullo post (1): *Convertit igitur ad Christum Apostolus Occidentis plagas; explicans Dei hominem amantis exinanitionem, docensque unum tantum Deum venerandum esse atque adorandum. Nec a multis his sudoribus quievit, nec adhuc apostolicum aratrum trahere cessavit etc.* Qua de causa illum paullo post appellat (2) *μαθητὴν θεοφάντορα τὴν γῆν ἐκπεριποστήσαντα ἅπασαν, discipulum divinum universum orbem lustrantem.* Pari modo Gregorius nazianzenus praeterquamquod in iis carminibus, quae superius attulimus (3), docet Marcum Ἰταλίῃ et Αὐσονίοισιν *Italiae* et *Ausoniis* Evangelium scripsisse, quod de loco scripti Evangelii intelligendum esse docuimus, iterum de eodem Marco meminit in homilia quadam adversus Arianos (4), ubi iis respondens, qui ipsum reiiciebant, utpote qui, alienigena cum esset, constantinopolitanum episcopatum accepisset, Apostolorum profert exemplum, qui extraneis prorsus gentibus, sibique pene ignotis Evangelii lucem attulere: *Sit sane,* inquit, *Petri patria Iudaea. At quid Paulo commune cum gentibus? quid Lucae cum Achaia? quid Andreae cum Epiro, Ioanni cum Epheso, Thomae cum India, Marco cum Italia?* Haec illi, quorum verba perpende. Ait uterque, Evangelium a Marco *Italiae* allatum fuisse: et Gregorius quidem Marcum Petro, Paulo, Lucae, Andreae, Ioanni et Thomae aequiparat; ac quemadmodum illi Iudaeis et gentibus ad Christum adducendis, vel Achaiae, Epiro, Asiae et Indiae illuminandis insudarunt, ita Marcum *Italiae* convertendae adlaborasse. Procopius vero eos dicendi modos usurpat, qui magnae alicuius atque eximiae praedicationis speciem exhibeant. Nam *Italos* ab ipso *subactos et ad veritatis notitiam adductos* fuisse dicit, et *occidentales plagas ad Christum conversas* praedicat et *sudores ingentes* ab eo *profusos* commemorat, et alia huiusmodi. Haec certe ad interpretis officium, Petro dum in Italia versaretur exhibitum, referre ineptum esset: neque enim Italorum conversio Marco tribui potuisset, si nihil praeterea Petro nisi ministerium illud praestitisset: nam quae ut interpres fecisset, ea non illi sed Petro essent adscribenda. Quapropter fatendum erit, peculiarem quandam in Italia provinciam fuisse Marco commissam, quam ipse ad Christi fidem adduxerit; siquidem tot illis a Procopio praeconiis dignus habitus est. At quae et quanta illa esse debuit, ut eius fama in Aegyptum, et Graeciam usque perveniret, ita ut Nazianzenus, alexandrina Marci missione tam celebri atque certissima praetermissa, italicam tantum commemorandam esse putaverit? Qui etiam eo modo loquitur, ut ex ipso dicendi modo constet, ea quae de Marco refert et pervulgata tunc temporis et certa et explorata fuisse. Ex quo sequitur non posse dubitari ullo modo, Marcum, praeter interpretis officium,

---

(1) Num. 8. Ἐπέστρεψε μὲν οὖν εἰς Χριστὸν ὁ Ἀπόστολος Ἑσπερίαν, μυσταγωγήσας τὴν φιλάνθρωπον συγκατάβασιν, διδάξας θεὸν μόνον σέβειν, καὶ προσκυνεῖν. Καὶ τῶν πολλῶν ἐκείνων ἱδρώτων οὐ μὲν οὖν ἔληξεν, οὐκ ἐνάρκησε τῆς ἀποστολῆς ἕλκων τὸ ἄροτρον κ. τ. λ. — (2) Num. 9. — (3) Supr. cap. IX. n. III. — (4) Orat. XXV. pag. 438. Ἔστω Πέτρου ἡ Ἰουδαία, τί Παύλῳ κοινὸν πρὸς τὰ ἔθνη, Λουκᾷ πρὸς Ἀχαΐαν, Ἀνδρέᾳ πρὸς τὸν Ἤπειρον, Ἰωάννῃ πρὸς Ἔφεσον, Θωμᾷ πρὸς Ἰνδικήν, Μάρκῳ πρὸς Ἰταλίαν;

quo Romae functus est, apostolicum etiam munus in Italia gessisse; idque non obiter, sed satis longo temporis spatio, illustri loco, ac fructu prorsus uberrimo.

IX. Haec vero cum ita se habeant, singulas Italiae provincias, urbes singulas perlustremus; ac quaenam sint, quae se a Marco illuminatas ferant, investigemus. Interroga singulas, sciscitare, scrutare: silent omnes; si unam Aquileiam excipias, nulla est, quae Marcum fidei et religionis suae iactet auctorem. Id vero cuiusmodi est? Adeo ne rerum nostrarum aut inscii sumus, aut immemores, ut cum italicae Marci missionis viva adhuc apud Graecos et Aegyptios fama perduret, nos originum nostrarum turpiter obliti, ubi praedicaverit Marcus, imo utrum alicubi apud nos aliquando praedicaverit, omnino ignoremus? Nam quod aiunt, Marcum, dum in Italiam cum S. Petro navigaret, naufragium prope Tarenti littus fecisse, ibidemque aliquot dies commoratum, Evangelium disseminasse, constituisse Ecclesiam, et Amasianum quendam episcopum Tarentinorum ordinasse; id nec certo ullo fundamento nititur, nec constanti aliqua traditione (1): et licet etiam certissime constaret, non tamen diuturnum illum et late patentem S. Marci in Italia apostolatum exhiberet, quem et Nazianzenus commemorat, et tam magnifice Procopius extollit; praesertim cum, qui tarentinam historiam scripsere, eius urbis conversionem S. Petro magis tribuant quam S. Marco, qui tunc non apostoli, sed interpretis tantum munere fungebatur. Praetermissa igitur tarentina traditione, quae Ecclesia superest, quae sibi Marcum fundatorem adsciscat? Atqui, inquies, vetera monumenta periere. Perierint per me licet: at ne fama quidem, et auditione id Itali acceperimus? Et cum nulla fere urbium nostrarum sit, quae primi conditoris sui nomen ignoret, licet multis saeculis Evangelium praecesserit; qui primi Evangelii lucem nobis attulerunt, eos omnino nesciamus? Atqui haud nescimus: tantumque abest, ut primos christianae fidei apud nos auctores oblivioni Itali tradiderimus, ut potius difficillimum sit urbium nostrarum aliquam reperire, dummodo ex minimis illa non sit, quae non ab ipso religionis exordio suorum antistitum ordinem teneat: ac eorum, qui primi christianae sibi fidei lumen attulere, et nomina et acta non probe noscat, ac in caelos receptos non inter primos etiam patronos atque sospites divos recenseat. Hinc Euprepium Verona (2), Patavium Prosdocimum, Apollinarem Ravenna, Asprem Neapolis, Capua Priscum, Sicilia Philippum, Berillum, Marcianum et Pancratium ostentat, et aliae alios. At quae Marcum evangelistam commemorent *Italiae*, Nazianzeno et Procopio testibus, *Apostolum, quique multos apud Italos sudores* profudit, praeter Aquileiam, nulla est. Nunc itaque prudentem et minime litigiosum lectorem interrogabo. Est ne cur adhuc de hac aquileiensi traditione dubitemus? At tu qui dubitas, profer mihi urbem aliam, modo alicuius nominis sit, quam Marcus ad Christum adduxerit. Profers ne Tarentum? at non a Marco, sed a Petro se conversam aiunt Tarentini, quamvis magistro suo Marcus etiam adesset. At si nullam profers

(1) Vide Baronium ad ann. XLVI. n. II. — (2) Vide vitam S. Cataldi editam Neapoli ann. 1779. tom. 2. in 12mo, et auctores in praefat. ibi citatos.

praeterea, quid est aliud aquileiense Marci iter negare, quam italicum eius apostolatum, Nazianzeni et Procopii testimonio licet roboratum, omnino tollere? At, inquies, nihil profert aquileiensis Ecclesia, quod saeculo Christi VIII. antiquius sit. Equidem do. At ea profert tamen, quae traditionem illam VII. imo etiam VI. saeculo viguisse demonstrent. Quid plura quaeris? In tanta veterum monumentorum clade, quantam Venetia, Histria, Forumiulium, Carnia, irruentibus identidem barbarorum turmis, easque prae ceteris Italiae provinciis ferro et igne vastantibus, passae sunt, in tanta posteriorum saeculorum barbarie, in tantis aquileiensis et gradensis antistitum dissidiis, sacrae supellectilis vicibus, illam sibi modo gradensi, modo aquileiensi vindicante, ac armorum vi invicem extorquentibus, quid mirum antiquiora saeculo VI. earum Ecclesiarum monumenta intercidisse? At ubi animadverteris, qui de Marco Aquileiae praedicante scripsere, id ex his ipsis monumentis, quae tunc adhuc extabant, deduxisse, eosque quasi de re certa, nec ulli ignota locutos fuisse; quae vero de italica Marci missione Gregorius et Procopius tradidere, huic sententiae mirifice suffragari; quid porro esse poterit, cur illam cum Bailleto et Tillemontio inter sequioris aetatis fabulas amandandam esse arbitreris?

X. Id vero ne facias, et alia multa sunt, quae prohibeant. Movet me in primis ipsum *Italiae* nomen a Procopio et Gregorio usurpatum, movet etiam ipsa urbis dignitas atque praestantia, situs etiam atque conditio, unde tam facilis in Noricum, in Daciam universamque Germaniam atque Scythiam transitus esset; tum maritimo itinere in Illyricos etiam, Histros, Dalmatas et Pannonios. Et profecto, licet *Italiae* nomen, Nazianzeni tempore, de universa illa regione, quam nunc etiam *Italiam* dicimus, aliquando fortasse usurparetur, tamen ut plurimum nonnisi superioribus Italiae provinciis indicandis adhiberi consuevit; quod plurimis eius aetatis, imo subsecutae etiam, monumentis ostendi potest. Cum enim Constantinus Aug., Zosimo teste (1), novam provinciarum distributionem molitus esset, universum romanum orbem quattuor praefectis praetorio subiecit, scilicet praefecto praet. Orientis, praef. praet. Illyrici, praef. praet. Italiae, praef. praet. Galliarum. Ac praefecto praetorio Italiae (2) tres dioeceses addixit, Italiam, Africam, Illyricum occidentale. Porro Italiam universam vicarii duo praefecto praet. subiecti administrabant, quorum alter urbis Romae vicarius, alter Italiae dicebatur. Huic provinciae VII. parebant I. Venetiae et Histria, II. Aemilia, III. Liguria, IV. Flaminia et Picenum annonarium, V. Alpes Cottiae, VI. Rhetia prima, VII. Rhetia secunda: alteri vero provinciae X. nempe I. Africa proconsularis, II. Campania, III. Thuscia, IV. Picenum suburbicarium, V. Apulia et Calabria, VI. Brutii, VII. Samnium, VIII. Sardinia, IX. Corsica, X. Valeria: siquidem in XVII. provincias Italia tota dividebatur. Itaque post Constantinum *Italiae* nomen, quod olim universas illas provincias complectebatur, ad VII. illas tantum priores, quae vicario Italiae suberant, coar-

(1) Lib. II. cap. XXXII. — (2) Vide Pag. ad annum Christi XXXVII., Pancirol. not. imp. occid. cap. II.

ctari coepit; quod non iis tantum rebus, quae ad imperii administrationem pertinebant, verum et communi sermone fieri consuevit, qui mos ad VIII. usque saeculi exitum et Gallorum in Italiam imperium perduravit (1). Cuius rei cum innumera fere suppetant testimonia, iuverit tamen selecta quaedam tantum ex probatissimis auctoribus afferre, ne id nos ex nostro cerebro finxisse quisquam existimet. Ordiar autem a subscriptionibus episcoporum in conciliis, in quibus *Italiae provincia* a ceteris omnino veteris Italiae provinciis distinguitur. Sic in concilio arelatensi anni CCCXIV. in causa Donatistarum, Constantini augusti iussu congregati (2), has inter ceteras legere est:

Chrestus episcopus, Florus diaconus ex civitate Siracusanorum, provincia Sicilia.

Proterius episcopus, Agrippa et Pinus diacones de civitate Capuensium, provincia Campania.

Pardus episcopus, Crescens diaconus de civitate Arpiensium, provincia Apulia.

Claudianus et Vitus presbyteri, Eugenius et Cyriacus diacones ex urbe Roma, missi a Silvestro episcopo.

Merocles episcopus, Severus diaconus, de civitate mediolanensi, provincia Italia.

Quintasius episcopus, Ammonius presbyter de civitate Caralis, provincia Sardinia.

Pari modo inter ceteros, qui synodo sardicensi (3) subscripserunt, hi leguntur:

Maximus a Thuscia, de Luca.
Lucius ab Italia, de Verona.
Fortunatianus ab Italia, de Aquileia.
Stercorius ab Apulia, de Canusio.
Severus ab Italia, de Ravenna.
Ursacius ab Italia, de Brixia.
Protasius ab Italia, de Mediolano.

Quod iterum, tum in subscriptionibus ad synodicam eiusdem concilii epistolam ad Iulium R. P. videre est, tum in salutatione ab eadem synodo praemissa epistolae alteri synodicae *ad presbyteros, diaconos totamque Ecclesiam alexandrinam,* quam apud Athanasium (4) legere est. Libellus quoque synodicus (5), de aquileiensi synodo anni CCCLXXXI. loquens, cui praefuit Ambrosius, eamque ad oecumenici concilii auctoritatem proxime accedere dicens, hanc potissimum eius rei rationem reddit (6): *Romani enim, et qui Galliam Hispanicam,*

---

(1) Vide Mansi dissert. de Concil. Lateran. sub Steph. Pp. III. cap. I. n. XVI. in addit. ad Labbean. Concil. edit. ven. tom. I. — (2) Vide Aug. de Baptismo contra Donat. lib. II. cap. IX. — (3) Anni CCCXLVII. — (4) Apol. contra Arian. n. 37. — (5) Collect. Concil. Venet. anni 1728. tom. II. pag. 1183. — (6) Ῥωμαίων γὰρ καὶ οἱ τῆς Ἱσπανικῆς Γαλλίας τῆς αἱρετικῆς λύμης ὑπῆρχον ἀλώβητοι. Σπανογαλλίας, Ἰταλίας, Καμπανίας, Δαλματίας, Σαρδινίας, Ἀχαΐας, ὅσοι τῶν Ἑσπερίων τῇ Γρατιανοῦ βασιλείᾳ ὑπέκειντο.

item Spanogalliam, Italiam, Campaniam, Dalmatiam, Calabriam, Sardiniam, Achaiam incolebant, et quicumque Occidentales Gratiani imperio suberant, ab haeretica illa lue erant immunes. Vides in omnibus hisce conciliis *Italiam* a *Thuscia, Apulia, Campania* ceterisque antiquae Italiae provinciis distingui: ac illos tantum episcopos sese *italicos* nuncupare, qui vicario Italiae subessent, mediolanensem puta, veronensem, aquileiensem, brixiensem, ravennatem: alios vero non item. Hinc idem Ambrosius, concilii cuiusdam ex provinciis illis congregati nomine, Theodosio augusto scribens, utrique epistolae salutationem hanc praemittit (1): *Beatissimo Imperatori et clementissimo principi Theodosio Ambrosius et ceteri episcopi Italiae.* Italiam intellige ita post Constantinum vocatam: nam veteris Italiae concilio non iam mediolanensis episcopus, sed romanus pontifex praefuisset. Ideo autem italico concilio praefuit Ambrosius, quia Mediolanum Italiae metropolis tunc temporis habebatur (2).

XI. Idem etiam ex celeberrimis eius aetatis scriptoribus colligi potest: usos nempe illos *Italiae* nomine, ut eas tantum regiones, quas deinceps Longobardi tenuere, significarent. Sic Hieronymus (3) refert: *Cornelium romanae urbis episcopum.... scripsisse epistolam ad Fabium antiochenae Ecclesiae episcopum de synodo romana, italica, africana:* quae verba mutuatus est ab Eusebio (4) pari modo inter romanam et italicam synodum distinguente. Quin et in additionibus ad Eusebii chronicon (5) narrat idem Hieronymus: *Post Auxentii seram mortem, Mediolani Ambrosio episcopo constituto, omnem ad rectam fidem Italiam conversam fuisse:* Italiam nempe constantinianam: nam ceteras provincias ad meridiem sitas vix arianum virus infecerat: quo sensu Ambrosius etiam accipiendus, ubi ait (6): *Italiae populum per arianae saevitatis incendia coctum fuisse:* tum etiam, qui sub Ambrosii nomine circumfertur, auctor epistolae (7) de inventione corporum SS. MM. Vitalis et Agricolae, quam *episcopis et universis plebibus per Italiam* inscribit, martyresque dicit passos fuisse *in civitate Bononiae, provinciae Italiae.* Nec alia apud Theodoretum (8) loquendi ratio, qui tradit, Arianos Constantio imp. persuasisse, *ut Mediolani, quae civitas est Italiae, synodum congregaret,* ubi Italiae nomine Longobardiam intelligit, ut ex Athanasii verbis, quae statim subiicit, nosque inferius producemus, videre est. Adde scriptorem anonymum vitae S. Ambrosii referentem (9): *Ambrosium a piis imper. Constantino et Constante, τῶν Ἰταλῶν ἡγεμονίαν, Italiae praefecturam obtinuisse;* cum tamen diserte tradat (10) Paulinus, *venisse illum Mediolanum proconsulari potestate, ut regeret Liguriam Aemiliamque provinciam.* Adde Palladium helenopolitanum episcopum (11), qui *Chromatium aquileiensem et Venerium*

---

(1) Ibid. pag. 1192. 1193. — (2) Theodoret. Hist. Eccl. lib. II. cap. XV. Athanas. Apol. de fuga sua n. IV. et in Epist. sive Hist. ad Monachos. n. XXXIII. — (3) De Viris illustr. cap. LXVI. — (4) Hist. Eccl. lib. VI. cap. XLIII. sive XXXV. — (5) Ad ann. IV. Olympiadis CCLXXXVIII. — (6) In Lucam lib. IX. n. 32. — (7) Oper. S. Ambr. edit. Maurin. tom. IV. app. Epist. IV. olim. inter Ambrosianas LV. — (8) Theodoret. l. c.... εἰς Μεδιόλανον, πόλις δὲ αὕτη τῆς Ἰταλίας. — (9) Edit. Maurin. Op. S. Ambr. tom. IV. in append. n. 3. — (10) In vita S. Ambrosii n. 5. — (11) In Dial. de vita S. Ioan. Chrysost. pag. 13. edit. venet.

mediolanensem ἰταλοῦς ἐπισκόπους *italos episcopos* vocat, et ab Innocentio, ceterisque distinguit: adde Symmachum, qui in epistola ad Patruvinum (1) *Ursos sibi ex Italia* Romam deferendos ad muneris editionem, illi (Bononiae fortasse commoranti) commendat, qua dicendi ratione Romam extra Italiam collocare videtur: adde Vigilium thapsensem libro V. contra Eutychem, qui ait, in synodo sardicensi sedisse episcopos *ex urbe Roma, Italia, Campania, Calabria, Sardinia etc.*: adde Ammianum Marcellinum (2) *Italiae* nomen eodem sensu usurpantem: adde demum theodosiani codicis loca satis multa (3), ubi inter *Italiam* ceterasque provincias distinguitur: adde hos omnes, et statim intelliges, saeculo IV. *Italiae* nomen hoc sensu passim fuisse usurpatum. Iuvat, rei adhuc validius confirmandae gratia, nonnulla etiam ex Athanasio exhibere. Siquidem S. Pater in *Apologia contra Arianos* (4) episcopos illos enumerans, qui causae suae patrocinati fuerant, eorum provincias ita recenset: *Quae pro nobis decreta sunt, iis plus quam CCC. episcopi subscripsere, ex provinciis Aegypti, Lybiae, Pentapoleos, Palaestinae, Arabiae, Isauriae, Cypri, Pamphiliae, Lyciae, Galatiae, Daciae, Mysiae, Thraciae, Dardaniae, Macedoniae, Epiri, Thessaliae, Achaiae, Cretae, Dalmatiae, Sisciae* (5), *Pannoniae, Norici, Italiae, Piceni, Thusciae, Campaniae, Calabriae, Apuliae, Bruttii, Siciliae, Africae totius, Sardiniae, Hispaniarum, Galliarum, Britanniarum.* Duo in hoc Athanasii textu animadverte: primum, *Italiam* a *Piceno, Thuscia, Campania etc.* omnino distingui; secundum, eo loco poni, ubi nullum dubium oriri possit, ipsum de Italia constantiniana esse locutum. Cum enim romani imperii provincias certa methodo, veluti ex tabula geographica Athanasius recenseat, ac ex suo patriarchatu in Asiam profectus, ex Asia in Graeciam, ex Graecia in Pannoniam, ex Pannonia in Italiam, ex Italia in Africam, ex Africa in Hispaniam, Galliam, Britanniam, singulas eo ordine commemorat, quo se illae huiusmodi iter agenti obtulissent; recte *Italiam* inter *Noricum* et *Picenum* collocat, cum constantiniana Italia et Norico ad septentrionem et Piceno ad meridiem concluderetur; quod cuilibet antiquae geographiae tabulas lustranti primo intuitu patebit: ita ut nemini dubium esse possit, Athanasium hoc loco de *Italia mediterranea*, sive *circumpadana* esse locutum. Id ipsum et ex inscriptione epistolae synodicae concilii sardicensis deprehenditur, quam huic ipsi apologiae Athanasius inseruit (6), ubi eaedem provinciae, alio licet ordine, recensentur; tum ex altera eiusdem Athanasii *Apologia de fuga sua* (7), ubi, inter cetera Arianorum facinora, expulsos ab illis episcopos catholicos, ac in exilium actos exprobrat *Liberium romanum episcopum, Paullinum Galliarum metropolis* h. e. Trevirorum *episcopum, Luciferum insularum Sardiniae metropolis* h. e. Carali *episcopum, Eusebium in Italia*, scilicet vercellensem *episcopum:* atque id adhuc apertius in *epistola* sive *historia Arianorum ad monachos* idem sanctus Doctor inculcat. Quod cum ille tam saepe faciat, iam constat, id per ea tempora usu et consuetudine, vel ad ipsos

(1) Epist. lib. VII. epist. CXXI. Vide etiam Cassiodor. lib. XII. epist. IV. — (2) Lib. XXVII. cap. VI. — (3) Valentin. lib. IX. *De annona et tributis.* Grat. I. unica: *Si per obreptionem* etc. — (4) Num. I. — (5) Vide Notit. Imper. Occident. n. XLII. — (6) Num. XXXVII. — (7) Num. IV.

Aegyptios propagata, obtinuisse, ut *Italiae* nomine non iam Italia tota, quemadmodum sub Augusto, sed sola Italia superior, sive circumpadana acciperetur, cuius provincia ex Constantini M. decreto Venetia erat, Venetiae vero caput Aquileia. Sed nihil est quod melius ostendat, quid saeculo Christi IV. et subsecutis temporibus *Italiae* nomine intelligeretur, quam Iuliani imp. *τοῦ παραβάτου* locus quidam ex oratione II. ad Constantium; qui quidem Iulianus non modo Nazianzeni coaevus fuit, verum etiam a condiscipulatu, quantum in tanta morum dissimilitudine licuit, familiaris ac necessarius. Is itaque, de Aquileia urbe loquens, ita habet (1): *Ad Alpium radices sita est. Montes hi porro sunt varii et diversi,..... ac ab eo mari incipiunt, quod Ionium vocamus.* Appellat imperator *Ionium mare*, quod alii *adriaticum*, nos *venetum sinum* nuncupamus. Subdit deinde. *Inde Italiam ab Illyrico et Gallia dividentes, desinunt in Tyrrhenum mare. Romani siquidem postquam totam illam regionem occupassent, ubi et veneta gens, et Ligurum nonnulli degunt, et ex aliis Gallis bene multi, haud illos antiquas appellationes servare singillatim prohibuerunt: attamen in communi Italorum nomen assumere voluerunt. Et nunc quidquid intra Alpes, Ionium, et Tyrrhenum incolitur, hoc nomine nuncupatur.* Et paucis interiectis: *Italia*, inquit, *ex omni parte praeruptis montibus cincta* est, *tum mari paludoso, utpote quod innumeri fluvii in ipsum erumpentes, Aegyptiis paludibus simile efficiant, etc.* Haec Iulianus, quae et in priori ad eundem Constantium oratione (2) totidem fere verbis inculcat. Atqui constat ex hoc loco, quid tunc temporis veniret *Italiae* nomine: nec iam illam, quam nunc *Italiam* vocamus, fuisse hac appellatione significatam, sed eam tantum eius partem, quae Alpibus, Tyrrheno et Adriatico continetur. Quin imo acute animadvertit post Mapphaeium Io. Bernardus de Rubeis (3), *Italiae* nomen de sola Venetiae provincia usurpatum nonnunquam fuisse, idque ex ipsa *utriusque imperii notitia* deducit (4), ubi *praepositus thesaurorum per Italiam Aquileiae* commorans, a *praeposito thesaurorum mediolanensium Liguriae* distinguitur; et Franciscus Florius ostendit (5), ipso Christi saeculo VIII. Venetiam *Hesperiae* nomine appellatam a nonnullis fuisse.

XII. Verum quorsum haec? nempe ut intelligatur, Nazianzenum et Procopium, cum Marcum in *Italiam* Evangelium disseminasse tradiderunt, pro recepto aetatis suae more locutos fuisse, ac Italiam vocasse, quam Constantinus Caesar vicario Italiae subiecit, cuius provincia Venetia. Id vero ut credatur, tum ea omnia faciunt, quae hucusque commemorata sunt, tum ille etiam Graecorum mos, qui licet veterem Italiam nonnumquam etiam *Ἰταλίαν* appellaverint, tamen *Ἑσπερίαν*, *Hesperiam*, ut plurimum vocare consueverunt, qua voce usus esset Nazianzenus, siquidem Italiam latiore sensu accepisset: quod tamen argumentum haud tanti facio, ut de ipso certare velim. At non illud aeque contempserim, quod ex ipsius aquileiensis urbis dignitate et situ deducitur; quod ipsum quale sit breviter est demonstrandum. Quae et quanta urbs illa

(1) Edit. Petav. anni 1630. pag. 133. — (2) Ibid. pag. 71. — (3) Mon. Eccl. Aquilei. cap. I. — (4) Num XLII. — (5) Dello stato d'Aquileia da Carlo M. sino al secolo IX. inter oper. posthuma edita Romae 1816. pag. 88.

olim fuerit, quam late divitiis, commerciis, hominum multitudine et advenarum frequentia floruerit, ut eos praetermittam qui vel medio aevo (1) vel postrema aetate (2) scripsere, ex antiquissimis etiam monumentis deducitur. Nam et saepissime romanos imperatores illic morari consuevisse, ex plurimis ab iisdem datis in ea urbe legibus (3) constat, imo exortas inter Herodem eiusque filios controversias Augustum Aquileiae diremisse tradit Iosephus (4): et praepositum thesaurorum per Italiam, procuratorem monetae, procuratorem gynaecii, aliosque imperii proceres ibidem consedisse, ipsa *imperii notitia* (5) docet; et verissime ipsam ab imp. Iustiniano (6) *τῶν ἐπὶ τῆς ἑσπέρας μεγίστην maximam occidentalium urbium* vocatam fuisse, ex tabula peutingeriana saeculi IV. deprehenditur, ubi cum Roma, Constantinopolis et Antiochia maiori specie pingantur in formam matronarum sedentium, unica post illas est Aquileia, quae ceteris maior et mole et specie exhibeatur, turritis moenibus castellisque munita; quod profecto illud comprobare videtur, quod a Leandro Alberto proditum est (7), ipsam *alteram Romam* appellari consuevisse. Certe munitissimam expertus est Attilas Hunnorum rex, qui nonnisi post triennalem obsidionem expugnare illam potuit (8), idemque duobus fere ante Attilam saeculis Maximianus expertus fuerat, qui illa, antiquis licet caducisque moenibus tantum munita, teste Herodiano (9), non modo potiri nequaquam potuit, verum etiam a militibus longa obsidione, rerumque omnium inopia defatigatis ac repente tumultuantibus, imperio et vita spoliatus est. Iuvat, quid de urbe illa idem Herodianus tradat, ex versione Aug. Politiani, repraesentare (10): *Sed Aquileia,* inquit, *prius quoque (ut erat ingens urbis eius magnitudo) populo abundabat, et velut Italiae quoddam emporium ad mare sita, quasique terminus Illyriae copiam rerum e continenti per terram fluviosque convectam navigantibus suggerebat: et ab ipso mari res ad usum eorum, qui continentem colunt, necessarias, videlicet superioribus terris, propter hyemis asperitatem minus feracibus: maxime tamen vinum, cuius in ipsa regione maximus proventus est, vicinis gentibus, ne vitem quidem habentibus, affatim suppeditabat. Ex quo factum, ut super civium ingentem numerum etiam magna vis hospitum et mercatorum eam urbem frequentaret.* Haec Herodianus; quae aquileiensis urbis magnitudinem et opulentiam ostendunt. Nec

---

(1) Vide Acta S. Hermagorae ad diem XII. Iulii apud Bolland., S. Paulin. Aquilei. hymn. in S. Marc., Petr. Damian. serm. XV. — (2) Vid. Sabellic. de vetust. Aquileiae. Ughell. Ital. Sac. de Patr. Aquil. tom. V. init., De-Rubeis Monum. Aquil. cap. I. — (3) L. 17. C. Theod. de Annon. et Tribut. L. 6. C. de decur. L. 3. C. de Malefic. L. 10. et 12. C. de Murileg. L. penult. C. de dilat. L. I. Cod. qui dar. tut. poss. etc. — (4) Antiq. lib. XVI. cap. VII. Vide Sveton. in Augusto n. 20. — (5) Num. XLII. — (6) Apud de Rubeis Monum. Aquilei. cap. I. — (7) In descr. Ital. — (8) Procop. de Bello Vand. lib. I. cap. IV. Iornand. cap. XLII. — (9) Lib. VIII. cap. II. et seqq. — (10) Herod. loc. cit. Ἡ δὲ Ἀκυληΐα καὶ πρότερον μὲν (ἅτε μεγίστη πόλις) ἰδίου δήμου πολυάνθρωπος ἦν, καὶ ὥσπερ τι ἐμπόριον Ἰταλίας, ἐπὶ θαλάττῃ προκειμένη καὶ πρὸ τῶν Ἰλλυρικῶν ἐθνῶν πάντων ἱδρυμένη, τά τε ἀπὸ τῆς ἠπείρου διὰ γῆς, ἢ ποταμῶν κατακομιζόμενα παρεῖχεν ἐμπορεύεσθαι τοῖς πλέουσι, τά τε ἀπὸ θαλάττης τοῖς ἠπειρώταις ἀναγκαῖα· ἐν ᾗ παρ' ἐκείνοις χώρα διὰ χειμῶνος οὐκ ἦν εὔφορος ἀνέπεμπεν εἰς τὴν ἄνω γῆν· πρὸς οἶνον τε μάλιστα πολύγονον χώραν γεωργοῦντες, ἀφθονίαν ποτοῦ παρεῖχον τοῖς ἀμπέλον μὴ γεωργοῦσιν. Ἔνθεν πολύ τι πλῆθος ἐπεδήμει, οὐ πολιτῶν μόνον, ἀλλὰ ξένων τε, καὶ ἐμπόρων. κ. τ. λ.

alia habent aut Procopius (1), qui illam vocat *ingentem urbem maximeque populosam*, aut Ammianus Marcellinus (2), qui illam dicit *urbem situ et opibus murisque circumdatam validis*, aut auctor Chronici Paschalis, qui illam inter celebriores Italiae urbes recenset (3), aut Ausonius (4), qui eandem inter XIV. romani imperii civitates enumerat, aut Iulianus Caesar (5), qui illam appellat: *Emporium Italiae opulentum sane et copiosum, ad mare situm; unde Maesi, Pannonii et Itali, qui mediterranea incolunt, merces avehunt:* aut demum (ut ceteris geographi etiam accedant) Pomponius Mela et Strabo: quorum ille quidem, uno verbo omnia complexus, *ditem Aquileiam* (6) appellat; hic vero (7) eadem fere, quae Herodianus, de ipsa commemorat. Haec porro et tanta Aquileia cum esset, ita ut quarta fere rom. imperii civitas post Romam, Antiochiam et Alexandriam haberi possit, quis unquam putet ab Apostolis praetermissam, qui tamen, Eusebio teste (8): *Ecclesias satis amplas et multas, non obscuris in locis et despectis, sed in praestantissimis civitatibus, in ipsa Roma orbis regina, Alexandriae, Antiochiae, per Aegyptum et Lybiam universam, per Europam et Asiam, in vicis, agris et gentibus universis* constituerant? Quis putet, ad urbem italicarum omnium secundam Romam, opulentissimam, inferioris ordinis ac quasi gregarium Apostolum a Petro missum fuisse, non qui et dignitati urbis, et messis inde colligendae amplitudini responderet? praesertim cum, ut optime animadvertit in laudata (9) dissertatione Sebastianus Braida, continens inter Romanos et Aquileienses commercium intercederet, utramque urbem via Flaminia iungente: Aquileia vero Germaniae, Illyridis et Pannoniae faucibus obiecta, aditum late patentem ad Evangelium in omnes illas gentes disseminandum aperiret? *Quod si,* inquit laudatus auctor, *vel ipso Bailletto fatente, S. Marcus in Italia, extra Romam tamen, Evangelio disseminando insudavit, ubinam tandem id ille perfecisse dicendus erit? Non ibi profecto, ubi nulla marcianae praedicationis memoria superest; sed ibi prorsus, ubi id ab illo factum fuisse antiquissima et perpetua traditione proditum est; cui traditioni cum et Comenses, et Bellunenses, et Targestini, et Salisburgenses, et Patavionenses, et Boiaria, et Germania universa cis Danubium posita suffragetur, Aquileiae scilicet; quod vel ipso saeculo Christi XII. antiochenus quidam patriarcha fateri coactus est.* Haec ille, qui tamen, quod de antiocheno hoc antistite memorat, unde hauserit, prorsus ignoro.

XIII. Quae cum ita se habeant, iam mihi aquileiensis S. Marci apostolatus satis ostensus, ac in tuto positus esse videtur. Superest coronidis loco, ut quae ab adversariis ad traditionem hanc evertendam afferri solent, breviter diluamus.

---

(1) De Bello Vand. lib. I. cap. IV. Ἀκυλήϊαν μεγάλην τε καὶ ἀτεχνῶς πολυάνθρωπον. — (2) Lib. XXI. n. 8. — (3) Edit. Venet. pag. 29. Paris. pag. 35. — (4) De Ord. urbium nobil. n. IX. — (5) Orat. II. in Constant. pag. 132. edit. Paris. anno 1630. Vid. etiam Orat. I. pag. 70. — (6) Lib. II. cap. IV. — (7) Lib. V. pag. 206. edit. basileensis g.-l. an. 1549. — (8) Demonstr. Evang. lib. III. sub fin. pag. 138. edit. colon. συνέστησαν μυρίανδροι Ἐκκλησίαι πρὸς αὐτῶν ἐκείνων τῶν εὐτελεστάτων, καὶ ἀγροίκων τοῦ Ἰησοῦ μαθητῶν, οὐκ ἐν ἀδήλοις που, καὶ ἀφανέσι τόποις· ἀλλ' ἐν ταῖς μάλιστα διαπρεπεστάταις πόλεσιν ἱδρυθεῖσαι· ἐπ' αὐτῆς λέγω τῆς Ῥωμαίων βασιλευούσης, ἐπί τε τῆς Ἀλεξανδρέων, καὶ Ἀντιοχέων, καθ' ὅλης τε τῆς Αἰγύπτου, καὶ Λιβύης, Εὐρώπης τε, καὶ Ἀσίας, ἔν τε κώμαις τε, καὶ χώραις, καὶ παντοίοις ἔθνεσιν κ. τ. λ. — (9) Supr. n. I.

Aiunt primum, acta S. Marci, et SS. Hermagorae et Fortunati, unde praecipue aquileiensis haec missio deducitur, aut recentissima esse, aut saltem falsata, ac proinde nihil ex illis confici posse. Huic difficultati occurrit eruditissime Io. Bern. de Rubeis (1); eaque acta, licet in aliquibus interpolata non neget, antiqua tamen tuetur. At in hac controversia nihil ad nos, qui in asserendo Marci apostolatu actis illis aut vix, aut ne vix quidem usi sumus. Aiunt deinde, subductis temporum rationibus, annum aquileiensis huius missionis se reperire non posse. At praeterquamquod Marci res gestae ita sunt apud veteres permixtae atque intricatae, ut illas ad certam chronologiam exigere non operosum modo, sed ἀδύνατον (2) omnino sit: certum est Marco, si primis Claudii temporibus cum Petro apostolo Romam venit, satis temporis suppetere potuisse, ut Aquileiam proficisceretur, ibique per biennium fungeretur apostolico munere, deinde in Aegyptum pergere, quo nonnisi anno Christi L. aut fortasse LIII. pervenisse ostendemus (3). Atqui illum Romae sub Claudio, nec extremis eius temporibus, fuisse, iam demonstravimus (4): ergo hoc etiam adversariorum momentum sublatum est. Vide quae disputat Sollerius in hanc rem in commentario ad Acta S. Marci praemisso (5). Quo loco nec illud praetermittendum puto, quod ex vita S. Clementis papae ab Hesychio salonitano episcopo conscripta, ac a se in vetustissimo codice reperta, Farlatus (6) refert: Petrum nempe apostolum, Roma digressum decreto Claudii Caesaris Iudaeos universos ex Italia pellentis (7), iter cum Clemente per *Italiam, Venetias,* Histriam, Dalmatiam, Pannonias etc. instituisse, et Evangelium latissime disseminasse. Floruit Hesychius, Farlato teste, saeculo IV. amicitiis cum SS. Hieronymo, et Augustino clarissimus; et quae de Petro et Clemente refert, ea se ex tabulis antiquis sirmiensis Ecclesiae accepisse testatur. Atqui si Petrum *Italiam et Venetias* peragrantem Clemens secutus est, cur non et Marcus, quem tamen Aquileiae Evangelii disseminandi causa reliquerit S. Apostolus? Obiiciunt postremo Eusebii Pamphili et Hieronymi silentium, perinde ac si uterque ille auctor aut iustam de Marci gestis narrationem aggressus fuerit; aut omnia, quae patrata sunt ab Apostolis, commemoranda susceperint; ita ut illis nihil omnino praetermittere prorsus licuerit. Atqui, inquiunt, Eusebius et Hieronymus alexandrinam Marci missionem commemorant, cur non item aquileiensem? atqui, inquam ego, Nazianzenus (8) italicam Marci praedicationem commemorat, cur non item alexandrinam? vide quam anceps incertumque argumentum hoc sit. Quamquam alexandrinam illam missionem ab Eusebio commemoratam nil mirum. Nam quum aetate ea alexandrinus patriarcha post Romanum Pontificem primas in catholica Ecclesia obtineret, Eusebius vero sibi proposuisset quattuor patriarchalium sedium successionem tam in sua Historia Ecclesiastica, quam in Chronico exhibere: profecto aegyptiam Marci missionem dissimulare non potuit, unde patriarchalis Alexandriae thronus sumpsit exor-

(1) Monum. Aquilei. cap. I. — (2) Vide Soller. in hist. Patriarch. Alexandr. in Marco. — (3) Infr. cap. XV. n. 3. — (4) Supr. cap. VIII. n. 4. et seqq. — (5) Inter. Bolland. ad diem XXV. April. — (6) Illyr. Sacr. tom. I. proleg. part. III. cap. II. num. 4. — (7) Supr. cap. VIII. num. 4. — (8) Supr. n. VIII.

dium: quod non item illi de Aquileia curandum fuit, quae romano patriarchae tributa erat; immo ipsi fortasse mediolanensi antistiti per ea tempora subiiciebatur. Ad Hieronymum vero quod attinet, illum, Eusebium ut plurimum exscripsisse, omnes fatentur. Ceterum, *negativum* argumentum quam sit infirmum, praesertim ubi de re agitur antiquissima, critici norunt; nec quae attulimus, ita levia sunt aut incerta, ut huiusmodi argumentis convelli possint.

XIV. Ceterum quod de sancto Marco Aquileia digresso, ac urbis nostrae aestuaria navigante referunt historici nostri (1), vix commemorandum esse videretur; nisi popularis quaedam traditio ac communis accederet, quae, rem licet minime firmet, nullo tamen modo silentio praetermittenda est. Siquidem narrant, sanctum Evangelistam Aquileia digressum ac ad Rivoalti insulam, quae maxima urbis nostrae est, lintre delatum, vento irruente, navigio ad *Tumbam*, sive ad paludem quandam ex aquis extantem, applicuisse: tum extra se rapto angelum repente apparuisse, illumque hisce verbis affatum fuisse: *Pax tibi Marce, hic requiescet corpus tuum:* cumque haesitaret ad haec verba S. Apostolus, seque naufragio statim periturum arbitraretur, addidisse angelum: *Ne timeas, Evangelista Dei, quia adhuc tibi grandis via restat, multaque te pro Christi nomine oportet pati. Post vero passionem tuam circumvicinarum regionum devoti et fideles populi, infidelium crebras persecutiones declinare volentes, hic mirificam urbem fabricabunt, et corpus tuum denique habere merebuntur, quod summa veneratione colent; tuisque meritis et precibus plurima beneficia consecuturi sunt.* Quibus auditis B. Marcus ad se reversus Deo gratias egit, dixitque: *Fiat voluntas tua.* Porro id quamvis se a maioribus accepisse testetur Dandulus (2), ac in ipsa marciana basilica satis antiqua pictura extet musivo opere in tholo Zeniani sacelli, quae visionem hanc S. Marci repraesentet, ut ex apposita etiam epigraphe intelligi potest; fabellam tamen sapit: antiquam illam quidem, sed post transvectum Venetias S. Apostoli corpus, ac post urbis gloriam et imperium auctum lateque propagatum excogitatam. Id et verba illa angeli ostendunt partim ex vulgata latina Bibliorum versione (3), partim ex altera angeli ad Marcum salutatione deducta, de qua alias (4) loquemur; et insolens illa et περίεργος urbis futurae laus, et ipse singularis beati Evangelistae cultus non antea in urbe receptus, quam sacrum eius corpus huc Alexandria deveheretur. Siquidem nullum illi templum ante id tempus in urbe nostra, nec urbis ipse patronus, sed S. Theodorus; quae certe magni indicii loco esse possunt, nullam tunc oraculi huius notitiam maiores nostros habuisse. Itaque haud ineptum coniectorem crediderim, qui hanc fabellam saeculo X. aut XI. ortam existimaret; immoderato patriae amore homines, ut saepe factum esse novimus, ad haec commenta excogitanda impellente. Quid autem attinet huiusmodi figmentis patriae nostrae laudes amplificare, quam ipse per se aquileiensis Marci apostolatus satis superque commendat? Cum enim aquileiensis sedes merito inter

---

(1) Dandul. lib. IV. cap. I., Iustin. lib. I., Corner. Eccles. Venet. dec. XIII. pag. 4.— (2) Loc. cit. — (3) Vide III. Reg. XIX. v. 7. Actorum IX. v. 16. — (4) Infr. cap. XXI. n. 4.

apostolicas habenda sit, eiusque sedis privilegia in gradenses primum, dein in venetos antistites gradensibus suffectos transierint, nonne ampla satis venetae Ecclesiae laus est ab ipso Marco ortum ducere, seque inter apostolicas sedes efferre posse? Quod siquis privilegium illud non iam ad Gradenses translatum aliquando, sed in Aquileiensibus perstitisse contenderet; iam nullum hinc venetae Ecclesiae detrimentum derivare posset; ipsa etiam aquileiensis cathedrae dignitate atque praerogativa in venetos praesules nuper Pii VII. Pontificis vere Maximi auctoritate, translata. Quare, quod de urbe nostra olim a Petro Damiano (1) animadversum est, posse illam iure *apostolicam sedem* appellari, quae Marci corpus possideret; siquidem hoc nomine Alexandria donata est, quam ad Christi fidem Marcus convertit: id mihi potiori iure nunc iterare liceat, quando praeter pretiosissimum illum sacri corporis thesaurum, ipsa etiam marcianae sedis praerogativa illustrata est: *Gaude igitur, et exultans in Domino plaude Venetia, quia per illud pretiosi thesauri talentum, quod in te constat esse reconditum, facta es superni regis aerarium: et dum in tuo gremio virum apostolicae gratiae suscepisti, et ipsa quodammodo sedes apostolica fieri meruisti. Quamobrem sicut mater urbium Roma super omnia regna terrarum sublimatur in Petro, sic et tu, velut insignis eius filia per Marcum gloriaris in Christo.*

AD CAPUT XIV. APPENDIX

I. Haec scripseram, immo universum opus absolveram, cum mihi iam ad alia festinanti, geminae Hieronymi Tartarotti roboretani dissertationes oblatae sunt, quibus aquileiensem S. Marci apostolatum impugnat vir κριτικότατος. Harum primam Venetiis edidit anno MDCCXLIII. hoc titulo: *De origine Ecclesiae tridentinae et primis eius episcopis.* In ea eorum sententiam, qui Ecclesiam illam saeculo Christi primo ortam dicunt, ac Iovinum primum eius antistitem a S. Hermagora ordinatum tradunt, evertere conatur; eiusdemque Ecclesiae exordia in IV. Christi saeculum protrahit. Id vero ut ostendat, ipsam aquileiensem Ecclesiam multo serius, quam communis sententia fert, incepisse dicit; totamque de aquileiensi Marci praedicatione traditionem convellit, ac quindecim integra disputationis suae capita, a septimo ad vigesimum primum, huic uni argumento tribuit, quae iustam per se dissertationem conficere possent. Tartarotti dissertationem cum per annos integros XVI. nemo unquam refutasset, anno tandem MDCCLIX. prodiit Mediolani Caroli Iosephi a S. Floriano ordinis minorum S. Francisci reformatorum dissertatio, hoc titulo: *Della Fondazione della Chiesa d'Aquileia,* hoc est, *de Fundatione Ecclesiae Aquileiensis:* ubi quae ad evertendam Aquileiensium traditionem ille attulerat, expenduntur ac refutantur. At non is erat Carolus Ioseph, qui cum viro illo acutissimo et eruditissimo committi posset: qua de re mollem nactus adversarium, ac in criticis, quod nec ipse diffitebatur, inexercitatum, illi statim Tartarottus occurrit, edita eodem anno Venetiis dissertatione

(1) Serm. XVI.

altera satis longa, quam inscripsit: *Della Origine della Chiesa di Aquileia*, hoc est: *De Origine Ecclesiae Aquileiensis*. In ea vir eruditissimus Caroli Iosephi momenta universa excutit atque convellere nititur, si qua possit: ea vi et eruditione, ut mihi videtur nihil in mala causa aut sollertius aut acutius excogitari potuisse. Utinam tamen, quantum est Tartarotti in ea disputatione acumen et eruditio, tanta etiam urbanitas esset atque moderatio: nec adversarium mollem quidem et vinci facilem paullo asperius atque rusticius, quam in huiusmodi disputationibus fieri amat, excepisset! At de hac re ipse viderit. Ego certe hominis eruditissimi momenta nec indicta praeteriri posse, nec sine refutatione dimittenda esse existimavi. Magnum enim nobis praeiudicium afferri putavimus; siquidem dissertationes illas a nobis dissimulatas fuisse homines suspicarentur, eo quod causae nostrae diffideremus: quam tamen ex iis ipsis, quae affert clarissimus vir, adhuc magis, ni omnia nos ludunt, illustrari confirmarique arbitramur. Nec grave lectori sit, nos iterum de eadem re loquentes audire; quandoquidem et nobis quoque, opere ad umbilicum perducto, eadem iterum causa non sine ingenti labore iterum fuit retrectanda.

II. Ac illud primum animadverto, Tartarottum non modo adversariorum argumenta infirmare velle, ac ostendere, illos nihil certi afferre, quod rem omnino conficiat; sed ita fidere causae suae, ut Aquileiensium traditionem disertis verbis ad fabulas ableget. Licet enim in priori dissertatione paullo moderatius locutus esset, dixissetque, illam (1) *inter incerta omnino, ne dicam commentitia, esse habendam:* in secunda tamen (2) aperte fabulam appellat: *Fundationem*, inquit, *aquileiensis Ecclesiae a Marco factam, dummodo rectus ac a praeiudiciis vacuus animus adhibeatur, fabulam semper, ut nunc est, fuisse, intelligitur*. Haec ille, qui tamen a *fabulae* nomine ne in priori dissertatione (3) omnino abstinuerat, licet illud subdubitanter eidem traditioni tribuisset. At quid novi demum in secunda dissertatione protulit, quod in priori non protulisset? Videbimus vix esse quicquam in posteriori, quod non fuerit in prima. Quo igitur pacto fieri potuit, ut quae argumenta nonnisi incertam Aquileiensium causam reddebant, ea paullo post non actam modo, sed et conclamatam ostenderent? Atqui haec ipsa argumenta, si quicquam videmus, nihil omnino conficiunt: quae tamen et si aliquid conficerent, hoc solum ostenderent, nihil certi ab Aquileiensibus omnino afferri. Ait enim, produci ea monumenta, quibus nulla fides habenda sit, vel quod ex auctoribus qui sero nimis floruere ducantur; vel quod ex actis, catalogis aliisque scriptis qua interpolatis qua subdititiis: repugnare veterum scriptorum non iam auctoritatem, sed silentium; nec deesse coniecturas, quae traditioni illi adversari videantur: quae omnia, et si vera sunt, eo quidem valent, ut traditionem illam incertam reddant, non vero falsam et commentitiam ostendant. Hoc enim ut assequi posset Tartarottus, vel absurdam illam demonstrare debuit, vel vetustissimorum scriptorum testimoniis repugnantem; quod nec ipse

---

(1) Num. VII. — (2) Num. XXII. *La fondazione da S. Marco della Chiesa aquileiese, ragionatamente e senza prevenzion discorrendo, fu sempre una favola, quale lo è oggidì.* — (3) Num. XXI.

fecit, nec unquam facturum quemquam confidimus. Sed illud maxime mirandum, quod quam rem alias (1) *possibilem* vocaverat, eam deinde *fabulam* dicat: quamvis nihil afferat novi, quo illam de suo gradu deiiciat. Hoc certe portento simile mihi videtur.

III. Verum claris. viri argumenta expendamus, quae commode bifariam dividi possunt. Alia siquidem eo intendit, ut allata a nobis momenta convellat, alia rursus ut suam ipse sententiam constituat. Atque ut ab illis ordiamur, totus in eo est Tartarottus, ut ostendat aquileiensibus chronicis (2), catalogis (3), actibus S. Hermagorae (4) et S. Marci (5) editis a bollandianis, aliisque eius Ecclesiae monumentis fidendum non esse. Plena haec omnia esse, atque adeo referta mendaciorum putidissimorum (6), quae non interpolata tantum, sed subdititia ostendant atque ὑποβολυμαῖα. Atqui haec omnia nihil ad nos, qui nunquam actis illis, aut aquileiensibus monumentis usi sumus. Equidem ipsorum mentionem semel aut bis iniecimus (7); sed tantum ut ostenderemus quo tempore acta illa et monumenta scripta sunt, iam traditionem de Marci missione aquileiensi obtinuisse: addidimus etiam haud omnino probabile nobis videri, tot illos scriptores id tam audacter asserere sine antiquioribus testibus ausos esse: siquidem nimis credulos potius, quam mendaces putamus: nec illis tamen idcirco tantum tribuimus, ut in ipsorum auctoritate conquiescendum esse existimemus. Itaque tota illa utriusque dissertationis pars, quae in hisce monumentis infirmandis insumitur, ut adversum Carolum Iosephum est validissima, cui maxime actuum illorum fides probatur, ita nihil nobis officit, qui quisquilias illas reiicimus. Hoc tamen unum de universis illis monumentis liceat animadvertere; nempe quod vel corrupta dicimus, vel suppositita, non idcirco posse concludi falsa ea omnia esse, quae in ipsis referuntur. Vix enim quemquam reperias non modo sublestae, verum nullius prorsus fidei historicum, qui aliquid referre aggressus, omnia ex suo cerebro imprudenter confingat: sed ut plurimum in eo fides huiusmodi hominum nutare solet, quod rei verissimae narrationem aggressi, eam tamen falsis hinc inde interpositis narratiunculis, et rerum adiunctis pro lubito immutatis, corrumpunt. Cum autem, ubi semel huiusmodi mentiendi ingenium in scriptore aliquo detectum est, difficile sit constituere quid vere dixerit, quid pro arbitratu confinxerit; recte critici faciunt, qui ab eo in disputationes producendo perpetuo abstinent: id enim et in civilibus iudiciis fieri videmus. Attamen si quae sunt, in quibus plurimi huiusmodi homines consentiant, licet ex ipsorum testimonio certum ac firmum argumentum duci nequeat, aliquod rei pondus accedit; leve quidem ac perexiguum, sed tamen aliquod: cum difficillimum sit, omnes in eodem mendacio, nisi verum aliquid subesset, convenire. Si vero eiusdem rei testes alii graviores et meliores accedant, tantum abest, ut priores illi rei gestae veritati quicquam officiant, ut potius novum

---

(1) De orig. Eccl. trid. n. XXI. — (2) De orig. Eccl. trid. n. XIV. etc. tum diss. II. n. XXIX. — (3) De orig. Eccl. trid. n. XIV. Dell'orig. della Chiesa aquilei. n. XXXVIII. et seq. — (4) Diss. I. n. IX. Diss. II. XXVI. et seqq. — (5) Diss. I. n. XV. — (6) Diss. I. n. XVIII. Diss. II. n. XLII. et seq. — (7) Supr. cap. XIV. n. V. et XIII.

veritati ipsi momentum adiiciant, licet ipsorum testimonium seorsim acceptum haud magni faciendum esset. Itaque iis, quae de aquileiensi Marci apostolatu dicemus, nihil eorum monumentorum suspecta fides nocere potest: alios enim testes producimus, eosque magna ex parte integros, incorruptos, quosque nec patriae caritas, neque alia causa, ut in re non sua mentirentur, potuit inducere.

IV. Verum nec hos ipsos recipit Tartarottus. Cur? tum quia seri nimis adveniunt, tum quia ab Aquileiensibus decepti, re haud expensa, de ipsa pronuntiarunt. Utrumque videamus. Ait (1), nullum Paulo Warnefrido aquileiensi diacono antiquiorem testem (2) proferri posse, qui saeculo VIII. floruit, ac in antiquitatibus ecclesiasticis ita fuit aut credulus, aut ineruditus, ut fabulosa multa intermisceret; immo totam illam historiae suae partem, quae remotiora tempora exponit, conflaret ex fabulis. Atrox certe atque peremptorium de homine post X. integra saecula iudicium, quod ille tamen Dupinii (3) audacissimi critici auctoritate confirmat. At non ita de illo Vossius (4), non Oudinus (5), non Bellarminus (6), non Caveus (7), non Labbeus (8), qui tale nihil in Paulo reperiunt; immo Vossius hominem vocat *egregiae prudentiae et eruditionis*, cui et Caveus ipse subscribit. Mitto Valaphridum, Strabonem, Sigibertum aliosque antiquiores a Labbeo, Oudino aliisque productos, qui Pauli non sine laude meminere. Verum demus Tartarotto, quod maxime postulat, fabulosum scriptorem Paulum habendum esse; attamen ex illo constat, eius aetate traditionem illam viguisse. Hoc certe negare non poterit, nec nos ex Paulo quicquam praeterea deducimus. Nam ne illam ab ipso Paulo confictam putemus, facit Paulini aquileiensis (9) et veteris romani martyrologii (10) ab Adone vulgati auctoritas, quorum alter sanctitate et eruditione maxima floruit, alterum saeculo VII. ineunte scriptum fuisse superius ostendimus (11). Quid ad haec Tartarottus? Paulinum ne nomine quidem commemorat; et tamen iam anni XX. elapsi erant, ex quo Madrisius in editione operum sancti Patriarchae hymnum illum vulgaverat, ubi de S. Marci apostolatu aquileiensi sermo est: Martyrologium vero illud ab aliquo aquileiensi antistite falsatum corruptumque suspicatur, a quo illud accepit Ado viennensis (12). At quo iure in ignotum sibi episcopum hanc calumniam intendit? unde tam atrox de illo suspicio? certe non ita de ignoto homine, quemque ipse Ado *Sancti* titulo honestat, suspicandum; nisi causa aliqua subsit, quae ita putandum suadeat. Haec vero causa quaenam alia esse potest, nisi traditionis ipsius falsitas? Itaque sic fere ratiocinatur Tartarottus: Martyrologium illud aquileiensem missionem probare non potest, quia falsatum videtur; videtur autem falsatum, quia aquileiensis missio in ipso refertur. Optima certe disputandi ratio, ubi causae loco id ipsum affertur, quod est in quaestione. Sed adhuc magis urgebo. Martyrologium illud perantiquum fuisse, ne ipse quidem negare audet: tantum Aquileiae corruptum suspicatur; iterum ipsum romanum autographum Aquileiam trans-

(1) Diss. I. n. VII. Diss. II. n. XXIV. — (2) Supr. cap. XIV. n. VI. — (3) Du-Pin Biblioth. Eccl. tom. VI. pag. 114. — (4) Apud Cave ad ann. 774. — (5) De Script. Eccl. tom. I. pag. 1923. — (6) De Script. Eccl. saec. VIII. — (7) Loc. cit. — (8) App. ad Bellarm. de Scrip. Eccl. — (9) Supr. cap. XIV. n. VI. — (10) Ibid. n. VII. — (11) Ibid. — (12) Diss. II. n. XXV. et XLIV.

missum, ab Adone inspectum et exscriptum fuisse, Adonis ipsius verba (1) demonstrant. Qui itaque fieri potuit, ut Ado, Martyrologium illud exscribens, novum assumentum, antiquis membranis additum recentiori manu, non animadverteret? Adeo ne bonum, ne bardum dicam, aut stupidum Adonem putaverim, ut monumentum illud veluti pretiosissimum antiquitatis reliquium in fronte Martyrologii sui edendum curaret, quod paullo ante aquileiensis antistites corrupissent? Aut ita perspicax et sagax Tartarottus, ut quod Ado medio saeculo IX. dum ipsum autographum oculis suis inspiceret, ac manu sua exscriberet, videre non potuit, ipse post annos nongentos, codice illo nunquam inspecto, perviderit? Atqui si ita in criticis coniectare liceat, ac de omnium antiquorum vel fide, vel industria, vel diligentia tam levibus, imo nullis de causis, dubitare, iam de universa historia actum erit; nec quicquam superesse in ipsa poterit, quod non huiusmodi cavillis et suspicionibus facile evertas.

V. Verum quorsum haec tanta Martyrologii illius in suspicionem adducendi sollicitudo? Certe, utcumque concederet illud genuinum esse et incorruptum, et longe ante Adonem conscriptum, nihil id tamen causae suae noceret, qui fabulam illam longe antea procusam putat. Nam cum ille saeculo Christi VI. dum aquileiensis Ecclesia diro schismate scinderetur, coepisse illam in vulgus efferri existimet (2), non erat cur adeo de Martyrologio illo laboraret, quod non ante saeculum Christi VII. scribi potuit (3). Atqui vidit vir acutissimus, si Martyrologium illud saeculo VII. scriptum, nec iam Aquileiae, sed Romae exaratum concederet, necessario consequi, traditionem illam ipso saeculo VI. antiquiorem esse debere; neque enim fieri potuisset, ut Romani Pontifices traditionem tam recentem, tam impuro e fonte deductam facile reciperent, Martyrologio inscriberent, ipsique illi Ecclesiae legendam traderent, quae illam suo marte commenta esset, eo consilio (haec enim Tartarotti coniectura est) ut dum se a Marco fundatam iactat, patriarchale sibi ius arrogaret, et a Romani Pontificis obedientia desciscceret. Et sane mirum esset, romanos antistites nunquam adblanditos fuisse constantinopolitanis praesulibus, qui eadem de causa commenti fuerant, Ecclesiae suae originem Andreae apostolo tribuendam esse: eosdem vero invectam ab Aquileiensibus de Marci missione traditionem non recepisse modo, sed suis etiam ecclesiasticis libris inscripsisse; quamvis eadem esset utriusque Ecclesiae causa, nec minores cum aquileiensibus, quam cum constantinopolitanis patriarchis inimicitiae intercessissent. Quare cum utrumque, tum de Marci aquileiensi, tum de constantinopolitana Andreae missione, commentum eadem de causa a schismaticis utriusque sedis episcopis excogitatum fuisse existimaret Tartarottus (4), in animum inducere nunquam potuit, alterum quidem ipsi romano Martyrologio insertum fuisse; alterum vero nunquam ne obiter quidem commemoratum. Itaque quae de Marco ferebantur in Adonis libello, expungenda esse statuit, perinde ac si illam περικοπὴν Aquileienses in-

(1) Vide supr. cap. XIV. n. VII. — (2) Diss. I. n. XXI. diss. II. n. XXII. — (3) Supr. cap. XIV n. VII. — (4) Diss. I. n. XXI.

quidquam facere ad rem (1). Qua de causa? Quia, inquit, loquitur ibi Nazianzenus de provinciarum sortitione facta ab Apostolis: atqui Marcus neque apostolus fuit neque ex LXXII. discipulis: ergo nihil locus ille ad Marcum, cui nulla provincia obtingere potuit. Vix oculis meis credidi, cum haec legerem. Ait Nazianzenus, *Apostolos multarum gentium et urbium hospites fuisse, in quas divisi sunt, ut Evangelium in omnem locum diffunderetur:* tum singulos Apostolos enumerans, docet quae cuique gentes obtigerint, nempe *Petro Iudaea, Paulo gentes, Lucae Achaia, Andreae Epirus, Ioanni Ephesus, Thomae India, Marco Italia* etc. Respondet Tartarottus, Italiam Marco obtingere non potuisse. At Nazianzenus obtigisse testatur: nec id obscure, aut perplexe, sed diserte. Non itaque extra rem locum Nazianzeni producimus, quem certum est id asserere: si falsi lis cuiquam intendi debuit, ea fortasse Nazianzeno moveri potuit, non nobis, quibus nihil aliud in mente fuit, nisi testem aliquem producere, qui saeculo IV. tradiderit, Marcum in Venetia Evangelium disseminasse: nam *Italiam* eo loco *Venetiam* significare demonstravimus (2). Ac mendacem fortasse testem adduximus, non tamen importunum, ut dictitat adversarius. Sed nec mendacem. Nam negabit Tartarottus, Marco Aegyptum obvenisse, totamque ab eo fuisse conversam (3)? Profecto id negare non poterit, quod ipse non semel (4) confessus est. Si autem illi alexandrina missio obtigit, cur non etiam italica, seu potius veneta potuit obtingere? an quia Apostolus non fuit? Sed ne tunc fuit, cum ad Aegyptios est missus. Itaque Apostolus ille quamquam non fuerit, in illa tamen sortitione sua et ipsi provincia committi potuit, nec ex eo quod non fuerit Apostolus, quidquam adversus Nazianzenum concludet adversarius. Quantum porro illud est, quod Marcus revera apostolus fuit (5), non ille quidem ex XII., sed quia apostolico ministerio ac potestate insignitus, et ex eorum numero, quos non modo antiqui omnes Patres sed sacri ipsi scriptores *Apostolos* nuncuparunt? Vide quae de hac re disputavimus capite V. Non igitur falsus Nazianzenus, qui, pro recepto sua aetate dicendi more, Marcum et Lucam apostolis accensuit. Verum quid quaerimus de nomine, cum rem teneamus? Ait Nazianzenus Marco Italiam obtigisse: Italiae nomine Venetiam indicari ostendimus. Habemus itaque testem aquileiensis traditionis scriptorem saeculi IV. Quid plura quaerit Tartarottus? Atqui, ait ille, locus vel de Evangelio a Marco scripto, vel de ministeriis Petro in Italia praestitis accipi debet. Imo, inquam, de illis nihil. Tuetur se eo loco Nazianzenus, eo quod a nonnullis accusaretur, quod extraneus cum esset, tamen constantinopolitanam sedem ascendisset. Ait itaque, etiam Apostolos idipsum fecisse, et apud eas gentes praedicasse, quibuscum nulla ipsis necessitudo intercedebat: *Esto,* inquit, necessitudo aliqua fuerit *Petro cum Iudaea. At quid Paulo commune cum gentibus? Lucae cum*

---

(1) Diss. II. n. XXVI. *Segue un passo di S. Gregorio nazianzeno, che niente fa a proposito, poichè parla della divisione delle provincie fatta dagli Apostoli, nella quale non entrò, e non poteva entrare S. Marco, che non era apostolo, anzi nemmeno uno de' 72. discepoli di Cristo.* — (2) Supr. cap. XIV. n. X. et seqq. — (3) Infr. cap. XVII. n. I. et seqq. — (4) Diss. I. n. XVII. diss. II. n. XXXIII. XLI. etc. — (5) Vide supr. cap. V. n. VI. et VII.

Achaia? Andreae cum Epiro? Ioanni cum Epheso? Thomae cum India? Marco cum Italia? quid ceteris omnibus (ne singillatim enumerem) cum iis, ad quos profecti sunt? Vides hic de vero apostolatu, de vera missione sermonem esse. Nam si diceret, ideo reprehendendus non sum, quod et Marcus Petro evangelizanti in Italia praesto fuit, et Evangelium conscripsit, nonne inepta esset ratiocinatio? Et tu, reponere poterant constantinopolitani cives, et tu alio episcopo concivi nostro praesto sis, et tu scribe, ut Marcus; non damnabimus. Ne tamen episcopalem thronum ascendas. At non ita Nazianzenus. Si, inquit, Marcus in Italia apostolatum gerere potuit, cur non ego episcopatum Constantinopoli? Haec quomodo alio modo interpretari possit Tartarottus, plane non sentio.

IX. Atque haec de auctoribus, qui pro aquileiensi missione a nobis afferuntur. Venio nunc ad alterum illud argumentum, quod ex Aquileiae amplitudine et dignitate deduximus (1); quae cum tanta fuerit, ut prima post Romam in Occidente haberetur, videtur nonnisi a magno aliquo Apostolo ad fidem fuisse convertenda. Quamvis autem huiusmodi momentum rem non omnino conficiat, sed probabilem tantum rei causam afferat, vix tamen dici potest, qua vi in ipsum insurgat Tartarottus (2). Ait, quae loca ex antiquis scriptoribus a nobis allata sunt, ea quidem eius urbis prae ceteris magnitudinem demonstrare, sed non ita illa esse accipienda, perinde ac si talis eius urbis conditio fuerit saeculo Christi I. Loqui auctores de II. ac III. Ecclesiae saeculo, quando urbs illa aedificiis aucta est ac civibus, non vero de I. quando nec Mediolano, nec Veronae, nec Ravennae conferri poterat; imo nec Patavio fortasse, Mutinae, Targesti atque Bononiae. Quin imo si legamus, inquit, Ausonium, qui saeculo IV. scripsit, videbimus non modo Aquileiam Mediolano illum postponere, sed nihil in ea civitate nisi populi et advenarum frequentiam, late porrecta commercia, urbis amplitudinem, divitiarum copiam extollere; cum ex adverso multa de Mediolano praedicet, ac praeter populi multitudinem, urbis etiam antiquitatem, aedificiorum magnificentiam, moenium fortitudinem, et optimarum artium cultum commendet. Quare haud inepte Pomponius Mela (3), scriptor saeculi I. illam tantummodo *ditem Aquileiam* vocavit, cum tamen alia longe potiora de Mediolano tradantur. Haec ille, Scipionis Mapphaei praesertim auctoritatem secutus. At quod pace clarissimi viri dictum sit, videtur mihi et absurda multa proponere; et si quae vera sunt, ea nihil officere sententiae nostrae. Quid enim nostra refert, Mediolanum aedificiis, theatro, amphitheatro, aliisque huiusmodi ornamentis Aquileiae praestitisse, quod tanto molimine ostendere nititur, dum tamen fateatur, civium et advenarum multitudine Aquileiam maxime claruisse? An aedificiis et lapidibus praedicare Marcus debebat, non autem hominibus? Nec tamen verum est quod ait, Mediolanum longe maius Aquileia fuisse. Nam ex eo textu, quem ex Herodiano produximus (4), ingentem illius urbis ambitum fuisse patet saeculo III.; et tamen eius moenia antiqua et caduca ab eo-

(1) Supr. cap. XIV. n. XII. — (2) Diss. II. n. II. et seq. — (3) Lib. II. cap. IV. — (4) Supr. cap. XIV. n. XII.

dem dicuntur, ut proinde ingens ille ac labescens veterum murorum circuitus ostendat, illam etiam saeculo Christi I. amplissimam fuisse atque munitissimam. Frustra itaque ex eo, quod nihil de eius amplitudine apud Melam, saeculi I. scriptorem, referatur, deducit, illam tunc temporis exiguam fuisse, ac Mediolano longe minorem. Equidem ille Aquileiam *ditem* tantum appellat, quod optime in urbem convenit, commerciis late porrectis florentem. At id ne ignorabat Tartarottus, eam esse commerciorum naturam, ut in qua urbe maxime vigeant, eam et civibus et divitiis plurimum augeant; praesertim si eo loci condita sit, qui plures mercatoribus opportunitates exhibeat? Quis porro locus commerciis opportunior urbe illa, quae in extremo superi maris recessu prope littus sita, media inter Galliam cisalpinam, Noricum, Carnos, Dacos, Illyricos staret, ac transmarinas merces omnibus illis regionibus subministraret? a qua haud longe Padi, Athesis, Medoaci, Silis, Anassi, Tilaventi, ac tot aliorum fluminum ostia panderentur, quae magnum ipsis mercibus transvehendis commodum praeberent? Certe is est venetarum lacunarum situs, ut magnam semper aliquam urbem habere debeant, quae quasi commune Italiae, Germaniae ac Daciae emporium sit; quo effectum est, ut, Aquileia eversa, Venetiae surgerent, ac ipso saeculo VII. divitiarum et civium copia maxime floruerint. Tanta itaque Aquileia cum esset saeculo I., amplissimo moenium circuitu, civibus et advenis referta (neque enim paucis habitatoribus ampla urbs excipiendis paratur) divitiis quoque et opibus clara, quid quaerendum erat utrum Mediolano maior an minor esset; cum haec omnia satis esse possent, ut ad illam prae ceteris Marcum interpretem suum B. Petrus apostolus mitteret? Cum autem Apostoli, ut plurimum, ad eas urbes, Evangelium disseminaturi, pergere consueverint, ubi Iudaeorum synagogae essent constitutae; ut a Iudaeis praedicationis exordium ducentes (1), ipsorum ope facilius deinde Christum paganis annuntiarent, ubinam probabilius est, synagogas Marcum reperire potuisse, Mediolani ne, quae urbs mediterranea cum esset, vix de commerciis fortasse cogitare poterat, an Aquileiae, quae ad littus sita universos pene mediterranei maris accolas ad se quaestus gratia allicere videbatur? Nam Iudaeos longe ante hierosolymitanum excidium maritimas urbes frequentare, et ibidem synagogas constituere consuevisse, ex Actis constat; ubi, stante adhuc templo, in huiusmodi urbibus ipsos sibi domicilium posuisse cernimus, ac synagogas aedificasse, ad quas Apostolus easdem urbes ingressus conferre se consueverat, quod alibi (2) animadvertimus. Quid quod cum Apostoli non Graecis tantum et Romanis, sed barbaris etiam Christum annuntiare vellent, vix eam urbem praetermittere debuere, unde tam facilis in Daciam, Sirmium, Illyriam, Noricos, Germanos, atque adeo barbariem universam pateret aditus? Nam sub exitum saeculi II. Ecclesias apud Scytas, Sarmatas, Dacos, Germanos, Britannos, Celtas, Hiberos aliasque Europae gentes, vix ipso nomine Romanis notas, fuisse constitutas, et in universum fere

(1) Supr. cap. IV. n. V. — (2) Ibidem.

mundum Evangelium disseminatum Tertullianus (1) et Irenaeus (2), illorum temporum scriptores, ut nihil dicam de Lactantio (3), testes sunt luculentissimi; quod certe indicium est, ab ipsa Apostolorum aetate Evangelii praedicationem apud illas coepisse; siquidem vix saeculo et sesqui, ab ipsorum morte elapso, Evangelii lux tam late diffusa erat, quam tamen nonnisi sensim diffundi potuisse ipse adversarius (4) fatetur.

X. Enimvero hanc ipsam factam I. Christi saeculo Evangelii in omnes gentes praedicationem, negat Tartarottus; ac remotiores ab urbe Roma Ecclesias nonnisi saeculo III. exeunte, vel IV. exordiente, constitutas fuisse vult; interque illas recenset veronensem, tridentinam, aquileiensem. Verum quaenam sunt huius sententiae momenta? Ea diligenter excutiamus: siquidem hoc primum est adversarii adversus aquileiensem traditionem argumentum. Ait primum (5), non esse putandum, Evangelium tam facile fuisse homines amplexatos, ut statim ac in urbe aliqua annuntiatum esset, episcopus et clerus constitui posset. Ut plurimum multarum aetatum laborem hanc unius Ecclesiae fundationem expostulasse; idque ea de causa, quod christiana religio omnibus invisa esset atque despecta. Haec ille. Verum quid hoc aliud, nisi argumenti loco proponere, quod est in quaestione? Ait enim, ideo sero fundatae Ecclesiae sunt, quia sero dilatata est religio. Addit, serae dilatationis causam fuisse odium illud, quo pagani Christi fidem prosequebantur. At si haec ipsa causa in iis urbibus nocere religioni non potuit, in quibus certo constat Ecclesias fuisse ab Apostolis constitutas, Romae, Hierosolymis, Athenis, Ephesi, Smyrnae, Laodiciae, Antiochiae, Alexandriae etc., cur in aliis nocuerit? Si de humana aliqua institutione sermo esset, darem equidem hoc Ethnicorum odium eiusdem dilatationi officere potuisse: sed cum de ea fide sermo sit, quam Apostoli tot prodigiis ac miraculis confirmabant, ac Deus ipse occulta quidem, at praesenti tamen ope perpetuo sustinebat, quid mirum si illa repente in universum paene orbem diffusa sit? Non hic utendum humanis ratiunculis; non de illa, quemadmodum de humanis institutis, disputandum: ex ipsis factis de eventu iudicandum: non facta ipsa perturbanda ex meris coniecturis, quas facile erit paulo post, productis antiquissimorum scriptorum testimoniis, evertere. Quod si Tartarotti ratio valeret, ubinam difficilius Ecclesia, quam Romae et Hierosolymis constitui potuit, ubi non odio tantum et contemptu excepta est, sed armis etiam et suppliciis impugnata? Et tamen utrobique brevi tempore fidelium turbam ingentem excrevisse, certum est; ita ut mihi ineptire videatur Tartarottus, qui ex eo quod Italia ethnicae superstitionis sedes fuerit, sero admodum in eius urbibus Ecclesias constitutas existimat (6); cum tamen Romae, Alexandriae, Athenis ac in aliis urbibus superstitiosissimis certum sit, ipsa Apostolorum aetate frequentissimas Ecclesias floruisse. Quod vero addit, nonnisi processu temporis post

---

(1) Adv. Iudaeos n. VII. — (2) Contr. haeres. lib. I. cap. X. n. 2. — (3) De Mort. Persec. cap. II. — (4) Diss. I. cap. XXIII. diss. II. cap. IX. — (5) Diss. II. n. IX. diss. I. n. XXII. et seqq. — (6) Ibidem.

auctam fidelium multitudinem Ecclesiam in unaquaque urbe statui consuevisse, cui episcopus praeessent et presbyteri; ideoque non si in urbe aliqua Christiani aliquot saeculo Christi I. aut II. reperti fuerint, statim existimandum clericos quoque et episcopum ibidem fuisse (1): id cuiusmodi sit quis intelligat? Equidem do, contingere potuisse nonnunquam, ut Christiani nonnulli, aliunde profecti, in urbem aliquam venerint, ubi nondum quicquam de Christo auditum esset; qui certe per se Ecclesiam constituere non poterant. Verum non hoc agimus. Illud quaerimus, utrum ubi Apostolus, aut quis alius Apostoli iussu in urbe aliqua Christum annuntiasset, ita lente ut plurimum atque pedetentim fidelium turba augeretur, ut nonnisi post plures hominum aetates Ecclesia legitima ibidem constitui posset. Id autem falsum esse omnino dicimus. Nam, quas causas huius rei affert Tartarottus, eae tales sunt, ut omnibus fere urbibus aeque sint communes: odium scilicet Ethnicorum, christianae religionis despectus, et alia id genus. Si vero eaedem ubique extabant causae, eadem etiam ubique et Ecclesiae statuendae difficultas; ac proinde dicendum, paucas admodum Apostolorum temporibus Ecclesias fuisse, paucas saeculo Christi I. Atqui id ipsis sacris litteris aperte repugnat. Nam in libris Novi Testamenti innumerae Ecclesiae recensentur, eaeque non in maioribus tantum urbibus, sed in obscuris etiam et exiguis; imo interdum plures unius provinciae Ecclesiae commemorantur, ut Ecclesiae Galatiae (2), Ecclesiae Macedoniae (3), Ecclesiae Iudaeae (4); quod est indicium, Ecclesiae alicuius fundationem non ideo operosam primis illis temporibus ac difficilem fuisse, quemadmodum censet adversarius. Huc etiam facit quod Paulus in epistola ad Titum, Cretensium apostolum, ait (5): *Idcirco illum Cretae reliquisse, ut constitueret per civitates presbyteros*, quo nomine episcopos revera intelligit (6); quod profecto nunquam iussisset Apostolus, nisi perspectum habuisset, eam esse divini verbi virtutem, ut brevi tempore in qualibet urbe tot homines ad Christum converteret, quot iustae Ecclesiae constituendae requirebantur. Nec tamen necesse erat, ut magna esset fidelium multitudo, ut illi episcopus tribueretur. Certe Cretae urbes exiguae cum essent, vix credi potest, ingentem hanc credentium turbam Tito subministrasse; nec iterum magnae erant Ecclesiae illae, quae in domibus Aquilae et Priscillae (7), et in domo Philemonis (8) collectae erant, quasque idcirco *domesticas Ecclesias* vocat Apostolus. Quid Gregorius thaumaturgus? nonne cum Neocaesareae episcopus est constitutus (9), septendecim tantum fideles in illa urbe reperti sunt, cum vero e vita decessit, totidem tantum infideles ab eo relicti? Vides in hoc facto, nec magnam multitudinem condendae Ecclesiae necessariam fuisse, nec tam lente, ut asserit adversarius, fidelium turbam excrescere consuevisse. Et tamen, Decio et Valeriano infensissimis Christi hostibus imperantibus, Ecclesiam illam administravit Gregorius, quorum quanta fuerit in Christianos immanitas eleganter describit Gregorius alter Nyssenus (10). Porro

---

(1) Diss. II. n. VIII. — (2) I. Corinth. XVI. v. 1. Galat. I. v. 2. — (3) II. Corinth. VIII. v. 1. — (4) Galat. I. v. 22. I. Thess. II. v. 14. — (5) Ad Tit. cap. I. v. 5. — (6) Vide Calmet, a Lapid. etc. in hunc locum. — (7) Rom. XVI. vers. 5. I. Corinth. XVI. v. 19. — (8) Vers. 2. — (9) Vide Greg. Nyss. Orat. de S. Greg. Thaum. sub finem. — (10) Oratione iam laudata.

si Apostolorum aetate Ecclesias in omni fere Asia et Graecia constitutas constat ex Actis, nec tantum in maximis, sed in minoribus etiam urbibus, ut cretenses fuere, quarum curam Tito demandavit Apostolus, tum Iconium (1), Lystra, Derbe, Perge, Attalia, Philippi, Colossi, Beroea, Troas aliaeque; cur non idipsum et in Italia factum fuisse dicamus? Cur non saltem in nobilissimis eiusdem civitatibus Evangelium praedicatum? Mirum certe videri debet, siquis aliud prorsus in Italia evenisse contendat; cum ea ipsa aetate in remotissimis Galliae provinciis Christi nomen auditum fuerit, quod vel ipse adversarius non est ausus negare (2).

XI. Nec te moveat quod ille subiicit (3): Si tam cito nostris urbibus Evangelii lux affulsisset, nunquam fieri potuisse, ut IV. Ecclesiae saeculo adhuc innumeri Ethnici in pagis ac vicis superessent: quod ex sanctorum martyrum actis probat, praesertim ex martyrio SS. Sisinnii, Martyrii et Alexandri, quos in Valle Anaunia (4) rustici homines idololatrae interemere. Nam quis est adeo christianarum antiquitatum rudis atque imperitus, qui nesciat, rusticos omnium postremos christianam fidem amplexos esse; ac proinde ex eo, quod alicuius urbis ager adhuc ethnica superstitione saeculo III. aut IV. esset infectus, perperam concludi, urbem etiam ipsam nonnisi sero ad Christum esse conversam? An ex eo quod Cassini montis incolae (5) adhuc saeculo VI. Apollinem colerent, cuius aram et simulacrum S. Benedictus abbas evertit, deducet aliquis, subiectam monti Cassini (6) urbem nonnisi saeculo VI. Christo nomen dedisse? Atqui ipsum *Paganorum* nomen, Ethnicis passim a Christianis tributum, doctissimum criticum admonere debuit, longe aliter de ea re esse existimandum. Cum enim *Paganus* apud Latinos proprie rusticum significet, sive hominem in pago degentem, ideo Ethnici hoc nomine vocari coepere, quod urbanis hominibus ad Christum magna ex parte conversis, rustici ex adverso in ethnica superstitione fere universi persisterent (7). Patet autem, vocem illam tunc tantum usurpari hoc sensu incoepisse, cum Evangelio in urbibus late diffuso, pauci admodum Ethnici superessent: alioquin ineptum fuisset *Paganos* appellare, quorum maxima adhuc esset in urbibus multitudo; ita ut si quis ostendere posset, quo tempore vox illa hac significatione passim accepta fuerit, is etiam certum late in urbibus propagatae fidei tempus demonstraret. Atqui id pro certo statuere non ausim: attamen id ante medium IV. saeculum factum fuisse non dubito: neque dubitant Gothofredus, Fabrottus (8), aliique viri longe eruditissimi, ac plurimorum auctorum testimoniis demonstrant. Si igitur medio saeculo IV. Ethnici passim dicebantur *Pagani*, ac Gentilium superstitio in agris ac pagis adhuc perstans ab urbibus omnino exulare cogebatur, iam multo ante illis urbibus Christus fuerat nuntiatus; neque enim paucis annis integrae civitatis ad fidem conversio perfici potuit. Porro si longe ante nuntiatus Christus, quis credat in illis urbibus iustam Ecclesiam, hoc est proprio episcopo et clericis decoratam, nonnisi IV. saeculo fuisse constitutam?

---

(1) Act. cap. XIII. et seqq. — (2) Diss. I. n. XXIII. — (3) Ibid. n. XXII. — (4) Nunc *Valle di Non* in Dioecesi Tridentina. — (5) Greg. Dialog. lib. II. cap. VIII. — (6) Vide Baudr. in Cassino. — (7) Vide Gothofred. in Cod. Theod. in tit. *de Paganis*. Fabrottum in eund. loc., Du-Cange in Gloss. voce *Paganus* etc. — (8) LL. cc.

An expectandum fuit, ut omnis omnino alicuius civitatis populus ad Christum conversus esset, antequam illi episcopus praeficeretur, ordinarentur presbyteri et diaconi, et iusta ac legitima Ecclesia constitueretur? Nec dicas, saeculi IV. initio nonnisi maiores urbes ad Christum fuisse conversas, minores non item. Extat siquidem Constantini imp. lex (1) ad Taurum, praef. praet. Italiae data anno Christi CCCLIII., qua iubet *omnibus locis atque urbibus universis claudi protinus templa*, additque morte multandum qui templa adierit, eiusque facultates fisco addicendas; eandemque statuit poenam *in rectores provinciarum, si facinora vindicare neglexerint*. Legem hanc diligenter expende: tota enim est contra Tartarottum. Data est ad praefectum praetorio Italiae, ibique *in omnibus locis atque urbibus* templa occludi iubet; nec iam prope Romam tantummodo, sed etiam *in provinciis*, quarum rectores iisdem poenis puniendos decernit, si illam tueri neglexerint. Quae vero huiusmodi poenae? quae nempe gravissimae ab Imperatore statui possunt: mors et bonorum addictio. Haec autem omnia quid porro ostendunt, nisi christianum nomen ea aetate in Italia universa maxime fuisse adultum et propagatum, ac paucos admodum in unaquaque civitate repertos, qui ethnicae adhuc superstitioni adhaererent? neque ii tantum in maximis civitatibus, sed *in omnibus locis, urbibus et provinciis?* Nam quis ita incautum legislatorem aliquem fingere possit, qui haec tam atrocia atque truculenta statuere aut velit, aut etiam audeat, ubi crimen aliquod est vindicandum, cui ingens hominum multitudo obnoxia sit? Nonne tunc populi seditionem ac tumultus tam importuna lex certissime excitabit? nonne tunc nonnisi per summam iniuriam in iudicem animadverti poterit, qui, multitudine commota et acriter repugnante, eandem tueri non possit? Si itaque medio saeculo IV. haec decrevit Constantinus, iam patet universas Italiae urbes christianas prorsus fuisse, paucis exceptis civibus, qui adhuc ethnicam superstitionem sequerentur: imo quamvis in agris et pagis multi adhuc mortalium, ut diximus, in ea superstitione persisterent, non eorum tamen tantam fuisse multitudinem, ut ipsorum ratio aliqua habenda esset: siquidem Constantinus *in omnibus locis* legem illam servandam esse decrevit. Si itaque anno CCCLIII. tanta erat Christianorum in singulis urbibus multitudo, atque adeo innumeri etiam ex rusticis in Christum crediderant, quis putet Ecclesias Venetiae, Carnorum et aliarum Italiae provinciarum, quae ad septentrionem sitae sunt, nonnisi III. saeculo exeunte, aut IV. incipiente, fuisse fundatas? aut quid ad hoc facit Ethnicorum multitudo, quae per ea tempora adhuc in agris versabatur, cum nec tanta fuerit, quantam Tartarottus existimat; nec si fuerit, mirandum sit, rusticos, quod hominum genus est rude et veterum institutorum tenacissimum, adhuc in suis religionibus perseverasse, licet vicinae civitates omnino ad Christum conversae essent?

XII. Nec firmius momentum illud est, quod ex antiquis episcoporum catalogis ducit adversarius (2), quos animadvertit, trium priorum saeculorum episcopos vel

---

(1) Leg. VI. Cod. Theod. *de Pagan. Sacrif. et Templis.* — (2) Diss. I. n. XIV. et XX. diss. II. n. XLIV. et seqq.

nullos prorsus recensere, vel nuda tantum ipsorum nomina exhibere, quae pro lubito confingi potuerunt ab iis, qui omnium primi eosdem catalogos evulgarunt. Nam si hoc argumentum valeret, vix ulla esset Ecclesia, quae ab Apostolis erecta dici posset; cum fere nulla sit, quae primorum episcoporum suorum gesta noverit; paucae admodum, quae ipsa nomina possint recitare. Nisi enim nobis Eusebius antiochenorum, hierosolymitanorum et alexandrinorum patriarcharum nomina servasset, ea ipsa ignoraremus magna ex parte; quemadmodum magna ex parte ipsorum gesta ignoramus. Quid de ipsa romana Ecclesia dicam, omnium clarissima? quot inter antiquos eius sedis antistites sunt, quorum praeter nomen aliquid memoriae proditum extet? nonne adhuc haerent incerti critici, quo ordine primi illi pontifices sibi invicem successerint, Clemens, Linus, Cletus, Anacletus? Quid mirum, id et de veronensibus, tridentinis, aquileiensibus episcopis evenisse? Possunt autem eius rei causae afferri satis multae. Nam nec probabile est, primos illos Christianos adeo sollicitos fuisse de hac re, ut in omnibus Ecclesiis reperiretur, qui singulorum episcoporum gesta litteris commendaret; nec, etiamsi id in pluribus Ecclesiis factum fuerit, potuere tamen scripta illa diu servari tot inter urbium et civitatum calamitates, christianaeque rei sub ethnicis Imperatoribus vicissitudines. Nam quem latet, haud semel ecclesiastica monumenta fere omnia Christianis ethnicorum Imperatorum iussu ablata, atque igni tradita fuisse; praesertim in magna illa Diocletiani persecutione (1)? Nec diffiteor, singulas Ecclesias diptycha (2) sua habuisse, in quibus omnium suorum episcoporum memoriam servabant. Verum diptycha illa nihil praeter nuda ipsorum nomina exhibebant; atque ex ipsis deducta nomina illa fuisse puto, quae in antiquis episcoporum catalogis apud omnes fere Ecclesias servantur. Neque quod haec nomina permixta identidem sint ac perturbata, multa etiam quandoque desint, aut immutata paullum legantur et corrupta, idcirco negandum, catalogos illos ex antiquis diptychis prodiisse, quemadmodum facit Tartarottus (3): norunt siquidem eruditi quam facilis exscriptorum lapsus esse soleat, ubi de nudis nominibus agitur, barbaris praesertim, aut graecis, aut alterius linguae a latina remotae. Quin etiam tantum abest, ut hisce catalogis, eo quod sola episcoporum nomina exhibeant, fides deneganda sit; ut hinc potius, magni ipsa facienda esse, deduci debeat. Nam si ficta pro arbitrio fuere, et fraudi malae subiecta, quid causae fuit cur eorum episcoporum, qui post Constantinum floruere, gesta in iis diserte referantur, eorum vero, qui ante illum fuere, nihil nisi sola nomina inscripta sint? an operosum erat homini omnia fingenti pro lubito, singulis nominibus aliquid etiam de ipsorum factis comminisci, ut universa episcoporum series sibi eodem modo constaret? an difficile illi, qui unum aut alterum episcopi nomen commentus est, et alia deinde addere, ingentesque illas unius, aut duorum saeculorum lacunas explere, quae in nonnullis catalogis post primum aut secundum episcopum quandoque occurrunt? Atqui haec ipsa nudorum nominum enumeratio, hae

(1) Arnob. lib. IV. sub fin., Prudent. Hymn. de SS. Emetherio et Calidonio etc., Vide Ruinart. Praef. in Acta Martyr. n. IV. — (2) De Diptychis vide Salig. in lib. de iisdem, du-Cange, Macri etc. — (3) Diss. I. n. XXIV. diss. II. n. XI.

ipsae lacunae, scriptoris optimam fidem demonstrant, ea tantum referentis, quae in antiquis libris invenit; nec quidquam praeterea ex suo cerebro confingentis: ut proinde vehementer fallatur Tartarottus, qui quod eorum catalogorum αὐθεντίαν et sinceritatem ostendit, id in calumniae causam deflectat, quo italicarum Ecclesiarum antiquitatem facilius convellat atque collabefactet.

XIII. Sed quod maxime eius de recenti earum Ecclesiarum origine sententiam evertit, loca illa sunt vetustissimorum scriptorum, quae vel ipsa Apostolorum aetate, vel paullo post, Christi fidem toto orbe diffusam, ac in omnibus fere urbibus propagatam demonstrant: quae tamen omnia si afferre vellem, nimis haec nostra excresceret, iam satis in longum producta, disputatio. Proferam tamen nonnulla, quae collegit illustravitque saepe a nobis memoratus Carolus Ioseph a S. Floriano. Ac Irenaeus quidem (1), qui II. Christi saeculo floruit, testatur aetate sua, non modo qua late romanum imperium patebat Ecclesias fundatas fuisse, sed in Germania quoque, in Libya, in Oriente, apud Celtas etiam et Iberos: *Ac sicut sol,* inquit (2), *creatura Dei, in universo mundo unus et idem est, sic et lumen et praedicatio veritatis ubique lucet.* Lactantius quoque de Apostolis loquens (3): *Dispersi sunt,* inquit, *per omnem terram ad Evangelium praedicandum, sicut illis Magister Dominus imperaverat, et per annos XXV. usque ad principium neroniani imperii per omnes provincias et civitates Ecclesiae fundamenta miserunt.* Adhuc plenius et disertius Q. Septimius Tertullianus (4): *In quem alium universae gentes crediderunt, nisi in Christum, qui iam venit? Cui enim et aliae gentes crediderunt* (5), *Parthi, Medi, Elamitae, et qui habitant Mesopotamiam, Armeniam, Phrygiam, Cappadociam, et incolentes Pontum et Asiam et Pamphyliam, immorantes Aegyptum; et regionem Africae, quae est trans Cyrenem, inhabitantes? Romani et incolae; tunc et in Hierusalem Iudaei et ceterae gentes; ut iam Getulorum varietates, et Maurorum multi fines, Hispaniarum omnes termini, et Galliarum diversae nationes, et Britannorum inaccessa Romanis loca, Christo vero subdita; et Sarmatarum, et Dacorum, et Germanorum, et Scytharum, et abditarum multarum gentium, et provinciarum, et insularum multarum nobis ignotarum, et quas enumerare minus possumus? In quibus omnibus locis Christi nomen, qui iam venit, regnat; utpote ante quem omnium civitatum portae sunt apertae etc.* Subdit deinde, nulli unquam imperatori aut regi tam late porrectum imperium tributum ac Christo: non Dario, non Pharaoni, non Nabuchodonosori, non Alexandro illi Macedoni: ac demum ad Romanos ipsos gradum faciens, quorum fines Germani, Getuli, Mauri et Britanni coarctabant: *Quid* (inquit) *de Romanis dicam, qui de legionum suarum praesidiis imperium suum muniunt, nec trans istas gentes porrigere vires regni sui possunt? Christi autem regnum et nomen ubique porrigitur, ubique creditur, ab omnibus gentibus supra enumeratis colitur, ubique regnat, ubique adoratur.* Quod si sub exitum saeculi II. quando haec scripsit Tertullianus, extra ipsos romani imperii fines, in omnes fere gentes disse-

(1) Lib. I. cap. X. alias cap. III. n. 2. — (2) Iren. ὥσπερ ὁ ἥλιος, τὸ κτίσμα τοῦ Θεοῦ, ἐν ὅλῳ τῷ κόσμῳ εἷς καὶ ὁ αὐτός· οὕτω καὶ τὸ τῆς ἀληθείας κανταχῇ φαίνει. — (3) De Mortibus Persecutorum cap. II. — (4) Contra Iudaeos cap. VII. — (5) Act. cap. II. vers. 9.

minata fuerat fides, quid de romanis ipsis provinciis, quid de Italia praesertim putandum, ubi vel ipsis apostolicis temporibus Evangelii praedicatio audita fuerat? quae, non dicam ingentem ac maximam, sed quae tam exigua urbs atque ignobilis esse potuit, ubi Ecclesia constituta non fuerit? Audi ipsum Tertullianum, de fidelium multitudine per omnes imperii provincias diffusa, ita ipsos Imperatores augg. et Senatum alloquentem (1): *Hesterni*, inquit, *sumus, et vestra omnia implevimus, urbes, insulas, castella, municipia, conciliabula, castra ipsa, tribus, decurias, palatium, senatum, forum: sola vobis relinquimus templa. Possumus dinumerare exercitus vestros. Unius provinciae* christiani (2) *plures erunt*. Tum paullo post: *Pauciores*, ait, *hostes habetis prae multitudine Christianorum, paene omnium civitatum paene omnes cives christianos habendo*. Nota postrema haec verba, quibus ait; *paene cives omnes cuiusque civitatis christianos esse;* quibus ea fere similia sunt, quae habet in libro ad Scapulam (3), ubi Christianos vocat *partem paene maiorem civitatis cuiusque*. Possem Tertulliano auctorem libri de Excidio Hierosolymitano (4) adiicere, qui Hegesippi nomine venire solet; possem Cyprianum (5); possem Paulum Orosium (6) aliosque fortasse: sed ethnicos auctores duos afferre placet, Plinium, scilicet, iuniorem, et Lucianum; quorum alter sub Traiano, alter sub Hadriano floruit, saeculo scilicet Christi II incipiente. Ac ille quidem cum proconsul Ponti et Bithyniae provincias administraret, multosque ibidem Christianos reperisset, celebrem illam ad Traianum epistolam dedit (7), qua quid de ipsis agendum esset interrogat. Ibi inter alia, quae de nostris commemorat, ipsorum etiam ingentem numerum notat, ac ne in ipsos severius inquireret, ipsa eorum se multitudine deterritum dicit: *Multi enim*, inquit, *omnis aetatis, omnis ordinis, utriusque sexus etiam vocantur in periculum et vocabuntur. Neque enim civitates tantum, sed vicos etiam atque agros superstitionis istius contagio pervagata est*. Eadem de hac ipsa Ponti provincia habet Lucianus (8), apud quem sycophanta ille Alexander Abonotichites funesta quaeque eius regionis incolis vaticinatur, eo quod: *Atheis*, ait, *et Christianis refertus sit Pontus, qui non verentur in ipsum turpissime maledicere*. Haud diffiteor, haec de solo Ponto et Bithynia Alexandrum et Plinium dixisse: sed si remotae illae romani imperii provinciae ita Christianis saeculo Christi I. refertae erant, cur non idem et de Venetia, Carnia, Gallia cisalpina ceterisque provinciis romanae urbi vicinioribus credere par sit, ubi Petrus et Paulus Ecclesiam toti mundo suspiciendam constituerant, ac cuius fides vel ipsis Claudii temporibus (9) toto orbe celebrabatur?

XIV. Haec vero cum ita se habeant, liceat mihi argumentum paucis concludere. Constat ex Tertulliano, Irenaeo aliisque, II. Christi saeculo extra romani imperii fines Ecclesiam in omnes fere barbaras gentes fuisse propagatam; constat ex eodem Tertulliano, Plinio, Luciano, vel ipso I. Christi saeculo desi-

---

(1) Apolog. cap. XXXVII. — (2) Vide Havercampium in h. l. — (3) Cap. II. Vide eun. Contr. Iudaeos cap. XII. Contra. Nat. cap. I. ad Scap. cap. V. — (4) Lib. II. cap. XII. — (5) Epist. LII. — (6) Hist. lib. VII. cap. VII. — (7) Epist. lib. X. Epist. XCVII. — (8) In Pseudomante. Oper. tom. I. pag. 549. edit. Genev. anni 1563.... λέγων ἀθέων ἐμπεπλῆσθαι, καὶ χριστιανῶν τὸν Πόντον, οἳ περὶ αὐτοῦ τολμῶσι τὰ κακίστα βλασφημεῖν. — (9) Ad Rom. cap. I. v. 8. cap. XVI. v. 19.

nente, ingentem Christianorum multitudinem urbes universas, provincias, imo castella ipsa, municipia, insulas, castra romani imperii occupasse; constat singulis civitatibus potiorem civium partem saeculo II. labente christianam fuisse; inepte itaque facit Tartarottus, qui Galliae cisalpinae, Venetiae et Carniae urbes nonnisi III. vel IV. saeculo ad Christum conversas contendit. Nam cur harum provinciarum conditio deterior quam ceterarum habenda est? an illae omnibus romani imperii remotissimae erant? an ceteris rudiores atque incultiores? an exiguae tantum ac rarae in ipsis civitates reperiebantur? Quae igitur causa esse potuit, cur Evangelii lux tam cito Britannos, Celtas, Iberos, Getulos, Hispanos, Dacos, Sarmatas ac Scythas pervaderet, ad nos vero nonnisi IV. demum saeculo, et fortasse satis adulto, perveniret? An Venetos et cisalpinos Gallos inter barbaros habet? habeat per me licet: attamen et barbaris cito Evangelii fulgor illuxit. Quod si, teste Lactantio et Hegesippo, Apostoli ipsi *in omnibus civitatibus et per omnes provincias Ecclesiae fundamenta miserunt*, cur Veronae, Patavii, Vicetiae, Brixiae, Bergomi, et praesertim Aquileiae non miserint, quae urbes erant per ea tempora italicarum fere omnium ditissimae atque florentissimae; cur non in Gallia atque Venetia, romani imperii provinciis longe opulentissimis, commerciis ac populi multitudine celebratissimis, ac, quod maximum puto, ab ipsa romana urbe haud valde remotis, imo ipsi paene finitimis? An in Hispaniam usque proficisci voluit Paulus (1), Marcum vero Aquileiam mittere non potuit Petrus? At quomodo illud stabit, quod ad Romanos ipse Paulus scribit (2), Apostolos Christum omnibus gentibus praedicasse, *et in omnem terram exiisse sonum eorum, et in fines orbis terrae verba eorum*, si ne ipsam quidem Venetiam, ne ipsam quidem Galliam, tantulo terrarum tractu ab urbe Roma discretas, nec per se, nec per missos a se Evangelii praecones ad Christum vocarunt? Quid ad haec porro Tartarottus? Ait (3), exaggerata haec a Patribus fuisse, Tertulliano praesertim, cui *emphaticus stilus, et rhetorica exaggeratio satis familiaris*. Verum quis credat Tertullianum de eadem re non semel ac bis, sed quinquies aut sexies loquentem exaggeratione perpetuo uti voluisse? quis putet, illum Iudaeos ipsos et *romani imperii antistites* (4), hoc est Imperatorem ipsum et Senatum, alloquentem, hanc exaggerationem argumenti loco adhibere ausum fuisse? Equidem exaggeratio figura est rhetorica, cum res veras amplificat sine mendacio: at ubi falsa intermiscentur, ac argumenti loco ipsa assumitur, non iam figura, sed fraus appellanda; nec qui illa utatur, orator dicendus; sed veterator et sycophanta. An sycophantam Tertullianum, aut veteratorem dicet Tartarottus? equidem omnium prior, et fortasse postremus hanc illi notam inuret. Verum ita appellet, si lubet. An ita et Irenaeum vocare, et Cyprianum, et Hegesippum, et Lactantium placebit? quid de Plinio dicam et Luciano, quos nulla non modo ad mentiendum, sed ne ad rem quidem exaggerandam causa impellere potuit? quid de S. Paulo, cuius verba postremo loco protulimus? Sed quid

(1) Rom. cap. XV. v. 24. — (2) Rom. cap. X. v. 18. — (3) Diss. I. n. XXIII. diss. II. n. VIII. — (4) Vide Apolog. init.

plura moror? Iam ipse per tè vides, optime lector, quam infirma ratione sanctorum Patrum semet prementem auctoritatem amoliri conetur Tartarottus; ac proinde quid de tota illa fabula putandum sit intelligis, quae statuit, Ecclesias Venetiae non ante saeculum IV. constitui potuisse: quae si admitteretur, iam de aquileiensi Marci apostolatu actum esset atque conclamatum. Quam quidem diligentius refutare placuit, quia non iam aquileiensis Ecclesiae causa tantummodo agitur, sed Venetiae totius, Italiae superioris, Histriae, Carniae, imo Ecclesiarum fere omnium, quae ab iis, quae in sacris litteris memorantur, aliquo terrarum spatio dissitae fuerint; quarum omnium apostolicam, vel paene apostolicam originem uno ictu convellere conatur: quae enim in tridentinam et aquileiensem molitur, ea in ceteras illas omnes eodem modo conveniunt.

XV. Nunc vero hoc Tartarotti argumento prostrato, quo veluti Achille quodam maxime exultabat; facile est alia convellere, quae leviora sunt atque infirmiora. Ait (1), admisso aquileiensi Marci apostolatu, necessario sequi, Aquileiam ante Aegyptum ab eo fuisse conversam. Atqui nec hoc necessario sequitur, ut ostendimus (2), et si etiam sequeretur, nihil causae nostrae officeret. Nam licet Patres tradunt, post scriptum Evangelium Marcum Alexandriam perrexisse, non tamen ita rem unam alteri subiiciunt, ut necesse sit existimare, nullum temporis spatium inter utramque fuisse interiectum. Hoc tantum constat, prius Evangelium scriptum fuisse, deinde Marcum Alexandriam perrexisse. Opponit deinde Tartarottus (3) Hieronymi, Eusebii et Ruffini silentium. De Eusebio et Hieronymo iam dixi (4): quod vero pertinet ad Ruffinum, quo ille tandem loco de Marco loqui debuit? in historia, inquit, ecclesiastica. Atqui, inquam, illam ex graeco Eusebii convertit. Sed, subiicit, et alia adiecit Eusebio; cur non et Marci missionem aquileiensem? praeclara sane animadversio, perinde ac si Ruffinus, quaecumque nosset, adiicere debuerit versioni suae. Adiecit profecto quae voluit, pauca tamen, et quae relatu digna existimaret; inter ea vero Marci ad Aquileiam adventum nequaquam recensuit, ne eadem de causa, quas urbes Apostoli ceteri adierint, referre universas cogeretur. Silentio Ruffini, Cyrilli quoque alexandrini (5), Gregorii Papae (6) et Petri Damiani (7) silentium adiungit; valde enim huic argumento tribuere solet, quod tamen non admodum efficax esse potest, nisi certissimae atque necessariae causae adiiciantur, ob quas qui silent compelli ad loquendum debuerint. Cur itaque loqui debuit Cyrillus? quia Marci successor cum esset, Marci gesta probe nosse debuit; ac proinde Iuliano τῷ παραβάτῃ cavillanti, quod christianum baptisma neminem a lepra mundaverit, respondere, id a Marco praestitum fuisse, qui, ut acta S. Hermagorae habent (8), Athaulphum leprosum Aquileiae mundavit. Vide quanta peccet hoc loco Tartarottus. Debuit Cyrillus ea nosse, quae in iis actis habentur; quae ipse quoque subdititia esse concedit: ac si ea etiam pro veris admittantur, debuit Cyrillus, quia Marci in alexandrino episcopatu successor, universa Marci miracula, toto orbe patrata, non

(1) Diss. I. n. XVII. diss. II n. XLI. — (2) Supr. n. XIII. infr. cap. XV. n. III. — (3) Diss. I. n. XVI. diss. II. n. XL. — (4) Supr. cap. XIV. n. XIII. — (5) Diss. II. n. XLVII. — (6) Ibid. — (7) Ibidem. — (8) §. 3.

modo nosse, verum, ubi opportunum nactus esset locum, etiam referre. Haec quis illi criticus unquam concedet? Veniamus ad Gregorium. Scribens ad Eulogium alexandrinum beatus pontifex (1), haec habet: *Cum multi sint Apostoli, pro ipso tamen principatu, sola Apostolorum principis sedes in auctoritate convaluit, quae in tribus locis unius est. Ipse enim sublimavit sedem, in qua etiam quiescere et praesentem vitam finire dignatus est. Ipse decoravit sedem, in qua Evangelistam discipulum misit. Ipse firmavit sedem, in qua septem annis quamvis discessurus sedit. Cum ergo unius, atque una sit sedes, cui ex auctoritate divina tres nunc episcopi praesident etc.* Haec ille. Quid itaque Tartarottus? Apertum est, inquit, hic de Roma, Antiochia, et Alexandria sermonem esse, quas ita extollit Gregorius, quod illae quidem ab ipso Petro, postrema vero a Marco Petri discipulo fundata fuerit. At si etiam aquileiensis episcopatus Marcum habet auctorem, cur non et illum commemorat? quia, inquam, non id propositum erat Gregorio, ut universas Ecclesias a Petro et Marco erectas recenseret; sed tantum ut ostenderet, tres illas patriarchalem dignitatem a Petro adeptas esse. Nam si Tartarotti argumentum valeret, sequeretur, Petrum praeter tres illas nullam aliam Ecclesiam nec per se nec per discipulos suos fundasse, quod certe est absurdissimum. Cum itaque negari non possit, Petrum et alias Ecclesias constituisse, licet tres tantum Gregorius enumeret, quid hic locus aquileiensi officere potest? Venio ad Petrum Damiani. Equidem ille nihil habet omnino de Marci apostolatu, quamvis multa apud ipsum occurrant loca, ubi commode de illo agere poterat, praesertim in tribus illis sermonibus, quos de sancti Evangelistae laudibus eleganter conscripsit (2). Id vero unde potissimum factum fuerit, divinare non ausim. Nam quae de hac re ab Aquileiensibus traduntur Damiani aetate, pervulgatissima fuisse dubitari non potest. Floruit siquidem saeculo Christi XI. quo tempore, etsi daremus, traditionem hanc ineptam esse atque mendacem, tamen quinque integra saecula effluxerant, ex quo illa fuerat excogitata; quod nec ipse Tartarottus diffitetur. Cur igitur nihil de ipsa Damianus? an quia nihil de illa unquam audierat? id vix fieri potuisse credo, cum per ea tempora esset pervulgatissima (3), ut ex allatis superius scriptorum testimoniis pervinci potest. An quia de eius αὐθεντίᾳ ac sinceritate dubitaret? Verum cum nemo per ea tempora illam in dubium revocaret, non is erat Petrus Damiani, qui aut communem ac pervulgatissimam sententiam temere convellere auderet; aut ita perspicax et eruditus, ut solus in tanta eius saeculi barbarie ea momenta perviderit, quibus aliquo modo antiqua haec traditio oppugnari potest. Nam hominem satis credulum, nec admodum in criticis exercitatum, ex aliis eius operibus satis liquet. Si itaque nec rem ignorare, nec quicquam illi cur eandem reiiceret, obiici potuit, cur praetermisit indictam? fateor id me nescire iuxta cum ignarissimis. Fortasse ipsam commemorare non subiit: fortasse rem consulto dissimulavit, quia nihil id ad honorem venetae urbis pertinebat: fortasse

(1) Lib. VII. Epist. XL. — (2) Serm. XIV. XV. et XVI. — (3) Vide supr. cap. XIV. num. V. et seqq.

ne gratificaretur patriarchis aquileiensibus, quos inter et venetos acerbissimae inimicitiae intercedebant. Denique nihil de ea re dixit, quia non S. Marci vitam, sed homilias in eius laudem scribendas susceperat; quemadmodum multa et de aliis sanctis Apostolis ac Martyribus tacuit, quae certa tamen habebat et explorata: neque enim omnia in huiusmodi sermonibus dicere necesse est. Ineptum est autem, ex huiusmodi silentio, ad rei alicuius gestae fidem labefactandam argumentum deducere, quae multis aliis de causis potuit dissimulari.

Atque haec utriusque tartarottianae disputationis summa est; in qua refutanda si diutius fortasse morati sumus, meminerit, quaeso, lector humanissimus, cum eo nobis adversario dimicandum fuisse, qui eruditissimus cum esset atque acutissimus, non uno certe ictu prosterni poterat, sed longa tantum accurataque ratione erat refellendus. Claudicat quidem ille nonnunquam; ac ut ei necessario evenire solet, qui malam causam suscepit, caespitare videtur atque haerere: disputat tamen fortissime, ac sese callide perpetuo tuetur, nonnisi multa vi ac labore prosternendus. Utcumque tamen se habeat res; quae ipse affert contra aquileiensem Marci apostolatum, ea a nobis universa satis valide disiecta esse confidimus; licet non eum ordinem secuti simus, quo ipsi in suis dissertationibus uti placuit. Nam, ne ipsum pede presso perpetuo sequeremur, brevitatis simul et perspicuitatis amor fecit. Porro quae contra Marci et Hermagorae acta profert, tum quae contra aquileiensis Ecclesiae monumenta longa oratione disputat satis prolixe, indicta praetermisimus: non enim omnes Aquileiensium recentes incertasque traditiones tueri decrevimus: sed hoc unum ostendere, venetum Marci apostolatum non esse recens commentum, ac ad fabulas ablegandum; niti illum, sin minus certissimis atque indubitatis, maxime tamen probabilibus argumentis; nihilque unquam contra illum allatum fuisse, quod eam, quae de illo apud Aquileienses traditio est, evidenter destruat atque convellat.

CAPUT XV.

ORDO ACTORUM B. MARCI BREVITER PERSCRIPTUS AD EA, QUAE DE LIBYCA ET ALEXANDRINA MISSIONE DICENDA SUNT.

I. *Veterum dissidium in annis Marci evangelistae distribuendis.* II. *Probabile est Marcum non semel, sed bis in Aegyptum profectum.* III. *Proponitur probabilis actorum S. Marci χρονόταξις.* IV. *Eadem χρονόταξις argumentis munitur.*

I. Sanctum Marcum Aegyptiis universis, vicinisque gentibus Evangelii lucem attulisse, alexandrinam quoque Ecclesiam fundasse, primumque omnium patriarchalem illam sedem tenuisse, tot ac tantis constat veterum testimoniis, ut quicumque aegyptiam sancti Evangelistae missionem in dubium revocare velit, hunc delirum prorsus et amentem esse necesse sit. Attamen ut de re, non item constat de tempore, criticis in varias sententias abeuntibus; quod profecto in tanto

veterum scriptorum et historicorum dissidio contingere debuit; quos inter qui citius eius in Aegyptum adventum reponunt, illum postremis Tiberii temporibus adsignant; qui serius in septimum Neronis annum producunt. Quod quidem tempus universum cum fere annorum XXV. spatium complectatur (siquidem Christi anno XXXVII. iuxta Usserium obiit Tiberius, post quem Caius annis IV. p. m. Claudius annis XIII. et mensibus fere IX. imperarunt, quibus si addas VII. Neronis annos, existunt anni p. m. XXV.) cum, inquam, tot annos spatium illud complectatur, profecto non ita pronum est, certam eius missionis epocham constituere. Ac extrema quidem Tiberii tempora memorant Basilii Menologium (1), Menaea Graecorum (2), Menologium alterum Melchitarum (3) et Synaxarium quoddam satis vetustum a Sollerio commemoratum (4), ubi legitur: *Temporibus Tiberii caesaris Christi verbum praedicavit;* quod certe de postremis Tiberii temporibus accipi debet, cum inter Christi resurrectionem et eius Imperatoris mortem nonnisi triennium intercesserit, Usserio teste (5), cuius chronologiam nunc in omnibus sequi placet. At chronicon alexandrinum (6) quadriennio serius id evenisse tradit, anno, scilicet, Caii caesaris III., Christi iuxta Usserium XXXIX. (7). Eusebius vero in chronico, quale nuper ex armenio codice edidit v. cl. meique peramantissimus Io. Bapt. Aucher monachus et doctor mechitarista, Eusebius, inquam, (8) Marci in Aegyptum adventum refert ad annum Claudii primum, hoc est, iuxta Usserium (9), ad annum Christi XLI.; licet in latinis Eusebii exemplaribus (10) ad annum eiusdem Claudii III. Christi vero XLIII. imo et XLIV. (11) proferatur. Hunc vero ipsum Claudii annum primum Georgius Syncellus in chronographia (12) aegyptiae Marci missioni adscribit, licet alexandrinum eiusdem episcopatum ad annum Claudii X. referat (13), quod cuiusmodi sit paullo infra dicemus. Rursus in annum Claudii IV, Christi XLIV. reiiciunt monumenta coptica a Bonjour vulgata (14), ita enim habent de Marco: *Et promulgavit illud,* h. e. Evangelium, *in civitate Racoti,* seu Alexandriae, *et omnibus finibus eius anno IV. regni Claudii, post assumptionem Salvatoris anno XII.* Nihil moror annum XII, qui non quarto, sed sexto Claudii anno responderet: neque enim in huiusmodi supputationibus magnopere Orientalibus fidendum esse admonuere haud semel Sollerius (15) et Renaudotius (16). At illud potius animadversione dignum, chronicon orientale (17), Severum patriarcham alexandrinum (18) aliosque (19) tradidisse, Apostolos, antequam Hierosolymis abscederent, provincias sortitos fuisse, quis cui Evangelium afferre deberet; atque in ea sortitione Marco Aegyptum et Alexandriam obtigisse.

---

(1) Ad diem XXV. April.—(2) Ad diem XXV. April.— (3) Apud Sollerium Hist. Patriarch. Alex. §. I. n. 51.— (4) Diss. praev. ad seriem Patriarch. Alexand. apud Bolland. init. t. V. Iunii §. I. n. 3. κατὰ τοὺς χρόνους Τιβερίου Καίσαρος τὸν Χριστοῦ λόγον ἀνεκήρυξε. — (5) Ad annos Christi XXXIV. et XXXVII. h. e. Mundi 4037 4040. — (6) Ad Olymp. CCIV. anno III. — (7) Usser. ad A. M. 4042. — (8) Ad ann. Abrahae 2037. — (9) Ad ann. 4044. — (10) Ad ann. Abrah. 2039. — (11) Vide Vallarsium ad illum locum. — (12) Ad ann. 5540. Vide tamen supr. c. VIII. n. 2. — (13) Ad ann. 5550. — (14) Num. XV. pag. 17. — (15) Diss. praev. ad Hist. Patriarch. Alex. §. 1. etc., apud Bolland. tom. V. Iunii. — (16) Hist. Patriarch. Alex. in Marc. pag. 3. — (17) Init. in vit. S. Marci. — (18) Apud Renaud. Hist. Patriarch. Alex. in Marco. — (19) Apud Soller. loc. cit. §. II. n. 15.

Porro ex antiquissima traditione, quam ex Clemente (1) et Apollonio (2) retulimus alio loco (3), Apostoli, XII. post Christi mortem anno, hoc est, aerae christianae XLV. divisi sunt: fit inde, ut iuxta laudatos scriptores nonnisi illo anno missionem suam aggressus fuerit Marcus, licet Alexandriam ipsam nonnisi anno Neronis VII. Christi LXI. Marcum adiisse tradat eiusdem chronici auctor, cum interim Pentapoli, Nubiae, Libyae et Aethiopiae in Christi fide erudiendis insudasset. Sed ibi nimis in longum missionis alexandrinae tempora protrahuntur: quae vix ad ipsum Christi annum XLIX. cum Eutychio (4), aut ad summum ad annum LIII. cum Elmacino (5) differenda sunt. Ceterum si Basilii Menologium, quod omnium citissime, cum orientali chronico, quod omnium tardissime, Marci missionem collocat, conferas; iam, ut diximus, XXV. annorum spatium interiectum reperies. At in tanta auctorum discrepantia, ecquis unquam confidat, se quod verissimum sit extundere posse? Certe ille et effrons sit et insanus oportet, qui in re tam perplexa aliquid pro certissimo ac exploratissimo audeat venditare.

II. Itaque coniecturis in re tam incerta atque impedita utendum: quas inter cum plurimas attulerint viri eruditi, mihi prae ceteris illa placet, quam secutus est Sollerius (6); a quo si quid in annis supputandis dissentio, id Usserii chronologiae, quam ipse sequor, tribuendum est, cum ille aliam secutus fuerit. Attamen quamcumque annorum supputandorum methodum sequaris, sive petavianam, sive usserianam, sive aliam quamlibet, eodem res recidet: dummodo non ad aerae christianae tempora, sed ad Romanorum Imperatorum annos rationes exigas. Nam in annis illis cum aerae nostrae annis conciliandis, non convenit inter chronologos: at in cuiusque imperii duratione statuenda omnes consentiunt. Porro omnis tollitur difficultas, ac variae scriptorum epochae facile conciliantur, si Marcum non semel, sed bis in Aegyptum perrexisse cum Sollerio constituas. Certe illum non semper ibidem constitisse, sed ultro citroque ad Petrum commeasse, ipse Tillemontius (7) fassus est, licet hinc praesidium nescio quod aquileiensi missioni parari intelligeret, quam tamen oppugnare conabatur. Atqui hoc ipsum cum ex Basilii Menologio, tum ex Syncello deprehendi potest. *Marcus,* inquit Menologium (8), *divinus Christi Apostolus, post assumptionem D. N. I. C. in universa Libya, et Aegypto, et Pentapoli, imperante Tiberio caesare, Christi verbum praedicavit: scripsit autem, Petro Apostolorum principe dictante, Evangelium, quod eius nomine inscribitur. Alexandriae autem episcopus consecratus, Christi Ecclesias ordinavit, episcopos consecrans per omnem Aegypti ditionem, verbumque fidei augens.* Vides hic inter missionem aegyptiam, et alexandrini episcopatus consecrationem distingui: inter utramque vero Evangelii scriptionem

---

(1) Strom. lib. VI. cap. V. — (2) Apud Euseb. Hist. Eccl. lib. V. cap. XVIII. — (3) Supr. cap. VIII. n. IX. — (4) Apud. Renaud. loc. cit. — (5) Ibidem. — (6) Loc. cit. — (7) In Marco. tom. 2. — (8) Ad diem XXV. April. Μάρκος ὁ τοῦ Χριστοῦ θεῖος Ἀπόστολος μετὰ τὴν ἀνάληψιν τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ ἐν πάσῃ τῇ Αἰγύπτῳ, καὶ Λίβυῃ, καὶ Πενταπόλει, ἐπὶ τῆς βασιλείας Τιβερίου Καίσαρος τὸν τοῦ Χριστοῦ ἐκήρυξε λόγον. Συνεγράψατο δὲ καὶ τὸ κατ' αὐτὸν ἅγιον Εὐαγγέλιον, Πέτρου τοῦ κορυφαίου τῶν Ἀποστόλων ἐξηγησαμένου αὐτῷ. Χειροτονηθεὶς δὲ Ἐπίσκοπος Ἀλεξανδρείας, ἐκόσμει τὰς τοῦ Χριστοῦ Ἐκκλησίας, χειροτονῶν Ἐπισκόπους κατὰ πᾶσαν ἐπαρχίαν Αἰγύπτου, καὶ αὐξάνων τὸν λόγον τῆς πίστεως.

interponi. Pari modo ad annum Claudii I. Syncellus (1): *Marcus evangelista,* inquit, *in Aegypto et Alexandria salutare verbum annuntiat.* Ad annum vero Claudii X. vel XI. (2) *Alexandriae episcopus Marcus;* ubi licet vox *Marcus* in graeco textu exciderit, sufficiendam esse tamen patet ex eo, quod deinde ad annum Neronis I. (3) subiicit: *Alexandrinae Ecclesiae post Marcum evangelistam primus ordinatus est episcopus Annianus, qui praefuit annis XXII.* Non sum nescius, Syncellum et Marci missionem non tam ad I. Claudii annum referre, quam inter I. et VI. concludere: et iterum verba illa, *Alexandriae episcopus Marcus,* non tam ad X. Claudii annum pertinere, quam inter X. et XIII. collocari: nam utrinque intermedii anni omittuntur (4): at hoc nihil ad me: satis interim mihi est, Syncellum etiam inter missionem et alexandrinum Marci episcopatum distinguere. Nec aliter de auctore chronici alexandrini dicendum. Collocat ille, ut innuimus, aegyptium Marci adventum sub anno Caii III. hoc est, ut ipse supputat, sub anno III. Olympiadis CCIV. At idem ad annum I. Olympiadis CCVI. refert (5): *Matthaeum omnium primum Evangelium Hierosolymis conscripsisse,* hoc est, sexennio post: fit inde, ut ipse statuat, Marcum, antequam Evangelium scriberet, perrexisse in Aegyptum: siquidem nonnisi post Matthaeum ille scripsit. Atqui Marcus, ut ostendimus (6), Evangelium suum Romae exaravit: superest igitur, Marcum, postquam in Aegypto fuerat, Romam perrexisse; adstitisse ibidem Petro apostolo, eidemque *interpretis* ministerium exhibuisse: scripsisse deinde Evangelium, eoque a Petro probato atque confirmato, iterum in Aegyptum reversum esse; ibique XXII. illos annos explevisse, quos episcopatui eius adsignat (7) idem chronici auctor; consentiente, ut modo vidimus, etiam Syncello. Nisi forte quis putet, auctorem chronici existimasse, Marcum in Aegypto Evangelium scripsisse, quod tamen universae antiquitati repugnat, quae uno ore tradit, id Romae ab eo factum esse, idque prius quam in Aegyptum proficisceretur, id est, iuxta nostram hypothesin, priusquam Alexandriam, non amplius inde discessurus, reverteretur (8). Sed et Epiphanius (9), Marcum statim post Christi ascensionem Aegyptiis praedicasse, tradit his verbis: *Cum itaque tunc temporis Iesaei dicerentur* (Christiani) *paulo post ascensionem Salvatoris, cum Marcus Aegypto praedicasset, eodem tempore quidam prodiere etc.* Attamen idem Epiphanius alio loco (10), Evangelium a Marco Romae scriptum fatetur, et deinde illum in Aegyptum a B. Petro missum fuisse: quae sibi profecto constare non possent, nisi duplex sancti Evangelistae in Aegyptum adventus admittatur.

III. Hisce positis, sic fere Marci tempora distribuenda esse existimo. Anno aerae christianae XXXVII. post Christi ascensionem III. aut IV. quo anno Tibe-

---

(1) Ad ann. 5540. Μάρκος ὁ Εὐαγγελιστὴς ἐν Αἰγύπτῳ καὶ Ἀλεξανδρείᾳ τὸν σωτήριον λόγον εὐαγγελίζεται. — (2) Ibid. ad ann. 5550. Ἀλεξανδρείας Ἐπίσκοπος.... ἔτη.... — (3) Ad ann. 5553. Τῆς Ἀλεξανδρείας Ἐκκλησίας μετὰ Μάρκον τὸν Εὐαγγελιστὴν πρῶτος Ἐπίσκοπος ἐχειροτονήθη Ἀνιανός, ὃς προέστη ἔτη κβ'. — (4) Vide supr. cap. VIII. n. 2. — (5) Chr. Pasch. loc. cit. Ματθαῖος πρῶτος ἐκεῖ εἰς Ἱεροσόλυμα γράφει τὸ Εὐαγγέλιον. — (6) Supr. cap. VII. num. 1. et seqq. — (7) Olymp. CCIV. ann. 3. — (8) Vide supr. cap. VIII. n. IV. et seqq. — (9) Haeres. XXIX. n. V. Ὡς οὖν τότε ἐκαλοῦντο Ἰεσαῖοι, ἐπ' ὀλίγῳ χρόνῳ μετὰ τὴν ἀνάληψιν τοῦ Σωτῆρος, καὶ Μάρκου τῇ τῶν Αἰγυπτίων χώρᾳ κηρύξαντος κατὰ τοὺς χρόνους τούτους τινὲς ἐληλύθασι πάλιν κ. τ. λ. — (10) Haeres. LI. n. VI.

rius obiit, missus ab Apostolis Marcus fuit in Aegyptum et Pentapolim, ut illis gentibus, et Iudaeis praecipue inter gentes illas degentibus, Evangelium praedicaret. Vix enim puto fieri potuisse, ut Apostoli regionum illarum, quae Palaestinae finitimae paene erant, innumerisque Iudaeis refertae, missionem in X. usque post Christi ascensionem annum differrent, cum demum iuxta superius allatam ex Clemente traditionem per totum orbem dispersi sunt: praesertim cum continens cum illis esset Iudaeorum palaestinorum commercium, facilisque prorsus hinc inde transitus, maritima via. Ideo autem ad gentes illas Marcum misere, quod origine fortasse cyrenaeus esset (1); unde etiam illud accidit, ut prius Cyrenaeis aliisque Pentapoleos civitatibus Evangelium nuntiaret, quam Alexandriam et Aegyptum ingrederetur. Nam pentapolitanam missionem, ut videbimus (2), alexandrinae ac aegyptiae omnes fere anteponunt. Cum vero triennio in cyrenaico illo apostolatu, vicinisque regionibus illustrandis insumpsisset, demum Christi anno XL. Caii caesaris III. aut IV. Alexandriam profectus, celeberrimae illius Ecclesiae fundamenta iecit, ibidemque triennio aut quadriennio moratus, ceteras quoque Ecclesias Aegypti magna ex parte constituit. At cum Claudii anno III. aut IV. hoc est, Christi XLIII. aut XLIV. Petrus Romam profectus esset (3), Marcum ex Aegypto vocatum secum assumpsit, qui illi *interpretis* officium per aliquot annos exhibuit, fortasse usque ad annum Claudii IX. Christi vero XLIX. quo anno Iudaeos universos Roma excedere (4) iussit Claudius. Dum autem apud Petrum moraretur, Evangelium conscripsisse (5), et ab ipso Aquileiam missum fuisse (6), non dubito; ubi cum ultra biennium fuisset, ad Petrum reversus anno circiter Claudii IX. ab eodem Apostolorum principe iterum in Aegyptum anno eiusdem Caesaris X. Christi L. cum Apostoli potestate legatus est. Quamvis nec illud absurdum putaverim, si quis diceret, Marcum Petro perpetuo usque ad annum Claudii IX. adhaesisse: eo vero anno, cum Roma excedere, utpote qui iudaeus esset, cogeretur, venisse Aquileiam; deinde duobus annis et dimidio transactis (siquidem huiusmodi tempus aquileiensi missioni historici nostri (7) adscribere solent) adiisse iterum Petrum sive alibi, sive Romae morantem, ab eodemque iterum in Aegyptum missum fuisse. Ceterum sive X. Claudii anno, sine XIII. hoc est Christi LIII. in Aegyptum reversus fuerit, tenuit ille alexandrinam sedem usque ad Christi annum LXII. Neronis vero imp. VIII. quo anno, martyrio facto, ad superos evolavit. Haec omnium optima annorum sancti Evangelistae χρονόταξις nobis videtur, quam magna ex parte a Sollerio (8) acceptam, acceptis etiam ab eo magna ex parte momentis, firmare iuvat.

IV. Ac primum animadverto, omnia in hac hypothesi sibi optime convenire, nihilque fere de Marco ab antiquis traditum esse, quod non suum in hac annorum distributione locum obtineat. Nam Marci missionem ad extrema Tiberii tempora referunt Menaea, Menologium Basilii et Synaxarium a Sollerio relatum (9): et ab

---

(1) Supr. cap. I. n. 1. — (2) Cap. seq. n. 1. — (3) Supr. cap. VIII. n. IX. X. XI. — (4) Supr. cap. VIII. n. III. et IV. — (5) Ibidem. — (6) Cap. praecedenti. — (7) Cap. praec. n. I. — (8) Diss. praev. ad Histor. Patriarch. Alex. §. II. — (9) Supr. n. I.

extremis etiam Tiberii temporibus in nostra hypothesi Marci missio ducit exordium. Missionem alexandrinam in annum Caii caesaris III. differt chronicon alexandrinum (1): et in annum illum et nos reiicimus, veterum scriptorum auctoritatem secuti (2), qui Marcum nonnisi post peragratam Libyam, Marmaricam et Pentapolim, urbem illam adiisse tradiderunt. Porro alexandrinae missioni III. aut IV. annorum spatium tribuimus: quandoquidem tum Ecclesiae illi constituendae tempus illud sufficere potuit, tum etiam Therapeutis vel adunandis, vel convertendis, si tamen illi a Marco adunati sunt; qua de re inferius disputabimus (3). At admisso interim quod christiani fuerint, quemadmodum Hieronymo visum est (4), et a Marco instituti, iam nulla inde in nostram hypothesin difficultas moveri potest, ex eo quod de illis locutus fuerit Philo iudaeus (5), qui cum ad Claudii tempora vitam produxerit, imo legatione ad Claudium (6) functus fuerit, potuit sub Claudio referre, quae iam antea sub Caio Caligula Alexandriae fuerant instituta. Sequitur romanum Marci iter cum Petro, quod cum III. aut IV. Claudii anno adsignamus, satis consentanea iis tradimus, quae superius de itinere illo, scriptoque Romae Evangelio operose demonstravimus (7): tum aquileiensis missio, cuius locus anceps a nobis statuitur, utpote quae satis commode duobus locis possit assignari. Nam si ante Claudii edictum, de Iudaeis urbe expellendis, cum Sollerio illam colloces, cum inter Marci Romam adventum et edictum illud anni VI. aut saltem V. intercedant, nihil inde vetat, biennium p. m. decerpere, quod aquileiensi missioni tribuas: si vero ab ipsa Iudaeorum expulsione missionis eiusdem exordium capias, nil iterum prohibet post integrum biennium p. m. et Petrum et Marcum reversos Romam fuisse; cum edictum illud sub ipso Claudio obliteratum fuerit, ut patet, ex epistola ad Romanos, sub Claudio, aut saltem sub ipsis neroniani imperii exordiis conscripta (8); ubi Paulus Iudaeos nonnullos Romae degentes salutat (9), eosque inter Aquilam et Priscillam (10), quos tamen, edicto illo Roma pulsos, Corinthum venisse Apostolorum Acta (11) testantur. Quamquam nec illud ostendi posse crediderim, Marcum, ubi secundo venit Alexandriam, Roma revera esse digressum, ac recto itinere in Aegyptum pervenisse; cum fieri possit, quod duplex illud, et de aquileiensi Ecclesia constituenda, et de reversione in Aegyptum, mandatum a Petro simul acceperit; ille vero Roma digressus primum Aquileiam perrexerit; tum, Ecclesia illa fundata, Alexandriam recte navigaverit. Sive tamen statim post Claudii edictum, sive biennio aut triennio post, Alexandriam advenisse illum existimes, habes qui tibi inter antiquos suffragentur. Nam annum Claudii IX. sive X. hoc est Christi XLIX. Marci adventum refert Elmacinus (12): ad annum vero Claudii XIII. Christi LIII. Eutychius (13). Quod vero attinet ad B. Evangelistae mortem, eam haud inconsulto

(1) Ibid. — (2) Vide cap. seq. n. I. — (3) Infr. cap. XVIII. — (4) De viris illustr. n. VIII. et XI. — (5) Opusc. *de vita contemplat.* pag. 889. Edit. Paris. — (6) Hieron. de viris. illustr. n. XI., Phot. cod. CV., Suidas in Philone etc. — (7) Supr. cap. VIII. n. IV. et seqq. — (8) Supr. cap. VIII. num. 7. — (9) Cap. XVI. — (10) Ibid. v. 3. — (11) Act. Apost. XVIII. v. 1. — (12) Supr. n. I. — (13) Ibid.

sub anno Neronis VIII. Christi LXII. collocamus, quamvis nonnulli dissentiant. Imo nec illam anteponi ullo modo posse, nec differri, suo loco ostendemus (1). Quo posito, iam universus S. Marci apostolatus, ab eius prima in Pentapolim profectione ad obitum usque, XXV. annorum spatio continetur; qui anni illi ipsi sunt, inter quos antiqui scriptores aegyptiae missionis annum conclusere, licet in illo statuendo, immane quantum, discrepant inter se. Quibus si tres illos priores demas, quos in Evangelio Libybus, Pentapolitis et Cyrenaeis praedicando consumpsit, et ab initio alexandrinae praedicationis exordium ducas, iam XXII. illi anni supererunt, quos alexandrino Marci episcopatui Chronici Paschalis Auctor, et Syncellus adscribunt (2). Vides itaque nihil esse in nostra hypothesi, quod vel antiquis monumentis, vel inter se ullo modo repugnet: ex quo efficitur, licet ostendi non possit, haec omnia eo ordine evenisse quo a nobis digeruntur, evenire tamen potuisse, constare: maximeque falli, qui ea, quae de Marco in Actis narrantur, praesertim vero aquileiensis eiusdem missio, chronographicis supputationibus repugnare, commenti sunt.

CAPUT XVI.

DE LIBYCA MISSIONE S. MARCI.

I. *Libycae missionis quid veniat. Eius missionis acta iamdiu intercidere.* II. *Quam late pateat ea missio. Regionum in ea memoratarum descriptio.*

I. Nunc annorum marciani apostolatus serie digesta, iam de Libyca eius missione loquendum; quam licet ex iis, quae diximus capite praecedenti, aquileiensi anteponendam, quemadmodum et aegyptiam, putemus; optime tamen post aquileiensem collocamus, quod cum alexandrina coniuncta sit, quae non modo ante italicum iter, sed post illud etiam, sanctum Evangelistam ad mortem usque detinuit. Libycae autem missionis nomine non qua Libyam convertit tantum intelligo, sed qua alias quoque Aegypto et Libyae finitimas Africae gentes; praesertim quae ad meridiem vergunt, quibus omnibus christianae fidei rudimenta Marcum tradidisse, universa retro antiquitas testata est. Dolendum tamen, magnae illius missionis acta penitus intercidisse; nec, praeter nomina regionum a Marco peragratarum, vix aliquid aetate nostra superesse. Equidem in historia patriarcharum alexandrinorum, quae orientali chronico ab Ecchellensi edito adiecta est, haec de missione illa leguntur (3): *Tempore dispensationis Domini nostri Iesu Christi, post eius ascensum in caelum, cum divisae essent inter Apostolos provinciae, in quibus sacrosanctum praedicarent Evangelium, obtigit Marco evangelistae, ut pergeret in Aegyptum, Alexandriam, Pentapolim occidentalem, Aethiopiam et Nubiam. Roma igitur egressus Marcus, Pentapolim primum petiit,*

(1) Infr. cap. XX. — (2) Supr. n. II. — (3) Initio.

annuntiavitque in omni eius ditione, multis editis miraculis: nam leprosos mundavit, daemones eiecit, aegros sanavit. Quare multi per ipsum crediderunt, et baptizati sunt. Hic ad alexandrinam missionem transit historicus; eaque narrata, Marcum *in Pentapolim rediisse, ibique biennio moratum fuisse,* dicit; *Evangelium praeterea annuntiasse, sacerdotesque consecrasse.* Eadem totidem fere verbis legere est in Actis S. Marci mss. saeculi XIV., quae extant apud me. Verum praeterquamquod temporum rationes utrinque ita turbatae sunt, ut certi nihil extundere liceat; ea praeterea referunt, quae etiam sine narratore coniectare quisque facile poterat; cum omnibus omnino Apostolis communia sint. Nec maior ex graecis, aut latinis actis (1) affulget lux: in quibus multa de illarum gentium perditis moribus ac nequitia referuntur, interque cetera, quod *suffocata manducarent;* quod nempe graecum ac certe orientale sapit ingenium. Addunt, plurimos convertisse Marcum ad Christum, eorumque mores in melius reformasse: apud eos vero mansisse, donec, angelo monente, *ad Phanum Alexandriae,* sive, ut melius habent graeca, *ad Pharum Alexandriae,* εἰς τὴν Φαρείτην Ἀλεξάνδρειαν, proficisci debuit. Alexandrina vero Ecclesia constituta, iterum in Pentapolim perrexisse, episcopos et diaconos ordinasse, et qui antea crediderant, in fide Christi Iesu confirmasse: denique, biennio apud eosdem transacto, denuo Alexandriam rediisse. Haec fere sunt, quae de prima illa Marci missione in Actis traduntur, quae praeterquamquod levia sunt, et, ut dixi, communia, hoc etiam habent proprium, quod solam Pentapolim respiciant; cum tamen ad alias etiam provincias, totius antiquitatis testimonio, perrexisse sanctum Apostolum certum sit; Marmaricam puta, Libyam, Ammoniacam, ut omittam Bethaniam et vicina Bethaniae loca, ubi Evangelium, antequam Palaestina egrederetur, illum annuntiasse, tradit apud Renaudotium Severus (2).

II. Cum itaque missionis illius Acta penitus interciderint, satius erit, si quas ille regiones praedicatione sua illustravit, eas breviter perlustremus: ut ubi, quam late pateant, animadverterimus, statim intelligemus, cur illum Apostolis antiquitas comparaverit, ipsumque illi *Apostoli* nomen tribuerit (3). Ac *Pentapolin* quidem anonymus eius vitae scriptor (4) commemorat, eique subscribit Dorotheus, vel quisquis ille sit, cuius verba in marciani Evangelii fronte Dorothei nomine exhibent Theophylactus et Millius. *Libyam* Procopius (5) et Melchitarum Menologium (6) recensent; *Pentapolin* simul et *Libyam* Menologium Basilii Porphyrogennetae (7) et auctor Synopseos Sacrae Scripturae Athanasio tributae (8). Addunt *Africam et Aethiopiam* coptica monumenta, edita a Guillelmo Bonjour (9); *Marmaricam et Ammoniacam* Simon metaphrastes (10), Beda (11), Notkerus (12), Ado Viennensis (13), Acta graeca et latina (14); *Aethiopiam et Nubiam,* ut modo

---

(1) Apud Bollandianos die XXV. April. et in app. — (2) Hist. Patriarch. Alex. in Marco. — (3) Supr. cap. V. — (4) Apud Sollerium Hist. Patriarch. Alex. in Marco. Parergo I. n. 51. — (5) Encom. in S. Marcum. num. VIII. apud Bolland. Append. ad tom. III. April. — (6) Apud Sollerium loc. cit. — (7) Ad diem XXV. April. — (8) Num. LXXVI. — (9) Num. XIV. — (10) In Vita S. Marci. — (11) In Martyr. ad diem XXV. April. — (12) In Martyr. etc. — (13) In libello de festivit. sanct. et in Chronico ad annum Christi XLV. — (14) Apud Bollandian. ll. cc.

vidimus, chronicon orientale. Enimvero universas regiones illas describit accurate Ptolemaeus geographiae libro IV. (1), ac in tertia Africae tabula conspiciendas exhibet, ita ut, addita Aegypto, quam fere totam, ut dicemus (2), sanctus Evangelista lustravit, universa provincia illi ab Apostolis commissa, ultra MDCCC. passuum M. in longitudinem ab ortu in occasum porrigatur; pateat vero in latitudinem ab austro in septentrionem ultra passum M. fere DCCC. Nec tamen putaverim, universas illas regiones Marcum per se adiisse; sed, apostolica usum auctoritate, Evangelii praecones a se eruditos longe lateque misisse, ac per ipsos constituisse Ecclesias, presbyteros et diaconos ordinasse; quod et in Occidente fecisse Petrum Apostolorum principem perpetua traditione proditum est. Ceterum certum est, alexandrinos episcopos vel ante ipsam nicaenam synodum patriarchale ius in Aegyptum, Libyam et Pentapolin exercuisse: idque ex *antiqua consuetudine* (3), quae profecto non aliunde repetenda est, nisi ex eo, quod gentes illae ab alexandrinis episcopis, et a Marco praesertim, Evangelii lucem accepissent. Cum autem *Marmarica, Ammoniaca* Pentapoli Libyaeque sint interiectae; *Africa proprie dicta* Pentapoli finitima sit; *Nubia* vero *et Aethiopia* adhaereant Aegypto; nil mirum, Marcum Dei spiritu accensum regiones illas etiam vel per se vel per discipulos penetrasse, ac universas earum gentium Ecclesias constituisse. Hoc certe apud Aegyptios veluti exploratissimum omnes tenent, teste Renaudotio (4): ita ut in consecratione alexandrini Coptitarum patriarchae illum appellent (5): *Archiepiscopum magnae civitatis Racoti,* id est Alexandriae; *et Phostati Babylonis,* i. e. Alcairi; *et nomorum Chemi,* i. e. provinciarum Aegypti; *et Mareotidis, et Pentapolis Africae, et regionis Aethiopum, et Exometum,* h. e. Auxumitarum; *et Nobatum,* i. e. Nubiorum; *et Macureorum,* fortasse Marmaricorum. Quod si quis harum provinciarum aliquam, processu temporis, alexandrino patriarchatui accessisse contendat; huic quidem non magnopere repugnabo: maximam tamen ipsarum partem a Marco Evangelium accepisse, in tanta veterum scriptorum consensione, negare et ipse non poterit.

---

(1) Cap. IV. et V. — (2) Capite seq. — (3) Vide Concil. Nicaen. can. VI. Vide etiam Nilum doxopatr. de V. Thron. Patriarch. apud Pag. ad ann. Christi XXXVII. — (4) Histor. Patriarch. Alexandrin. in Marco. — (5) Vide Renaudot. Liturg. Orient. tom. I. pag. 457. 490. Bonjour. Monum. Copt. n. VIII.

CAPUT XVII.

DE S. MARCI APOSTOLATU ALEXANDRINO.

I. *Apostolatus alexandrini S. Marci testes memorantur.* II. *Illustriorum testium verba proferuntur.* III. *Fabula pollicis sibi a Marco abscissi, ne ad sacerdotium promoveretur. S. Anniani conversio.* IV. *Marcus Aegyptios convertit, Anniano manus imposuit, et iterum in Pentapolim secessit.* V. *De episcopo alexandrino a solis presbyteris consecrato. Fabulae huius auctores afferuntur.* VI. *Inepta fabella refutatur, cumque illa eius assertor Seldenus.*

I. Si qui omnes alexandrini S. Marci apostolatus testes proferre possent, et eorum testimonia universa recitare vellem, profecto non ita facile exitum noster hic commentarius reperiret: cum nihil fortasse in omni fere ecclesiastica historia aut certius sit et exploratius, aut maiori auctorum numero comprobetur. Sed cum in ea re, de qua nemo hactenus dubitaverit, ineptum videri possit immensa quasi testium nube lectorem obruere, satis erit, illustriora nonnulla sanctorum Patrum loca proferre, eorum praesertim, qui ceteris et auctoritate praestant, et antiquitate; ceteros vero nomine tantum appellare, quos ipse per se adire poterit, cui libuerit. Sunt autem illi, praeter Martyrologia fere omnia (1) et Acta S. Marci (2), Syncellus (3), Chronicon Orientale (4), Chronicon Alexandrinum (5), Procopius chartophylax (6), Codex canonum Ecclesiae Romanae (7), Gelasius Papa (8), Pseudo-Anacletus (9), Athanasius in Synopsi S. Scripturae (10), Basilius (11), Isidorus (12), Gregorius papa (13), Freculphus lexoviensis (14), Pseudo-Hieronymus (15), Theophylactus (16), Severus aschmoninensis (17), Eutychius (18), Liberatus diaconus (19), Cassianus (20). Accedit constans alexandrinae Ecclesiae traditio, quam ex eiusdem Liturgiis deprehendere licet (21), ubi Marci tantum memoria, praetermissis ceteris Apostolis, habetur; et idem *Patris* titulo insignitur, nimirum quod Ecclesiae illius auctor fuerit atque institutor; ut nihil de Aethiopibus dicam alexandrinae Ecclesiae subiectis, apud quos eodem praeconio

---

(1) Martyrol. Rom., Bedae, Notker. etc., Menaea Graec. et Menol. Basil. ad diem XXV. April., Martyr. Arm. ad diem XXIV. Mart. Martyr. Metric. Aethiopicum. — (2) Graeca, Armena, Latina etc. — (3) Ad ann. Mundi 5540. — (4) Hist. Patriarch. Alex. in Marco. — (5) Ad Olymp. CCIV. ann. III. — (6) Encom. S. Marci. — (7) In praefat. — (8) In decret. de libris apocryph. in Concil. Rom. anni CDXCIV. n. 2. — (9) Epist. III. — (10) Num. LXXVI. — (11) Contr. Eunom. lib. V. de spiritu n. 2. pag. 321. — (12) In Chron. ad ann. Mundi 5252. de Vita et Morte SS. in Marco. — (13) Epist. lib. VI. Epist. LX. lib. VII. Epist. XL. lib. X. Epist. XXXV. XXXIX. — (14) Chron. tom. II. lib. II. cap. IV. — (15) Praefat. in Marc. — (16) Praefat. in Marc. — (17) Apud Renaudot. Histor. Patriarch. Alexandr. in Marc. — (18) Orig. Eccl. Alexandr. in Marc. — (19) Breviar. histor. cap. XV. — (20) Instit. II. cap. V. — (21) Vide Renaud. Liturg. Orient. tom. I. pag. 18. 34. 72. 149., Bonjour Monum. Coptic. n. IV. VI. XIV. et XV.

honestatur (1). Hinc in ordinatione iacobitae sive coptici patriarchae alexandrini senior episcopus, illum in thronum collocans, ait (2): *Collocamus Abba N. archiepiscopum super thronum sanctum, apostolicum et evangelicum patris nostri, sancti divina loquentis Marci, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen.* Quae verba et in *Psephismate*, seu ut nos dicimus, *in Bulla investiturae* iterantur (3). Sed et sedem alexandrinam *apostolicam successionem* (4) aliquando appellatam fuisse, constat; et nunc etiam melchita, sive graecus patriarcha alexandrinus, qui constantinopolitani patriarchae communioni adhaeret, se inter ceteros dignitatis titulos *decimum tertium Apostolum* appellat hac ipsa de causa; quod ex notitia graecae Ecclesiae a metropolitano Artae, prope Ambraciam, excellentissimo comiti de Romanzoff imperii rutheni cancellario exhibita, didici: adeo apud Aegyptios certum est, alexandrinam Ecclesiam non ab alio, quam a Marco fuisse fundatam.

II. Verum Patres illos ipsos, qui ceteris uberius de missione illa locuti sunt, producamus. Prodeat omnium primus S. Leo pontifex, qui in epistola ad Anatolium patriarcham constantinopolitanum, ipsum redarguens, quod Ecclesiae suae dignitatem, ceterarum sedium patriarchalium damno, amplificare conaretur: *Nihil* (5), inquit, *alexandrinae sedi eius, quam per S. Marcum evangelistam, B. Petri discipulum, meruit, pereat dignitatis; nec, Dioscoro impietatis suae pertinacia corruente, splendor tantae Ecclesiae tenebris obscuretur alienis.* Et alibi, epistolae Proterii alexandrini respondens (6): *Oportebat enim*, inquit, *ut ab alexandrinae praesule Ecclesiae talia scripta ad sedem apostolicam mitterentur, quae ostenderent magisterio beatissimi Petri apostoli, hoc ab initio per beatum Marcum eius discipulum didicisse Aegyptios, quod constat credidisse Romanos.* Sed adhuc apertius in epistola ad Dioscorum (7): *Cum enim*, ait, *beatissimus Petrus apostolicum a Domino acceperit principatum, et romana Ecclesia in eius permaneat institutis; nefas est credere, quod sanctus eius discipulus Marcus, qui alexandrinam primus Ecclesiam gubernavit, aliis regulis traditionum suarum decreta formaverit.* Sequitur Epiphanius, qui haeresi LI, quae est Alogorum, Evangelistarum historiam brevi complexus, haec habet de Marco (8): *Statim autem post Matthaeum, Marco, qui Romae S. Petri comes fuerat, Evangelii concinnandi munus imponitur; quod cum scripsisset, mittitur a S. Petro in Aegyptum.* Nazianzenus quoque, loquens de magno Athanasio (9) in episcopum ab Alexandrinis electo: *Ita ergo*, inquit, *ad Marci cathedram evehitur, non minus pietatis successor quam dignitatis.* Pari modo Theodoretus de Dioscoro alexandrino, qui ipsum anathemate perculerat, apud Flavianum constantinopolitanum conquestus, quamvis Cyri urbs,

---

(1) In Canone Universali apud Renaudot. loc. cit. pag. 506. — (2) Ritus Ordinat. Patriarch. Alexan. apud Renaud. loc. cit. pag. 481. — (3) Ibidem pag. 186. et 190. — (4) Vide Petavium ad Synesium epist. LXVI. de Eccl. Hierarch. lib. I. cap. IX. n. 2. — (5) Epist. LXXXI. alias XI. cap. V. — (6) Epist. CV. cap. I. — (7) Epist. XI. in praefat. — (8) Haeres. LI. n. VI. Εὐθὺς δὲ μετὰ τὸν Ματθαῖον, ἀκόλουθος γενόμενος ὁ Μάρκος τῷ ἁγίῳ Πέτρῳ ἐν Ῥώμῃ ἐπιτρέπεται τὸ Εὐαγγέλιον ἐκθέσθαι· καὶ γράψας ἀποστέλλεται ἀπὸ τοῦ ἁγίου Πέτρου εἰς τὴν τῶν Αἰγυπτίων χώραν. — (9) Orat. XXI. pag. 377. Οὕτω μὲν οὖν... ἐπὶ τὸν Μάρκου θρόνον ἀνάγεται, οὐχ ἧττον τῆς εὐσεβείας ἢ τῆς προεδρίας διάδοχος.

cui ipse praeerat, in antiocheni patriarchae dioecesi esset, ait (1): *Illum beati Marci sedem ultro citroque iactare, licet non ignoraret, magnam antiochenam urbem sedem magni Petri obtinere, qui etiam B. Marci magister fuerat.* Nec aliter Hieronymus (2): *Assumpto,* ait, *Evangelio, quod ipse confecerat, perrexit in Aegyptum, et primus Alexandriae Christum annuntians, constituit Ecclesiam tanta doctrina et vitae continentia, ut omnes sectatores Christi ad exemplum sui cogeret:* quod et paullo post (3) iterum inculcat. Haec vero ille, ut historica fere omnia, hauserat ab Eusebio, qui et in chronico, et in historia ecclesiastica praeclarum Marco nostro hac super re exhibet testimonium. Et in chronico quidem, prout nuper ex armenica versione editum est, ita habet (4): *Marcus evangelista, interpres Petri, Aegyptum et Alexandriam profectus, Uncti Domini,* h. e. Christi, *verbum annuntiabat.* In historia vero (5): *Hunc autem Marcum,* inquit, *in Aegyptum missum, Evangelium, quod ipse conscripserat, omnium primum annuntiasse tradunt, ac in ipsa urbe Alexandria omnium primum Ecclesias constituisse.* Mitto ceteros: satis enim ex his constat, Marcum non modo Alexandriae Evangelium disseminasse, ibidemque sedisse; sed, quod maximum est, *omnium primum* Christum Aegypto nuntiasse, aegyptiasque Ecclesias constituisse. Neque enim quemquam movere debet Falconii (6), Freculphi lexoviensis (7) et Nicephori (8) auctoritas, quorum prior existimat, hanc de Marco traditionem apud Aegyptios ortum habuisse ex alio *Marco,* qui primus ex gentibus saeculo IV. alexandrinum episcopatum tenuit, ordine decimus sextus: alii duo vero, quibus et Pseudo-Dorotheus (9), et Pseudo-Abdias (10) subscribunt, Aegyptum a S. Simone apostolo, cui cognomen *Zeloti,* conversam putant. Nam in Falconio quot verba, tot mendacia. Nullus siquidem *Marcus* Alexandriae saeculo Christi IV.; cum Marcus secundus nonnisi anno Christi DCCXCIX., iuxta Sollerii (11) supputationem, sedem illam tenuerit: nec XVI. sed XLIX. patriarcha ordine habendus sit: sextus vero decimus fuerit S. Theonas, qui S. Petrum alexandrinum praecessit, et anno Christi CCC. (12) ad dignitatem illam evectus est. Adde, *ἀδύνατον* fuisse, Eusebium et Basilium, qui IV. et ipsi saeculo floruere, Marcum aetate sua in vivis agentem, vel paullo ante mortuum, cum Marco evangelista confundere; ut nihil dicam de Gelasio, Leone, Gregorio RR. Pontificibus; de Hieronymo, Nanziazeno, Epiphanio, Theodoreto et Isidoro; quibus omnibus se hominem XII. fere post saecula natum anteferre, quod Falconius facit, eosque hallucinatos putare, aut intollerabilis arrogantiae est, aut inauditae dementiae. Freculphum vero, si quis sibi ipsi conciliare poterit, is eius mihi auctoritatem obiiciat; qui cum paullo

---

(1) Ὁ δὲ... ἄνω καὶ κάτω τοῦ μακαρίου Μάρκου τὸν θρόνον προβάλλεται· καὶ ταῦτα σαφῶς εἰδὼς, ὡς τοῦ μεγάλου Πέτρου τὸν θρόνον, ἡ Ἀντιοχέων μεγαλόπολις ἔχει, ὃς καὶ τοῦ μακαρίου Μάρκου διδάσκαλος ἦν Theodor. Epist. 86. — (2) De viris illustr. cap. VIII. — (3) Ibid. cap. XI. — (4) Ad annum Abrahae 2057. Vide etiam Chronic. Lat. Hieron. ad ann. Abrahae 2059. — (5) Histor. Eccl. lib. II. cap. XVI. Τοῦτον δὲ Μάρκον πρῶτον φασὶν ἐπὶ τῆς Αἰγύπτου στειλάμενον τὸ Εὐαγγέλιον ὃ δὴ καὶ συνεγράψατο κηρύξαι, Ἐκκλησίας τε πρῶτον ἐπ' αὐτῆς τῆς Ἀλεξανδρείας συστήσασθαι. — (6) Apud Assem. Kalend. Eccl. Univ. tom. VI. ad diem. XXV. April. pag. 288. in notis. — (7) Chron. tom. 2. l. 2. cap. IV. — (8) Hist. Eccl. lib. II. cap. XL. — (9) De Christi Apost. etc. in Simon. — (10) Hist. Apost. lib. VI. cap. 7. — (11) Hist. Patriarch. Alexandr. num. XLIX. — (12) Soller. l. c. n. XVI.

ante dixisset (1): *Primum Alexandriae cathedram tenuisse, primumque Ecclesias Aegyptiorum fundasse*, tradit paullo post: *Simonem Zelotem accepisse Aegyptum;* hoc est assignatam Aegyptum illi fuisse: qui item et Nicephorum conciliabit, adversa hoc loco tradentem iis, quae eodem hoc libro superius (2) tradiderat. Nam Dorotheum et Abdiam nil moror, subdititios scriptores ac leves. Verum vide de hac re, si vacat, Walchium (3) et Sandinum (4).

III. Illud etiam libenter ad fabulas amandaverim, quod idem Freculphus refert eodem loco: Marcum, scilicet, *ne ad sacerdotium promoveretur Iudaeorum, sibi pollicem abscidisse*. Adhuc peius, qui idipsum ab eo factum dicunt (5), ne alexandrinum episcopatum assumere cogeretur: licet alii, Deo inspirante, factum velint: alii deinde a Deo sanatum existiment. Fabellam satis antiquam, quaeque, ut aliae huiusmodi, ne refutatu quidem digna videtur, operose tamen evertit Petrus Aloixius (6), ad quem libenter lectorem remittimus, ne opus satis prolixum ineptiis hisce expendendis adhuc ulterius producamus. At non idem de altero illo prodigio sentiendum videtur, quod, vix alexandrinae urbis portas ingressus, Marcus patrasse dicitur, unde missionem suam felicissime exorsus, uberrimos deinde ac luculentissimos laborum suorum fructus suscepit. Referunt enim Acta Graeca, cum Marcus divino monitu Cyrene digressus, ad locum quendam Βεννίδιον, *Bennidion* (Sirletus vertit *Mendion*, et Epiphanius (7) testatur Ecclesiam Alexandriae fuisse, cui nomen Μενδίδιον *Mendidion*) cum Marcus, inquam, *Bennidion* prope urbem applicuisset, ac iuxta civitatis portas sutorem vidisset, Annianum nomine, eique calceum, quem forte in itinere disruperat, consuendum ac resarciendum tradidisset; evenisse casu, ut sutor, subula repente dilapsa, sibi manum perterebraret, ac doloris vi abreptus in hanc vocem erumperet (8): εἷς θεός! *o unus Deus!:* hanc vero vocem cum Marcus audisset, gavisum fuisse vehementer; ac primum sauciatam sutoris manum, luto ex sputo et terra illitam, sanasse; deinde, arrepta ex eius vocibus opportunitate, de unitate Dei et idolorum vanitate multa illum docuisse. Tum vero prodigii novitate abreptum Annianum, et hominis sapientiam et ipsum corporis habitum admiratum, illum in domum suam recepisse: ac deinde in fide edoctum ac baptizatum, consecratum etiam episcopum a sancto Evangelista fuisse, eique in alexandrino episcopatu successisse. Rem ita gestam referunt, praeter Acta Latina et Graeca a Bollandianis edita (9), etiam Martyrologium Armenum (10), et Acta Armena mihi ab amico eruditissimo communicata (11), Historia Patriarcharum Alexandrinorum Chronico Orientali subiecta (12), Eutychius (13) et Severus (14); ut Petrum

---

(1) Loc. cit. — (2) Hist. Eccl. lib. II. cap. XV. — (3) Hist. Eccl. saec. I. cap. I. sect. II. num. 28. — (4) Hist. Apost. in Simone n. IV. — (5) S. Petri Damiani serm. XIV. et XV., Prolog. comm. in Marc. inter op. S. Hieronymi tom. ult., Albert. Sarthian. Epist. VI. apud Martene Collect. Anecd. tom. III., S. Antonin. Chron. part. I. tit. VI. cap. XVI. etc.. Vide Martinier Dict. Geogr. Art. *Vénise*. — (6) Script. Eccles. Orient. tom. I. in vita sancti Polycarp. cap. V. — (7) Haeresi LXIX. num. II. — (8) Vide Tillemont. in Marc. not. VIII. — (9) Ad diem XXV. April. — (10) Ad diem XVI. mensis Areg. sive XXIV. Mart. — (11) Ad diem XXV. April. — (12) In praefat. — (13) Orig. Eccl. Alexan. in Marco. tom. I. pag. 328. — (14) Apud Renaudot. Hist. Patriarch. Alexan. pag. 3.

Damiani (1) et recentiores praetermittam. Equidem fateor, non hos testes esse aut monumenta, quae rem extra omnem dubitationis aleam collocent: attamen tanta haec me latinae, graecae, aegyptiae armeniaeque Ecclesiae consensio movet; praesertim cum tam vetusto dissidio invicem seiunctae, id ante ipsa dissidii tempora recepisse, videantur.

IV. Ceterum quicquid de Anniano, sive, ut Eutychius vocat, Hanania sentiendum sit, certum est, Marcum ingentem statim praedicationis suae fructum retulisse; ita ut, Tillemontio teste (2), plures ibidem Ecclesias et quasi paroecias constitueret. Id ex allatis sanctorum Patrum testimoniis, maxime vero ex Eusebii verbis elucet, qui laudato loco subiicit (3): *Immensam prorsus credentium tam virorum, quam mulierum turbam concrevisse; et severiori, atque sapientissimae exercitationi operam dedisse.* Id ipsum Acta confirmant, adduntque; crescente quotidie credentium numero, magna in se Marcum Ethnicorum odia excitasse; ita ut paullo post invidiae, quam sibi inde conflaverat, cedere parumper satius esse putaverit: atque iterum, urbe relicta, in Pentapolin abire, ubi integrum biennium moratus, credentium animos mirifice in fide ac religione confirmavit, Ecclesiasque constituit. Huius vero fugae, sive ut molliori verbo utar, huius secessionis praeter Acta bollandiana latina et graeca, meminit etiam apud Renaudotium (4) Severus, tum Martyrologium et Acta armena a nobis laudata, Eutychius quoque alexandrinus (5), et Historia patriarcharum alexandrinorum Rhahebi (6), addita Chronico Orientali, denique Acta nostra mss. quae superius commemoravimus. Antequam tamen Alexandria digrederetur, Annianum, apud quem moratus fuerat, episcopum consecravit, tum presbyteros tres, diaconos septem, ministros undecim, quibus Ecclesiae a se institutae curam permisit. Presbyteros illos Acta armena appellant, *Mielonem, Capionem,* et *Cardonem,* sive *Imilionem, Sabionem* et *Cerdonem;* Martyrologium vero armenum *Meleonem, Abionem, Cedronium:* Acta bollandiana graeca Μελίοον, Σαβῖνον, καὶ Κερδῶνα; latina *Melium, Sabinum et Cerdonem:* quos inter *Melius,* quem etiam *Abilium* vocant, et *Cerdo* post Annianum alexandrinam cathedram tenuerunt. Verum ut Marci ex Aegypto in Pentapolin secessus post secundum eius in Aegyptum adventum contigisse mihi videtur, tum scilicet cum Roma post conscriptum Evangelium reversus, Ecclesiam a se longe ante institutam iterum perlustravit; ita de Anniani ordinatione, utrum scilicet illum in priori illa missione, an in secunda consecraverit anceps haereo; nec enim in tanto veterum scriptorum silentio habeo certi aliquid quod proponam. Attamen consentaneum magis videtur, id priori potius, quam posteriori missioni tribuere. Neque enim arbitror, Marcum, qui Aegypto identidem abscedere cogebatur, ita apostolatus sui munere ferente, voluisse permittere, ut magna illa alexandrinae urbis, imo Aegypti totius Ecclesia pastore toties destitueretur; praesertim in illis christianae fidei primordiis, quando quae

---

(1) Serm. XV. — (2) In Marco. — (3) Hist. Eccl. lib. II. cap. XVI. Τοσαύτη δ' ἄρα τῶν αὐτόθι πεπιστευκότων πληθὺς ἀνδρῶν τε καὶ γυναικῶν ἐκ πρώτης ὑπεβολῆς συνέστη δι' ἀσκήσεως φιλοσοφωτάτης τε καὶ σφοδροτάτης, ὡς κ. τ. λ. — (4) Hist. Patriarch. Alex. in Marco. — (5) Pag. 335. — (6) In praef.

nunc a parochis et presbyteris praestari solent, ea tunc ab ipso episcopo magna ex parte perficiebantur. Atque hunc fere Apostolorum omnium morem fuisse, sapienter animadvertit Renaudotius (1), *qui cum praedicandi Evangelii causa in varias regiones proficisci cogerentur, episcopos in praecipuis urbibus ordinabant, adeo ut fundatores cathedrae episcopalis primique episcopi forent. Verum Orientalium consuetudo est, ut Apostolos apostolicosque viros, a quibus illae institutae sunt, tamquam primos episcopos numerent. Ea ratione Marcus primus Alexandriae episcopus censetur*. Optime Renaudotius: in eo tamen falsus, quod ita peregrinatos universos Apostolos putet, ut nulli certae cathedrae adhaererent, tamquam eiusdem episcopi. Esto de nonnullis, praesertim de Paulo. At Petrum Romae, Iacobum Hierosolymis, Ioannem Ephesi, tamquam veros episcopos illarum urbium sedisse, omnis fere antiquitas existimavit. Quid ni et Marcus Alexandriae? Equidem et de illo magna est antiquitatis consensio: nec aegyptii scriptores episcopatus Anniani tempora, nisi a S. Marci morte supputare solent: licet longe ante a B. Evangelista ordinatus fuerit. Itaque arbitror, si cui sedi, veluti propriae, Apostolus aliquis adhaesisset, episcopum quidem consecrasse, qui, ipso absente, locum eius ac vices suppleret, ut illi sunt, quos nunc *suffraganeos* vocamus: illius tamen sedis titulum perpetuo apud ipsum Apostolum perstitisse. Vide quae de hac re adversus Salmasium Petavius disputat sapientissime, more suo, in libris de Ecclesiastica Hierarchia (2).

V. Verum nobis, de alexandrino Marci apostolatu loquentibus, occurrit opportune refutandus Seldenus (3), qui, Eutychii auctoritate fretus, tradit (4): *Constituisse Marcum cum Anniano presbyteros duodecim, qui nempe manerent cum patriarcha, adeo ut, cum vacaret patriarchatus, eligerent unum e duodecim presbyteris, cuius capiti reliqui undecim manus imponerent, eumque benedicerent, et patriarcham eum crearent: dein virum aliquem insignem eligerent, eumque presbyterum secum constituerent, loco eius qui sic factus est patriarcha, ita ut semper extarent duodecim. Nec desiisse institutum hoc de presbyteris, ut scilicet patriarchas crearent presbyteri duodecim, usque ad tempora Alexandri patriarchae alexandrini*. Hanc vero factam a presbyteris alexandrini patriarchae ordinationem ut confirmet Seldenus, addit paullo post ex eodem Eutychio: *Ab Hanania*, sive Anniano, *quem constituit Marcus patriarcham Alexandriae usque in tempora Demetrii patriarchae ibidem, is fuit patriarcha alexandrinus undecimus, nullus erat in provinciis Aegypti episcopus, nec patriarchae ante eum crearunt episcopos: ille autem factus patriarcha tres constituit episcopos. Et primus fuit hic patriarcha alexandrinus, qui episcopos fecit*. Eutychio subscribit Elmacinus, seu potius Eutychium exscribit (5), eique etiam favere videtur. Mahumethanus Makrisius, a Renaudotio productus (6): *Postquam Marcus*, inquit, *Hananiam, qui et Annianus dictus est, patriarcham alexandrinum constituit, adiunxit illi XII. presbyteros, quibus praecepit, ut quando patriarcham diem*

(1) Histor. Patriarch. Alex. n. II. — (2) Lib. I. cap. V. et seqq. — (3) Orig. Eccl. Alexandrin. Lond. 1642. pag. 29. — (4) Eutych. tom. I. pag. 331. — (5) Vide Renaud. Liturg. Orient. tom. I. pag. 379. — (6) Ibidem.

suum obire contingeret, eius in locum ex se ipsis unum constituerent, aliumque ex christianorum numero sufficerent, ita ut semper duodenarius subsisteret presbyterorum numerus. Nec desierunt creari patriarchae ex presbyteris, donec congregati sunt οἱ tercenti decem et octo: h. e. usque ad synodum nicaenam, cui et Alexander alexandrinus interfuit. Denique sententiam hanc tueri Hieronymus etiam videtur, qui in epistola ad Evangelum (1) ita habet: *Alexandriae a Marco evangelista usque ad Heraclam et Dionysium episcopos, presbyteri semper unum a se electum, in excelsiori gradu collocatum episcopum nominabant; quomodo si exercitus imperatorem faciat, aut diaconi eligant de se, quem industrium noverint, et archidiaconum vocent.* His fultus Seldenus, presbyterianorum haeresin, cui ipse adhaerebat, munire conatus, duo eruit: I. Alexandrinum patriarcham revera a solis presbyteris consecratum fuisse: II. Nihil omnino inter presbyteros episcoposque intercedere discriminis, nisi ex Ecclesiae usu, quae presbyterorum principem humano iure constitutum, episcopum appellare consuevit. Porro cum secunda haec quaestio ad theologos potius pertineat, eam illis libenter permittimus: nobis satis erit *de facto,* ut aiunt, quaerere; Eutychiumque aut mendacem, aut perperam a Seldeno intellectum demonstrare. Sed cum de hoc ipso satis multi (2), iidemque magni nominis critici et theologi disputarint, ut chartae parcam et tempori, quae ab ipsis fuse et luculenter tractata sunt, paucis complectar. Qui plura velit, ipsos fontes, unde haec hausimus, adire poterit.

VI. Ea vero haec ferme sunt: I. Eutychii locum perperam a Seldeno fuisse translatum (3), cum, quae Eutychius de sola electione episcopi a duodecim presbyteris facienda scripserat, ipse de ordinatione transtulerit, posito verbo *creare,* ubi arabice legitur *constituere.* Pari modo in secunda lacinia non legi *in provinciis,* sed *in territorio Aegypti* h. e. in suburbicariis Alexandriae locis, sive in *Delta,* ut exponit Renaudotius (4); quod non vetat in aliis Aegypti provinciis episcopos revera fuisse, qui alexandrinos patriarchas possent consecrare. II. Inepte Seldenum (5) tam in Eutychio, quam in Hieronymo de ordinatione intellexisse, quod tantum de electione ipsi dixerant. Id ex Makrisio constare, de electione tantum locuto (6); tum ex ipsis Hieronymi verbis, qui in eadem epistola, ordinationes solos episcopos facere posse, statuerat: *Quid enim,* ait, *facit, excepta ordinatione, episcopus, quod presbyter non faciat?* III. Etsi Hieronymus id revera doceret, quod vult Seldenus, perperam tamen unius tantum S. Patris (7) auctoritatem contra universae antiquitatis consensionem produci: Eutychii vero magni fabulatoris testimonium (8) nihil illi prodesse, ceteris illi orientalibus etiam scriptoribus repugnantibus. Elmacinum Eutychii exscriptorem tanti, quanti ipsum

---

(1) Epist. CXLVI. alias LXXXV. — (2) Echell. Eutych. Vindic. Petav. de Eccles. Hierar. l. II. cap. IV. et V., Renaud. Hist. Patriarch. Alex. in Marc., Liturg. Orient. tom. I. in Diss. de Patriarch. Alex. pag. 376., Soller. Hist. Patriarch. Alex. in Marc., Parerg. I. n. 41. et seq. Pearson Vindic. Ignat. part. I. cap. ultimo. — (3) Renaud. Patriarch. Alex. pag. 7. et 12., Liturg. Orient. tom. I. pag. 382., Sollerius loc. cit. n. 38. — (4) Liturg. loc. cit. — (5) Renaud., Petav. ll. cc., Sollerius num. 43. — (6) Renaud. Liturg. pag. 379. — (7) Petav. loc. cit. cap. V. num. I. — (8) Soller. loc. cit. n. 39. 40. 56., Renaud. Hist. pag. 7.

Eutychium (1) esse faciendum. IV. Eutychio universos Orientales adversari, apud quos de XII. illis presbyteris altum ubique silentium (2). Acta graeca, armena, latina, Martyrologium armenum superius (3) attulimus: adde Severum (4) et Chronicon Orientale (5) tum Latinos et Graecos universos, quibus omnibus, uno excepto Hieronymo, nihil unquam de presbyteris illis compertum fuit. V. Eutychium praeterea et Hieronymum sibi invicem repugnare (6); cum ille morem hunc sub Alexandro, hic sub Heracla obsolevisse tradat, cum tamen inter utrumque ultra LXXVIII. annorum spatium interiectum sit. Siquidem Heraclas anno Mundi 5740. obiisse dicitur in Historia Chronico Orientali subiecta: Alexander vero anno 5818. VI. Alexandro Magnus Athanasius successit (7) ab episcopis et populo electus (8), ac proinde primus post Marcum, quem non XII. illi presbyteri consecraverint. At si id factum, cur non Ariani, qui tot et tanta moliti sunt, ut illum ex alexandrina sede deturbarent, id illi nunquam obiecere? cur non promotum illum novo exemplo contra Ecclesiae alexandrinae morem et instituta exprobravere? attamen inter tot illa, quae adhuc superant athanasianae historiae monumenta, ne vola quidem aut vestigium huius criminationis habetur. VII. Tradit Eutychius, ex duodecim illis presbyteris patriarcham ex S. Marci institutione assumi debuisse. Atqui, Severo teste (9), Agrippinus et Marcus, qui Alexandrum praecessere ex *plebe christiana*, hoc est ex laicis assumpti sunt: imo Demetrius uxoratus etiam fuisse dicitur, ita ut hoc ipsum multorum animos offenderet. Vides igitur quantum Eutychio fidendum. VIII. Cerdonem quoque tertium post Marcum patriarcham ab episcopis, sacerdotibus et populo electum Severus tradit (10); qui tamen Cerdo ex tribus illis presbyteris a S. Marco consecratis fuisse videtur (11). Ubi ergo ius illud XII. presbyterorum ab Eutychio iactatum? IX. Quin imo si episcopi Cerdoni consecrando convenere, iam ab ipsa Marci aetate erant plures in Aegypto episcopi, contra quam Seldenus ex Eutychio concludit (12). Sed et longe ante Demetrium fuisse ostendit Sollerius (13) ex Vopisco, ex epistola Hadriani augusti ad Servianum, ex Dionysio alexandrino, denique ex synodo alexandrina multorum episcoporum (14), in qua Origenes damnatus est; cui ipse Demetrius adfuit, ac *cum aliquot Aegypti episcopis* a ceteris in nonnullis dissensit. Iam si ante Demetrium nullus, ut vult Seldenus, erat in Aegypto episcopus, Demetrius vero tres tantum instituit; Demetrius, qui cum *aliquot ex illis*, hoc est saltem cum duobus a synodo dissentiebat, ab uno tantum, quod est ridiculum, dissensisset. Alia quoque addunt ad eutychianum et seldenianum commentum refutandum viri eruditissimi. Sed et ingenuo lectori satis haec superque esse arbitramur.

---

(1) Renaud. Hist. loc. cit. — (2) Soller. ibidem; Renaud. Hist. pag. 8. — (3) Supr. num. IV. — (4) Apud Renaud. in Marc. — (5) Hist. Patriarch. Alex. praef. — (6) Soller. loc. cit. num. 44. — (7) Soller. loc. cit. n. 46. 47. — (8) Vide Nazianz. Orat. XXI. pag. 377. Sozomen. Hist. Eccl. lib. II. cap. XVII. — (9) Renaud. Liturg. pag. 381. — (10) Renaud. Hist. pag. 9. Liturg. 379. — (11) Vide supr. n. IV. — (12) Renaud. ibid. — (13) Num. 52. 53. 54. 55. — (14) Vide Phot. cod. CXVIII.

CAPUT XVIII.

DE THERAPEUTIS A PHILONE IUDAEO MEMORATIS; AC UTRUM ILLI CHRISTIANI ESSENT, ET A S. MARCO INSTITUTI.

I. *Therapeutae qui? Christiani ne, an Iudaei ambigunt critici. Nos christianos putamus.* II. *Therapeutarum ex Philone mores et instituta.* III. *Sequitur idem Philo.* IV. *De Therapeutis Eusebii, Hieronymi, Sozomeni et Epiphanii iudicium.* V. *Esseni a Therapeutis diversi. Id ex Philone et Iosepho ostenditur.* VI. *Expenditur Philonis narratio. Therapeutarum nomen christianos ostendit.* VII. *Praeterea christianos esse constat, quod toto orbe diffusi a Philone dicantur. Solvuntur difficultates nonnullae.* VIII. *Ex Therapeutridibus idipsum ostenditur.* IX. *Alia Therapeutarum instituta expenduntur.* X. *Therapeutarum genus duplex. Remissiores Therapeutae, christiani primi; severiores, monachi.* XI. *Utrorumque instituta quam bene primaevae Ecclesiae et primorum monachorum disciplinae conveniant, ostenditur.* XII. *Comparantur Therapeutarum convivia cum agapis Christianorum.* XIII. *Tum panis therapeutici consecrandi caeremoniae cum SS. Eucharistia.* XIV. *Iudaeos cur illos putavit Philo. Christiani initio habiti pro Iudaeis.* XV. *De iudaicis Therapeutarum ritibus. Ex iis christianos illos non fuisse, perperam deducitur.* XVI. *De hymnis et choreis therapeuticis. Neque ex iis Iudaeos illos fuisse concludi potest.* XVII. *S. Marcus primus monachorum pater ex praemissis ostenditur.*

I. Exploso Seldeni delirio, iam ad alia, quae aegyptiam Evangelistae nostri missionem respiciunt, veniendum est; et perplexa illa de Therapeutis ab ipso institutis quaestio diligenter expendenda. Erant autem Therapeutae homines quidam ex Iudaeis, contemplationi vitaeque solitariae dediti apud Aegyptios, quorum laudes singulari quodam libro prosecutus est Philo et ipse iudaeus, qui liber περὶ βίου θεωρητικοῦ, ἢ ἱκετῶν ἀρετῶν, *de vita contemplativa, sive de supplicum virtutibus* (1) inscribitur; sive ipse Philo hoc illi nomen indiderit, sive ita iis illum appellare visum fuerit, qui singulis Philonis libris titulos addiderunt. Porro Therapeutas fuisse primos illos Iudaeos, quos Marcus ad Christi fidem convertit, eruditissimi inter Patres tenuerunt; Eusebius Pamphilus (2), Hieronymus (3), Epiphanius (4), Sozomenus (5), Cassianus (6): eaque sententia usque ad saeculum Christi XVI. in universa fere Ecclesia perpetuo obtinuit, nemine adversus illam repugnante, uno excepto Photio constantinopolitano (7), qui tamen nihil adversus illam molitus est; sed tantum ita de

(1) Edit. Paris. pag. 889. — (2) Hist. Eccl. lib. II. cap. XVI. — (3) De Viris illustr. cap. VIII. et XI. — (4) Haeres. XXIX. n. V. — (5) Hist. Eccl. lib. I. cap. XII. — (6) De Inst. Monach. lib. II. cap. V. — (7) Biblioth. cod. CIII.

laudato Philonis libello locutus est, ut Therapeutas Iudaeos potius fuisse, quam Christianos existimasse videri posset. At demum saeculo XVI. res in quaestionem adduci coepit; ac quod antea omnibus certissimum habebatur, tum demum ad problema redactum est. Primus omnium Eusebii sententiam oppugnavit Iosephus Scaliger (1) Iulii F. quem deinde secuti sunt Blondellus (2), Pagius (3), Valesius (4), Vallarsius (5); tum ex Reformatis, quos vocant, bene multi (6), quorum valde intererat monasticae vitae, quam adeo insectantur, fundamenta, sub ipsis Ecclesiae incunabulis a Marco iacta, omni vi omnibusque machinis suffodere atque dissipare. At contra pro Eusebio stetere Bellarminus (7), Serrarius (8), Petavius (9), Muratorius (10), Baronius (11), sed praecipue Bernardus Montfauconius, qui anno MDCCIX. gallica philoniani opusculi versione vulgata, eusebianam sententiam eruditissime propugnavit: attamen doctissimi Monachi commentarium adhuc videre non potui. Ceterum ea rationum momenta, quae rem omnino conficerent, neutra ex parte allata fuisse optime animadvertunt critici (12); ita ut integrum cuique sit eam, quam quisque velit, sententiam amplecti; eruditorum hominum iudiciis hinc inde inclinantibus. Quam licentiam cum nobis quoque dari aequum sit, liceat modo pro antiqua illa Patribusque Ecclesiae recepta sententia nonnulla proponere, non quod illam certissimam existimemus, sed quod altera nobis probabilior videatur; eodem tamen iure et lectori permisso, quod ipsa ancipitis quaestionis natura videtur postulare.

II. Ac primum quid de illis tradat Philo videamus, non eius quidem verbis productis (neque enim satis prolixum opusculum exscribere vacat) sed paucis eius sententiam complexi. Ait igitur (13), quoniam de *Essaeis* sive *Essenis* iam egerat (14) libro praecedenti, qui actuosae vitae vacabant, loquendum nunc sibi esse de iis (15), *qui contemplationi dediti sunt;* de quibus, cum tanta eorum esset virtus, nullo modo silendum esse existimabat. Eos ante vocari dicit θεραπευτὰς καὶ θεραπευτρίδας, *Therapeutas et Therapeutrides*, id est *curatores et curatrices*, sive *cultores et cultrices*, a graeco verbo θεραπεύω, quod et *curare*, sive *mederi* et *colere* etiam significat: nomini autem causam dedisse tum curam illam, quam animi vitiis morbisque curandis adhibere consueverant, tum cultum etiam illum, quem summo numini rerumque omnium parenti et effectori praestabant. Porro, inquit, (16) qui se huic disciplinae addicunt, non ex gentis instituto, non ab aliis rogati id faciunt; sed sponte, amore caelestium rerum illecti: quam ubi amplexi fuerint, quaecumque antea possidebant, liberis et cognatis relinquunt; aut si illi desint, sociis amicisque distribuunt. Tum patria (17), filiis,

---

(1) De emendat. temp. lib. VI. initio. — (2) Libro de Sibyllis. — (3) Ad annum LXII. — (4) In notis ad Euseb. loc. cit. — (5) In notis ad Hieronym. ll. cc. — (6) Prideaux Hist. des Juifs. livr. XIII., Lightfoot. comm. ad Acta Apost. ad ann. Caii V. part. III., Scultet. Exerc. Evang. lib. I. cap. XXXIII. et in Medulla theol. Euseb. Drusius de tribus sect., Cave Hist. litt. in Marco, Bingham. Orig. Eccl. vol. III. part. I. — (7) De Monach. lib. II. cap. V. — (8) Trihaer. lib. III. — (9) In notis ad Epiphan. haer. XXIX. n. V. — (10) Ad epist. I. Iuliani Aug. intér Anecd. Graec. edit. Patav. ann. 1709. — (11) Ad ann. LXIV. num. III. et seqq. — (12) Vide Moreri diction. voce *Therapeutes*, Calmet Diction. Bibl. ad eandem vocem etc. — (13) Pag. 889. B. edit. Paris. — (14) In libro: *quod omnis probus sit liber*. — (15) Περὶ τῶν θεωρίαν ἀσπαζομένων — (16) Pag. 891. B. — (17) Pag. 892. B.

parentibus et iis omnibus, quae maxime ab hominibus amari solent, relictis, sese in solitudinem recipiunt, suburbanos hortos aut villas incolentes; ac hominum consortia, non societatis odio declinantes, sed amore libertatis atque innocentiae. Cumque (1) toto orbe hoc institutum diffusum sit apud Graecos et Barbaros, maximus tamen Therapeutarum numerus habetur in singulis Aegypti *nomis*, sive provinciis, et praecipue circa urbem Alexandriae, tum circa stagnum Meriae, sive Mareotis (2), quo optimus quisque Therapeutarum mitti consuevit. Eo vero loci (3) domicilia omnia modesta sunt, et aestui frigorique arcendo tantum accommodata. Singulis singula dantur, addita parva aedicula, ubi sacris operantur, quamque σεμνεῖον καὶ μοναστήριον, *semnaeum et monasterium* appellant. Aediculae nihil infertur, praeter legis et prophetarum ac hymnorum libros; tum si quid aliud est, quod pietatem religionemque possit promovere. Quotidie bis precari mos est, mane ac vespere: quod vero diei reliquum est, tribuunt caelestium rerum contemplationi. Versant autem perpetuo sacras litteras; easque, ex traditione a maioribus accepta, allegorice interpretantur: adhibitis praesertim commentariis bene multis, quae a priscis sectae suae auctoribus accepere. Quin et hymnos atque cantica multiplici carminum genere scribere solent, eaque severis numeris adhibitis decantare, Dei laudes et metro simul et cantu concelebrantes. Haec porro omnia apud se, in monasterio quisque suo, peragunt sex integris diebus: at ubi septima quaeque dies advenit, omnes simul in semnaeum commune conveniunt, ibique iuxta aetatis ordinem universi considunt, veste habituque oris et corporis ad modestiam mirifice comparato. Est (4) autem semnaeum illud intergerino pariete in duas partes divisum: sed paries nonnisi ad trium cubitorum altitudinem attollitur, licet semnaei altitudo longe maior sit: nec enim nisi feminis a viris segregandis in modum loricae interiectus est. Ubi vero universi conveniunt, ὁ πρεσβύτατος, h. e. natu omnium maximus, idemque therapeuticorum dogmatum peritissimus, in medium progreditur, ac vultu gravi et modesto, voce composita, de sacris rebus disserit, silentibus ceteris, vultuque tantum ac nutu capitis loquentis verba comprobantibus.

III. Ad mores vero gentis quod attinet (5), temperantiam magnopere sectantur. Cibus illis simplex panis, obsonium sal: si qui ceteris sunt delicatiores, hyssopum adiiciunt: potus aqua hausta e fluentis. Cibi sumendi tempus nox est: die integra in caelestium contemplatione occupata. Ieiunium quotidianum; cibi etiam sumptione in alterum diem a plurimis, ab aliis in tertium, a quibusdam in sextum protracta. Vestis simplex, quaeque frigus et nuditatem arcere possit. Lautiora apud illos convivia in certos dies condicta (6) ex Moysi instituto. Siquidem post hebdomadas septem conveniunt, non modo septenarium numerum venerati, sed et eius in se ducti potestatem. (Siquidem VII. per VII. ducta, red-

---

(1) Ibidem D. — (2) Vide Sozom. et Epiphan. ll. cc. — (3) Pag. 893. A. — (4) Pag. 894. B. — (5) Ibid. C. — (6) Pag. 899. A.

dunt XLIX.). Is autem dies, nempe quadragesimus nonus, profestum est maximae solemnitatis. Ad quam ubi omnes convenere ἐφημερευτής, *ephemereuta*, sive minister, cui eius diei ministerium obtigit, signum dat, ac statim universi antequam discumbant, elatis in caelum oculis atque manibus, ut Deo convivium illud acceptum sit, preces effundunt. Discumbunt peracta prece seniores, ac mox alii pro dignitate, admissis etiam feminis ad convivium, quae tamen virgines sunt, ac ut plurimum aetate provectae. Tenent autem dextrum latus viri, feminae seorsim sinistrum: nec servi mensae ministrant, sed ingenui iuvenes e coetu delecti inter optimos: neque enim nisi optimi ingenii sit, et comparatam ad virtutem indolem exhibeat, quispiam ministerio admovetur. Inferuntur consueti cibi, panis, sal, hyssopus et aqua. Lautiorum (1) vero ferculorum loco quaestiunculae ex sacris libris producuntur. Proponit unus, solvit alter, silent ceteri; maxima autem allegoriarum in his quaestionibus cura: quas ubi ὁ πρόεδρος, sive *praeses*, accurate pertractaverit, et auditoribus satisfecerit, ingenti plausu ab universis accipitur. Tum vero ille assurgens, hymnum in Dei laudem omnium primus canit, sive a se recens compositum, sive ab antiquis vatibus acceptum, quales apud illos extant multi, aut trimetri, aut per accentus currentes; tum hymni etiam canendi vel inter libationes, vel ad altare, vel a stantibus, vel a ducentibus choreas, per strophas multiplices optime moderatas. Praesulem mox ceteri imitantur per ordinem, universis interim silentibus, clausula hymnorum excepta, quam omnes elata voce pronuntiant. Hymnis expletis (2), iuniores mensam inferunt, *superposito cibo sacratissimo, pane nempe fermentato et salis obsonio, quibus admiscetur hyssopus*, ob reverentiam scilicet mensae illius sanctae, quae stat in ipso templi vestibulo. Nam super mensam illam panes sunt et sal, sed absque condimento ullo: panes quidem sine fermento, sal vero sine mixtura. Decet enim sacerdotes potiorem partem, ac quasi divini ministerii praemium, quae omnium simplicissima sunt et purissima, obtinere: ceteros vero ea quidem imitari, at ab his panibus abstinere, ut melioribus privilegium servetur. Convivium excipit sacrum pervigilium, quod fere ita agunt. Surgunt universi, ac medio in coenaculo duo chori primum fiunt, hinc virorum, hinc mulierum; ac suus utrique choragus praeficitur, honoratissimus scilicet atque praestantissimus. Agit deinde choreas chorus uterque seorsim, modestas illas quidem atque concinnas, additis hymnis, quos modo uno ore concinunt, modo alternis: donec, utroque choro coniuncto, simul omnes Therapeutae Therapeutridesque, hymnos Deo canere aggressi, suavissimum virilibus ac muliebribus vocibus commixtis concentum efficiunt. Ita gestientes atque exultantes sol oriens invenit: quem statim ac ortum vident, faciem ad illum totumque corpus convertunt, manibusque in caelum protensis, ac felicem sibi diem, veritatem mentisque recte ratiocinantis acumen comprecati, ad suum quisque *monasterium et semnaeum* revertuntur. Hucusque Philo, cuius non sensa modo et sententias, sed verba etiam, quoad licuit, diligentissime retinuimus.

---

(1) Pag. 901. A. — (2) Pag. 902. A.

IV. Nunc illo audito, quid de eiusdem narratione dicant Patres, audiamus. Ac Eusebius quidem, qui omnium primus haec ad Christianos potius, quam ad Iudaeos pertinere existimavit, postquam Ecclesias a Marco Alexandriae constitutas commemorasset, ita habet (1): *Tanta porro ibidem credentium virorum et mulierum multitudo severiorem ac fere philosophicam exercitationem amplexa est, ut Philo operae pretium duxerit illorum studia, conventus, convivia, totamque vivendi rationem scriptis suis commemorare.* Addit deinde (2), Philoni cum Petro apostolo necessitudinem intercessisse ipsa Claudii aetate, tum Christianos illos aegyptios, de quibus agit Philo, ex Hebraeis originem duxisse, ac proinde nemini mirum videri debere, si christianis ritibus iudaicas quasdam caeremonias intermiscerent. Pergit deinde, et ipsum Philonis commentarium expendens, de ipso *Therapeutarum* nomine dubitare videtur, utrum revera illud ipsi habuerint, an ab ipso Philone excogitatum sit, ut illorum instituta ipsa appellatione significaret (3): cum Christianorum nomen nondum fuisset propagatum. Rem tamen in ambiguo relinquit, cum tamen ita Philo loquatur, ut cuilibet appareat verum illud et proprium eius sectae nomen fuisse. Singulas deinde Therapeutarum disciplinae leges et consuetudines cum christianae Ecclesiae institutis diligentissime confert; illudque demum concludit, nonnisi Christianos esse potuisse, qui christianis moribus et legibus viverent; eumque tantum de hac re dubitare posse, qui prorsus insaniat. Ab Eusebio autem non abscedit Hieronymus in Marco (4): *Denique*, inquit, *Philo disertissimus Iudaeorum, videns Alexandriae primam Ecclesiam adhuc iudaizantem, quasi in laudem gentis suae librum super eorum conversatione scripsit. Et quomodo Lucas narrat* (5), *Hierosolymae credentes omnia habuisse communia; sic et ille, quod Alexandriae sub Marco fieri doctore cernebat, memoriae tradidit.* Sed adhuc luculentius in Philone (6): *Philo*, inquit, *iudaeus, natione alexandrinus, de genere sacerdotum, idcirco a nobis inter scriptores ecclesiasticos ponitur, quia librum de prima Marci evangelistae apud Alexandriam scribens Ecclesia, in nostrorum laude versatus est: non solum eos ibi, sed in multis quoque provinciis esse memorans; et habitacula eorum dicens monasteria. Ex quo apparet, talem primum Christo credentium fuisse Ecclesiam, quales nunc monachi esse nituntur et cupiunt, ut nihil cuiusquam proprium sit, nullus inter eos dives, nullus pauper. Patrimonia egentibus dividuntur, orationi vacatur et psalmis, doctrinae quoque et continentiae, quales Lucas refert* (7) *primum Hierosolymae fuisse credentes. Aiunt, hunc sub Caio Caligula Romae periclitatum, quo legatus gentis suae missus fuerat. Cum secunda vice venisset ad Claudium, in eadem urbe locutum esse cum apostolo Petro, eiusque habuisse amicitias, et ob hanc causam etiam Marci, discipuli Petri, apud Alexandriam sectatores ornasse laudibus suis.* Sozomeni et Epiphanii loca praetermitto, his prorsus similia; hoc uno excepto, quod Epi-

---

(1) Τοσαύτη δ' ἄρα τῶν αὐτόθι πεπιστευκότων πλῆθος ἀνδρῶν τε καὶ γυναικῶν ἐκ πρώτης ἐπιβολῆς συνέστη δι' ἀσκήσεως φιλοσοφωτάτης τε καὶ σφοδροτάτης, ὡς καὶ γραφῆς αὐτῶν ἀξιῶσαι τὰς διατριβὰς καὶ τὰς συνηλύσεις, τά τε συμπόσια, καὶ πᾶσαν τὴν ἄλλην τοῦ βίου ἀγωγὴν τὸν Φιλῶνα. Euseb. lib. II. cap. XVI. Histor. Eccle. — (2) Ibidem cap. XVII. — (3) Phil. pag. 889. C. — (4) De Viris illustr. cap. VIII. — (5) Act. II. v. 44. — (6) Ibid. cap. XI. — (7) Act. II. v. 44.

phanius Therapeutas Nazaraeis et Essenis accenset, qua in re hallucinatum fuisse certum est.

V. Nunc vero sanctorum Patrum sententia explicata, iam illam tuendam ac vindicandam suscipiamus; quod ut praestemus, hoc erit nobis ordine procedendum. Primum quidem Therapeutas alios omnino esse ab Essenis, Valesio duce (1), adversus Scaligerum ostendemus; deinde, Philonis narratione ad examen revocata, quae eloquentissimus Iudaeus de Therapeutis dixit, ea omnia in apostolicorum temporum Christianos apprime convenire demonstrabimus: demum adversariorum momentis pro virili occurremus. Ac ut primam quaestionem aggrediar, satis ex ipso initio philoniani opusculi constat, Essenos a Therapeutis esse distinguendos; sic enim habet (2): *Locutus de Essaeis, qui actuosam vitam sequuntur, eandemque agunt, ceteris omnibus, sive quod minus invidiosum dictu est, plerisque aliis felicius; iam ita ferente rerum ordine et de iis agam, qui contemplativam vitam sequuntur etc.*, quibus profecto Philo satis aperte demonstrat, magnum inter Essenos et Therapeutas discrimen intercessisse, nec ullo modo inter se esse confundendos. Ex quo fit, ut illos Essenorum, sive Essaeorum nomine nunquam appellet, imo in ipso libri sui exordio *Therapeutas* et *Therapeutrides* proprio nomine vocari tradat, non *θεωρητικοῦς* Ἐσσαῖους, *theoricos*, sive *contemplativos Essenos*, ut commenti sunt nonnulli (3); quam appellationem universa prorsus antiquitas ignoravit. Quod ex Iosepho Flavio, diligentissimo iudaicarum rerum scriptore, deprehendi etiam potest, qui cum de Essenis bis mentione iniecta (4) diligentissime locutus esset, nunquam hanc ipsorum in *πρακτικοῦς* et *θεωρητικοῦς* distinctionem commemoravit. Sed et plura alia sunt, quae magnum inter utramque sectam discrimen interfuisse demonstrant. Essenos nonnisi in Iudaea commorari consuevisse, haud semel tradit Philo (5); et Philoni subscribit Plinius (6), qui illos ad occidentem lacus Asphaltitis degere tradit. At Therapeutas et apud Graecos et apud Barbaros reperiri idem Philo (7) pronunciat, praesertim vero in Aegypto; propriamque illis sedem circa Alexandriam et Mareotem adsignat. Mulieres apud Essenos nullas esse Iosephus, Plinius et ipse Philo testantur (8): apud Therapeutas par fere mulierum et virorum numerus: licet utrique continentiam profiteantur (9). Esseni, Iosepho teste (10), fato et necessitati omnia tribuunt: Therapeutae ab ipso Deo (11) prospera sibi quaeque, sapientiam, felicitatem comprecantur. Esseni pueros (12), imo adolescentes ac iuvenes in societatem et contubernium minime recipiunt: Therapeutae non re-

---

(1) In Notis ad Euseb. Hist. Eccl. lib. II. cap. XVII. — (2) Ἐσσαίων περὶ διαλεχθείς, οἳ τὸν πρακτικὸν ἐζήλωσαν, καὶ διεπόνησαν βίον ἐν ἅπασιν, ἢ τὸ γοῦν εὐφορητότερον εἰπεῖν τοῖς πλείστοις μέρεσι διευεγκόντες, αὐτίκα καὶ περὶ τὴν θεωρίαν ἀσπασαμένων ἀκολουθίᾳ τῆς πραγματείας ἑπόμενος, τὰ προσήκοντα λέξω κ. τ. λ. — (3) Scultet. Exerc. Evang. lib. I. cap. XXXIII. Scalig. in Elench., Prideaux Hist. des Iuifs livre XIII. — (4) De Bello Iudaico lib. II. cap. graec. XII. lat. VII. Antiq. lib. XVIII. cap. II. Vide etiam Antiq. lib. XIII. cap. IX. pag. 412. edit. Genev. — (5) Lib. *quod omnis probus liber*. pag. 876. C., Apologia pro Iudaeis apud Eusebium Praep. Evang. lib. VIII. cap. XI. — (6) Hist. Natur. lib. V. cap. XVII. — (7) Pag. 892. B. — (8) LL. cc. — (9) Phil. 889. C. — (10) Antiq. lib. XIII. cap. IX. Vide tamen eundem Antiq. lib. XVIII. cap. II. — (11) Phil. 899. C. — (12) Philo apud Euseb. de Praep. Evang. lib. VIII. cap. XI.

cipiunt modo (1), sed etiam ad ministeria et officia promovent, imo senioribus ipsis aliquando anteponunt (2): illi ad panem alias etiam dapes ac obsonia adhibent (3): hi praeter panem (4), sal et hyssopum nullo alio cibo vescuntur. Illi plures (5) simul in una domo degere solent: hi vero (6) singuli singillatim *μοναστήριον monasterium* incolunt, quisque suum: quod ipso nomine *unius hominis seorsim degentis* habitationem significat: illis peculiares solemnitates nullae prorsus vel a Iosepho vel a Philone tribuuntur, superstitiones vero plurimae (7): his festivitates nonnullae (8) assignantur, superstitiones nullae. Mitto cetera. Nam quid addere praeterea aliud necesse est, ut utriusque sectae discrimen evidentius appareat? Equidem non diffiteor Essenis cum Therapeutis in multis convenire. Quid inde tamen? profecto necesse erat ita esse, siquidem utrisque a vulgo secedere, et *ἀσκητικὴν* vitam agere propositum fuerat. Nonne nostra etiam aetate multa sunt et christianis monachis, et Turcarum dervisiis (9) sive *sanctonibus* communia? Ecquis tamen dervisios, aut sanctones cum monachis nostris confundat?

VI. Atqui si Esseni non erant, inquit Valesius (10), *quinam igitur erant Therapeutae?* Respondet: *Iudaicae quidem religionis cultores illos fuisse non diffiteor; maxime cum Philo nihil praeter leges et prophetas eos lectitasse dicat.* Ego vero nonnisi christianos esse potuisse contendo. Ipsam Philonis narrationem diligenter expende: invenies multa, quae Christianis conveniant; Iudaeis nullo modo possint aptari; sunt etiam quae vicissim, haud diffiteor, in Iudaeos optime quadrant, in Christianos non item: at animadvertendum est, Philonem religione iudaeum, quique Therapeutas Iudaeis accensebat, multa ad iudaicos ritus fortasse deflexisse, quorum vel mysteria ignorabat, vel quomodo fierent ex *arcani disciplina,* tunc in Ecclesia vigente, cognoscere vetabatur. Nam quae ad sacramentorum, Eucharistiae praesertim, administrationem pertinent, tum preces quaedam, exorcismi, ritus aliaque bene multa, primis Ecclesiae saeculis arcano silentio tegi consuevere (11), ne ad Ethnicorum Iudaeorumve notitiam pervenirent; violataeque fidei reus habebatur quicumque christiana sacra vulgasset. Adde, Eusebii (12) et Hieronymi (13) testimonio constare, Ecclesiam alexandrinam sub illis exordiis magna ex parte iudaizasse, ita ut nil mirum sit, nonnulla in Therapeutarum institutis reperiri, quae iudaicis moribus convenire videantur. Quod si Marcus, ut diximus (14), sub Caio alexandrinam Ecclesiam instituit, quo tempore nondum iudaici ritus proscripti erant: nam sub Claudio, qui Caio successit, imo sub ipso exitu claudiani imperii Paulum Hierosolymam voti solvendi causa ascendisse, alias vidimus (15): non est profecto cur aliquis, si quid iudaicum in Therapeutarum in-

---

(1) Phil. 900. C. — (2) Ibid. 899. B. — (3) Ioseph. de Bell. Iud. lib. II. cap. VII. pag. 785. G. — (4) Philo 894. E. 900. D. — (5) Ioseph. loc. cit. G. et pag. seq. A. — (6) Philo 893. A. 903. B. — (7) Ioseph. loc. cit. pag. 787. B. et seqq. — (8) Philo 899. B. — (9) Vide Beccatini Dizion. de'Turchi ad voces *Dervik* et *Santoni.* — (10) Loc. cit. — (11) Vide Ansald. dissert. de discipl. Arcani. Pagi ad ann. LV. num. VI. Schelstr. de discipl. Arcan., Bona Rer. Liturg. lib. I. cap. XVI. etc. — (12) Hist. Eccl. lib. II. cap. XVII. — (13) De viris illustr. cap. VIII. — (14) Supr. cap. XV. n. III. — (15) Supr. cap. VIII. n. 5.

stitutis offendat, illos statim e Christianorum albo delere velit: cum ne ipsi quidem Apostoli (1) per ea tempora a iudaicis caeremoniis omnino abstinerent. His vero praestitutis, vides quam facile sit, therapeuticam Philonis historiam de Christianis totam interpretari. Ac primum omnium occurrit ipsum Therapeutarum nomen, de quo expendenda nonnulla. Quaero primum: si Therapeutae iudaei erant, quomodo nullibi apud Iudaeos ipsorum nomen occurrit? qui fit, ut illius nec Iosephus tam sollers iudaicarum rerum indagator et laudator eloquentissimus unquam meminerit, aut Thalmudistae, aut qui Thalmudistas secuti sunt antiquiores Rabbini? cur sectae illius, quam utique ab Essenis diversam ostendimus (2), nunquam apud Hebraeorum historicos occurrit mentio? Equidem praeter tres illas Pharisaeorum, Sadducaeorum et Essenorum (3) haereses, alias etiam apud illos commemoratas invenio; nempe obscuriores quasdam, Galilaeorum, Herodianorum aliorumque huiusmodi. At de Therapeutis altum ubique silentium, perinde ac si nunquam illi in rerum natura fuissent. Vis ne illos communi Essenorum appellatione nuncupatos, praesertim si Essaeorum nomen a radice NDN cum Serario (4) placeat derivare? Siquidem tam NDN hebraice, quam graece θεραπεύω *curare* vel *mederi* significat, ac proinde idem omnino erit *Essaeus* ac *Therapeuta:* libenter do. Erit unum, si ita placet, utriusque sectae nomen: at quid tandem ex nominis convenientia conficies, cum ipsae res non conveniant? Esto etiam, Therapeutas Essenorum nomine appellatos: at ab aliis Essenis diversi omnino cum fuerint, cur de illis nunquam aut Iosephus aut Thalmudici mentionem iniecere; nec de Essenis loquentes, actuosum hoc genus Essenorum commemoravere? Vis ne illos Therapeutas omnino ignorasse, ac Iosephi aetate, qui statim post Philonem floruit, eorum memoriam penitus intercidisse? At quis vel ignorasse illos, vel ita cito intercidisse sectam illam putaverit, quae, Philone teste (5), *toto orbe diffusa erat? Siquidem,* ait, *perfecti huius boni et Graeciam et Barbariam compotes esse decebat.* Cur non itaque potius Christianos fuisse dicamus, qui iam, quo tempore scribebat Philo, toto orbe diffusi, eximia ubique virtutis ac sanctitatis exempla disseminabant? Certe hoc ipso θεραπευτῶν *Therapeutarum* nomine ad veros Dei cultores significandos utitur non semel Clemens alexandrinus (6); et Auctor librorum de Ecclesiastica Hierarchia, quicumque demum ille sit, profecto antiquissimus, tradit (7): *Monachos a christianae fidei magistris Therapeutas appellatos fuisse, ob sinceram Dei servitutem et cultum.* Cur non itaque *Therapeutas* apud Christianos quaeramus, quibus noti illi sunt, quam apud Iudaeos, quibus est eorum nomen omnino inauditum?

VII. Hoc ipsum ostendit therapeutici instituti toto orbe diffusa propagatio; qualem nobis exhibet Philo verbis modo laudatis. Nam quae alia tam late patens Iudaeorum secta esse inter Iudaeos ea aetate potuit, quae universam Graeciam

---

(1) Vide Act. Apost. cap. XXI. v. 21. et seqq. — (2) Cap. praeced. — (3) Vide Ugol. de sectis Iud. Tom. XXII. Thes. Antiq. Sacr. — (4) Apud Ugol. in Trihaeresio cap. XII. n. 1. — (5) Pag. 892. D. Πολλαχοῦ μὲν οὖν τῆς οἰκουμένης ἐστὶ τὸ γένος. Ἔδει γὰρ ἀγαθοῦ τελείου μετασχεῖν καὶ τὴν Ἑλλάδα, καὶ τὴν Βάρβαρον. — (6) Stromat. lib. V. cap. XIV. pag. 594. edit. paris. lib. VII. cap. VII. pag. 724. — (7) De Eccl. Hierarch. cap. VI. sect. I. n. 3. Ἔνθεν οἱ θεῖοι καθηγέμονες ἡμῶν ἐπωνυμίαν αὐτοὺς ἱερῶν ἠξίωσαν οἱ μὲν θεραπευτάς, οἱ δὲ μοναχοὺς ὀνομάζοντες, ἐκ τῆς τοῦ θεοῦ καθαρᾶς ὑπηρεσίας. καὶ θεραπείας.

et Barbariam occupasse dicatur? Pharisaei, Sadducaei, Esseni, qui per ea tempora iudaicarum haereseon capita habebantur, Palaestinae et Syriae finibus continebantur; aut certe extra illas regiones vix erat, qui easdem profiteretur: Haerodiani, Galilaei aliique huiusmodi ne nomine quidem exteris gentibus noti erant: Therapeutae soli in universas gentes dispersi, et maxime apud Aegyptios aucti florentesque, universum humanum genus vitae exemplo atque virtute illustrabant: siquidem *decebat*, inquit Philo, *perfecti huius boni et Graecos et Barbaros compotes fieri*. Quaero nunc, cuinam alteri sectae tam magnifica praeconia possunt aptari praeter Christianos? Nec dicas, non Christianorum nomen, sed Therapeutarum apud Philonem occurrere; nec putandum ullo modo, Iudaeum pervicacissimum invisum ac abominatum genti suae Christianorum genus tam eximiis laudibus exornaturum. Utrique enim difficultati multa sunt, quae reponam. Nam ad nomen Christianorum quod attinet, non ita illud celeriter propagatum fuisse, ac veluti proprium Christi sectatorum ubique usurpatum, habe ex Actibus Apostolorum (1); ubi christiana disciplina ἡ τῶν Ναζωραίων αἵρεσις, *Nazaraeorum haeresis* vel *secta*, appellatur; licet iam XIII. anni circiter praeteriissent, ex quo Christi discipuli *Christianorum* nomen adepti fuerant (2). Nam antiochena Ecclesia, ubi primum hoc nomen exortum est, ante Petrum in carcerem ab Herode missum, hoc est primis Claudii annis, fundata est (3); Pauli vero accusatio, ubi hoc *Nazaraeorum* nomen occurrit, sub Nerone intentata, ut alibi (4) ostendimus. Si itaque in Iudaea Christiani adhuc *Nazaraei* appellabantur sub Nerone; si teste Epiphanio (5) *Iessaei* quoque nuncupati sunt: quid mirum eosdem sub Claudio (nam sub Claudio (6) scripsit Philo) *Therapeutas* in Aegypto fuisse vocatos? Quid quod ex nostra hypothesi sub Tiberio in Aegyptum missus est Marcus (7), quando ipsum *Christianorum* nomen nondum fuerat auditum; nec ante tertium aut quartum Claudii annum in Palaestinam reversus est? Cur non poterit ille discipulos, quos collegerat, et ad perfectissimam vitam purissimumque Dei cultum informaverat, θεραπευτὰς, hoc est *cultores Dei, animique vitiorum curatores* vocare, quemadmodum illos sequenti aetate alexandrinus Clemens γνωστικοῦς (8), hoc est *verae scientiae compotes*, appellavit? Aut si non ipse Marcus hoc illis nomen indidit, cur non ipsimet Aegyptii, ipsorum virtute et religione perspecta, eos *Therapeutas* nuncupare potuere, quemadmodum illos Antiocheni ea ipsa aetate *Christianos* nuncupaverunt? Haec certe mihi longe probabiliora videntur, quam novam iudaeorum monachorum sectam confingere, ab Essenis necessario distinctam, toto orbe diffusam, et tamen Iudaeis ipsis incognitam et inauditam. Quod vero addunt, si Christiani illi essent, nunquam Philonem de ipsis cum laude fuisse locuturum, id cuiusmodi sit, infra videbimus (9).

VIII. Hoc itaque interim praetermisso, liceat mihi nonnihil et de ipsis *Therapeutridibus* animadvertere, quas cum *Therapeutis*, feminas nempe cum

(1) Act. XXIV. v. 5. — (2) Ibidem XI. v. 26. — (3) Vide supr. cap. VIII. n. IX. — (4) Supr. cap. VIII. n. IV. et seqq. — (5) Haeres. XXIX. num. V. — (6) Vide supr. cap. XV. n. IV. — (7) Ibidem n. III. — (8) In Paedag. et Stromat. passim. — (9) Infr. n. XV.

viris, convenire aliquando consuevisse, tradit Philo (1). Equidem quo magis rem attente perpendo, eo magis mihi persuadeo vix fieri posse, ut alios praeter Christianos *Therapeutarum* nomine doctissimus Iudaeus designaverit. Nam quid feminis cum viris, si utrique connubia aversantur? quid in una secta utrique coeant, cui nihil praeter caelestium rerum contemplationem propositum sit? quid iudaeis mulieribus cum perpetua sacrarum Scripturarum lectione, meditatione, investigatione? Id ab iudaeis feminis factum aliquando fuisse, nemo unquam, quod ipse noverim, tradidit iudaeorum scriptorum. Ac Esseni quidem a mulieribus abstinebant, coelibem et ipsi vitam ducentes (2): eos tamen mulieres in contubernium ac societatem suam admisisse nusquam lego. Siquidem, qui castitatem professus, mulierum tamen consuetudinem non deserit (3),

Periculosae plenum opus aleae
Tractat, et incedit per ignes
Suppositos cineri doloso.

Neque putandum est, sectam ullam paullo honestiorem, ac maxime meditationi deditam, adeo incautam fuisse, quae tam perniciosum omnium malorum seminarium foveret sinu suo. At non ita de ea religione dicendum, quae totius humani generis erudiendi salvandique causa instituta, pari modo mulieres ac viros amplectitur, ac ad pietatem informat; quaeque ab ipso sui exordio, utrosque simul et ad synaxes et ad agapas admittere consuevit. Hinc illa ab Apostolo indicta mulieribus praecepta, ne in Ecclesia loquantur (4), ut velato capite inter viros appareant (5), et alia bene multa, quae commode adduci possent. Qua in re animadvertendum est, Philonem nunquam dixisse, *Therapeutridas* in religiosis illis conventibus locutas fuisse: sed id munus viris semper, praecipue vero senioribus (πρεσβυτάτοις) tribuisse, quod cum apostolica disciplina optime congruit. Quis vero ille tantus perpetuae virginitatis amor, qui non *Therapeutarum* tantum, sed et *Therapeutridum* animos pervaserat? Synagogae ne ille proprius, an Ecclesiae? quem tamen, ut inter Christianos ea aetate late diffusum fuisse constat, ita nunquam apud Iudaeos viguisse. Si itaque et *apud Graecos et apud Barbaros Therapeutrides* erant tunc temporis, quis non in illis christianas potius feminas agnoscat, quam iudaeas?

IX. Idipsum et alia *Therapeutarum* instituta evidenter ostendunt. Recenset Philo ipsorum temperantiam prorsus incredibilem, ac pane tantum et sale sedatam esuriem (6); producta in biduum aut triduum quandoque etiam in diem sextum ieiunia (7); vestis genus modestum ac simplex (8); aedificia modica, nec sumptuosa supellectile instructa (9); silentium fere perpetuum (10), societatis et hominum fugam (11), amorem solitudinis (12), nunquam intermissam rerum caelestium contemplationem (13). Haec omnia etiam in Iudaeos convenire posse haud renuo: sed multo melius in Christianos, praesertim perfectioris vitae genus se-

(1) Philo pag. 889. D. — (2) Vide Ioseph. ll. cc. — (3) Horat. Carm. lib. II. ode I. vers. 6. — (4) I. Corinth. XIV. 34. 35. I. Timoth. II. v. 11. 12. — (5) I. Corinth. XI. 6. etc. — (6) Pag. 893. A. 891. E. 895. A. — (7) Pag. 891. D. — (8) Pag. 895. A. — (9) Ibidem. — (10) Ibid. — (11) Pag. 892. C. — (12) Ibid. — (13) Pag. 893. C. D.

cutos, negabit nemo. Nam quid aliud saeculo deinde Christi III. et IV. innumerabiles illae christianorum monachorum turbae secutae sunt, quae iisdem illis in locis degere, quos Philonis aetate Therapeutae incolebant? Qua in re mirari subit, quo pacto evenerit, ut Therapeutae illi iudaei ex illis ipsis locis repente evanuerint: ut cum deinde monachi nostri easdem illas sedes occupare coeperunt, non modo eorum nullus amplius asceticam ibidem vitam ageret, sed ne memoria quidem ipsorum, non *semnaeum*, non *monasterium* ullum, saltem caducum et ruinosum superesset. Certe nihil de illis prorsus apud Hieronymum, Theodoretum, Palladium, Cassianum ceterosque monasticae historiae scriptores: cum ex adverso Cassianus testetur de aegyptiis Christianorum monasteriis, ea (1) *ab exordio praedicationis apostolicae a sanctis ac spiritualibus patribus fundata, adhuc aetate sua perdurasse:* spiritualibus vero patribus S. Marcum diserte accenseat (2), a quo vivendi normam accepere, qui primi monasticam vitam in Aegypto professi sunt. Itaque si Therapeutas christianos existimes, iam eos esse reperies, qui processu temporis monachi et christiani appellati sunt: si iudaeos, quomodo secta illa toto orbe diffusa, ac in Aegypto maxime florens, repente evanuerit, nullo modo explicare poteris: imo nec illud intelliges, qui factum fuerit, ut dum adhuc staret, totumque orbem occuparet, uni tantum Philoni nota esset, ceteris omnibus inaudita.

X. Neque putes, casu tantum aut temere a me dictum fuisse, Therapeutas Philonis eos esse non modo, qui monachi deinde, sed etiam qui christiani vocati sunt. Duplex enim et ipse Philo ipsorum genus sub uno nomine comprehendit (3); tum eos, qui in suburbanis hortis villisque vitam agebant; tum eos, qui in remotiores solitudines, praesertim circa Mareotem secesserant; quos inter, illos quidem christianorum, hos vero monachorum patres fuisse non dubito. Nec te moveat, illos etiam monasticam paene vitam duxisse, renuntiasse bonis omnibus ac voluptatibus; precibus ac ieiuniis vacasse, communi mensae accubuisse, aliaque huiusmodi, quae τῆς ἀσκητικῆς vitae speciem exhibent, secutos fuisse. Constat enim ex Actis Apostolicis (4), hanc sub ipsis Evangelii primordiis hierosolymitanae Ecclesiae disciplinam fuisse; ac proinde nil mirum, Marcum in illius Ecclesiae sinu innutritum educatumque, ac ab ipsis Apostolis eruditum, hanc ipsam disciplinam in alexandrinam Ecclesiam intulisse, quam fortasse ceteri etiam Apostoli et apostolici viri Ecclesiis a se institutis attulere. Quod tamen minime facit, alios quoque Therapeutas in ipsa urbe fuisse, apud se viventes, liberis operam dantes, in reliquis vero ceteris similes, laicos nempe christianos, quos tamen indictos praetermisit Philo; utpote quos vel ipse ignoraverit; vel communem vitam ducentes, ac proinde admirationi ciendae minime opportunos, commemorandos esse non existimaverit. Ac ex illis quidem, qui in agris villisque vivebant, tum etiam in urbibus, therapeutica illa et apostolica vita paullatim in desuetudinem ubique abeunte, christianos ortos esse quisque intelligit;

---

(1) Praefat. ad Instit. in fine. — (2) Ibidem. lib. II. cap. V. — (3) Pag. 892. C. — (4) Act. cap. IV. v. 32. et seqq.

ab iis vero, qui in solitudines sese receperant, monastica disciplina toto orbe est propagata; licet, quae est humanarum rerum conditio, pro varia temporum et locorum natura, varias et ipsa subinde et formas et vices subierit. Haec mihi certe optima videtur Philonis intelligendi ratio: nam quamcumque aliam sequaris, profecto inextricabiles prorsus casses induas necesse erit; ubi aut de communi illo antiquorum de Therapeutis silentio, aut de eorum fine aliquid, quod non absurdum omnino sit, proferre conatus fueris.

XI. Perge porro. Describit Philo commune illud Therapeutarum *semnaeum* (1), quo viri simul et mulieres convenire consueverant: ac, media lorica interiecta, bifariam divisum exhibet, ut suus esset mulieribus a viris seiunctus locus. Describit etiam (2) *τῶν συνάξεων* formam et ordinem, et *seniorem*, sive *τὸν πρεσβύτατον* concionantem inducit, tum adstantium ordinem, modestiam, silentium (3): addit (4), alios etiam post seniorem aliquando publice loqui, praesertim ubi quaestiones in medio afferantur; qui mos Apostolorum tempore in Ecclesia obtinuisse constat ex epistola I. ad Corinthios (5); tum psalmorum cantum, sive hymnorum commemorat (6), uno praecinente, tacentibus ceteris, ac tantum sub cantus finem canenti magna voce respondentibus, aut *Amen* (7) fortasse, ut in eadem epistola docet S. Paulus; aut *Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto*, quemadmodum apud aegyptios monachos fieri consuevit (8); eosque hymnos vel antiquos esse, vel ab iis ipsis, qui canunt, compositos dicit (9); scilicet iuxta apostolicum praeceptum (10), quo iubemur *admonere nosmetipsos hymnis, psalmis et canticis spiritualibus*. Quin imo ad haec cantica, quae extemplo a nonnullis effundebantur, puto ea pertinere, quae habet idem Apostolus (11) de iis, qui in Ecclesiae conventibus per ea tempora *psalmos* suos recitabant, quibus ab universo coetu *Amen* (12) respondebatur. Nec praetermittit aut feminarum, ut diximus, in Ecclesia silentium (13), quod illis quidem etiam Apostolus praecipit (14), nec septimi cuiusque diei solemnitatem (15), quam ab ipsa aetate apostolica novimus institutam (16), nec vigiliarum usum (17) Christianorum proprium, Iudaeis vero inauditum, et id genus alia; quae omnia apostolicorum temporum mores et disciplinam ita exhibent, ut si quis paullo in eius aetatis notitia profecerit, Philonem de Christianis esse locutum, dubitare non poterit. Mitto sacrorum librorum lectionem (18) et interpretationem (19), mitto bonorum omnium ac facultatum abdicationem (20), mitto *quinquagesimae* solemnitatem (21), dies scilicet L. inter Pascha et Pentecostem intersectos, mitto communes mensas (22), iunioribus, hoc est diaconis (23), iuxta hierosolymitanae Ecclesiae disciplinam (24) ministrantibus,

---

(1) Pag. 894. B. — (2) Ibid. — (3) Pag. 893. E. — (4) Pag. 901. A. — (5) I. Corinth. XIV. v. 23. 31. — (6) Pag. 901. E. 902. B. 892. C. — (7) Ibid. v. 16. — (8) Cassian. de Inst. lib. II. cap. VIII. — (9) Pag. 893. E. 901. D. — (10) Ephes. V. v. 19., Coloss. III. v. 16. — (11) I. Corinth. XIV. v. 15. 16. 26. — (12) I. Corinth. XIV. v. 16. Vide Iustin. Apol. I. n. LXV. — (13) Pag. 894. B. — (14) I. Corinth. XIV. v. 34. 35. I. Timoth. II. v. 11. 12. — (15) Pag. 893. E. 894. E. — (16) Act. XX. v. 7. I. Corinth. XVI. v. 2. — (17) Pag. 902. E. 903. A. Vide Act. cap. XII. v. 12. XX. v. 7. 8. — (18) Pag. 893. C. D. 901. C. — (19) Ibid. — (20) Pag. 891. B. 892. B. — (21) Pag. 899. B. — (22) Pag. 899. C. — (23) Pag. 900. B. 902. A. — (24) Act. Apost. cap. VI. v. 2. et seqq.

mitto preces matutinas ac vespertinas (1); ac unum quaero, utrum, scilicet, tanta inter Therapeutas Christianosque similitudo casui tantum ac fortunae tribuenda sit, an potius ii Christiani existimandi, quos christiana fere omnia instituta secutos tam evidenter deprehendimus? Quod ut mihi persuadeam, adhuc magis ac firmius Tertullianus facit (2), qui eadem prorsus de Christianis aetatis suae refert, quae de Therapeutis narrat Philo; Iustinus (3), apud quem Christianorum Liturgia totidem fere verbis describitur; Cassianus denique, qui aegyptiorum monachorum vitam ac leges prosecutus (4), tot ac tanta commemorat therapeuticis moribus prorsus convenientia, ut liquido appareat, illos non aliunde, quam ex Therapeutarum instituto, vivendi normam legesque accepisse; quod nec ille quidem diffitetur, hunc ipsum vitae institutum a Marco repetens, quem non christianae modo, sed et monasticae disciplinae apud Aegyptios auctorem et parentem appellat.

XII. Sed quod me maxime movet, ut Philonem de Christianis locutum existimem, illud est, quod de *Pane,* circa synaxeos finem apponi solito, tradit (5); quem ritum tam illustribus ac magnificis verbis describit, ut nonnisi de eucharistico Christianorum sacrificio loqui videatur. Liceat mihi modo eius verba paullo diligentius excutere: de re enim agitur, quae, mea quidem sententia, universam de Therapeutarum religione controversiam dissolvit. Refert ille igitur (6), Therapeutas, ubi certis diebus ad synaxin convenere universi viri simul et mulieres, certo ordine ad mensas accumbere, gratiisque Deo actis, eiusque ope implorata, consuetas dapes apponi, panem, salem, hyssopum; nec iam vinum, sed aquam ad potum adhiberi: *Huic vero,* inquit (7), *sacro convivio nullus servus, sed ingenui omnes ministrant, τὰς διακονικὰς χρείας, diaconica officia obeuntes:* tum paullo post (8): *Neque cuilibet ingenuo haec ministeria committuntur, sed iunioribus, maxima diligentia ex universa societate virtutis ergo delectis, prout decet* eligi vel eligere *urbanos, et optimae indolis, et ad virtutis summum contendentes. Hi vero, tamquam germani filii, libenter et sollicite patribus et matribus ministrant etc.* Ubi discubuere Therapeutae, non risus immoderatus auditur, non clamor, aut plausus, sed sacra *τοῦ πρεσβυτάτου presbyteri* sive *senioris* concio, et sacrarum litterarum interpretatio: quam deinde hymnorum cantus consequitur, ab ipso seniore alta voce editus, quem alii nonnulli deinde imitantur per ordinem (9), *omnibus interim quiete ac silenter audientibus, nisi quando hymnorum clausulae canendae sunt; tunc enim universi nullo sexus discrimine vocem attollunt.* Expende hanc narrationem, et quam bene illa cum antiquis Christianorum sy-

---

(1) Pag. 893. C. — (2) Apolog. cap. XXXIX. — (3) Apolog. I. n. 65. 66. — (4) Lib. II. — (5) Pag. 902. A. — (6) Pag. 899. C. — (7) Pag. 900. B. Ἐν δὲ τῷ ἱερῷ τούτῳ συμποσίῳ δοῦλος μὲν οὐδεὶς, ἐλεύθεροι δὲ ὑπηρετοῦσι, τὰς διακονικὰς χρείας ἐπιτελοῦντες κ. τ. λ. — (8) Ibid. C. Οὐδὲ οἱ τυχόντες ἐλεύθεροι τάττονται πρὸς ταῖς ὑπουργίαις ταύταις, ἀλλ' οἱ νέοι τῶν ἐν τῷ συστήματι μετὰ πάσης ἐπιμελείας ἀριστίνδην ἐπικριθέντες, ὃν χρὴ τρόπον ἀστείους, καὶ εὐγενεῖς πρὸς ἄκραν ἀρετὴν ἐπειγομένους, οἱ καθάπερ υἱοὶ γνήσιοι φιλοτίμως ἄσμενοι πατράσιν καὶ μητράσιν ὑπουργοῦσιν. κ. τ. λ. — (9) Phil. pag. 901. E. Πάντων κατὰ πολλὴν ἡσυχίαν ἀκροωμένων, πλὴν ὁπότε τὰ ἀκροτελεύτια· καὶ ἐφύμνια ᾄδειν δέοι· τότε γὰρ ἐξηχοῦσι πάντες τε καὶ πᾶσαι.

naxibus (1) conveniat, animadverte. Adhibentur ad mensas cum viris et feminae, quod ipsum in Actis Apostolicis etiam S. Lucas animadvertit (2), et Auctor constitutionum apostolicarum (3): praesidet ὁ πρεσβύτατος, id est *presbyter* vel potius *episcopus;* quod in S. Ignatii ad Smyrnaeos epistola (4), licet interpolata, semper fieri consuevisse deprehendimus: *non prius discumbitur, quam oratio ad Deum praegustetur:* at hac ipsa de re loquens observat Tertullianus (5), convivia illa sobria sunt et pudica; *neque enim*, aiebat Minutius Felix (6), *indulgemus epulis, aut convivia mero ducimus, sed gravitatem hilaritate temperamus:* at in multam tamen noctem protrahuntur; imo ideo sobrietas illa temperat, quia (7) *meminerunt etiam per noctem adorandum sibi Deum esse.* Quid vero de eorum conviviorum ministris dicam, quos ipsae illae voces διακονοῦνται et διακονικὰς χρείας, a Philone usurpatae, christianos diaconos esse demonstrant? Vides *iuvenes, ingenuos, optimae spei indolisque, ex universo sodalitio delectos, non mercede conductos, sed libenter et accurate ministrantes.* Confer quid de diaconis tradat S. Lucas in Actis (8); nec plura requires, ut Stephani, Prochori, Timonis socios et collegas agnoscas. Uno verbo universis, quae hucusque retulit Philo, simul expensis, christiana illa convivia in ipsis animadvertes, quae apostolica aetate Eucharistiae consecrationem comitari consuevere (9).

XIII. Perge porro (10). *Ubi vero singulorum hymni absoluti sunt, iuniores paullo ante memoratam mensam afferunt: quam super* habetur *sacratissimus ille cibus, panis fermentatus, cum salis obsonio, quibus hyssopus intermiscetur.* Mensam hanc paullo ante vocaverat τράπεζαν καθαρὰν τῶν ἐναίμων, *mensam a cruentis dapibus puram,* eamque post hymnos et cantica ab diaconis dicit afferri. Certe si ingens Therapeutarum multitudo ad hoc convivium convenerat, et tamen mensa a *iunioribus ingenuis,* hoc est diaconis, afferebatur, profecto mensa illa talis non erat, ut ad ipsam accumbere universi commode possent, hanc enim non diaconi, sed calones bene multi afferre debuissent. Parva itaque erat, quaeque *sacratissimo illi cibo* sustinendo par esset, et τῷ πρεσβυτάτῳ tantummodo apponeretur. Vide christianum altare a diaconis apparatum. Vocat vero cibum hunc παναγέστατον, *omnino sanctum.* Non negaverim id in causa esse huius appellationis, quod nihil cruentum in illo sit, idque ex Pythagoreorum doctrina, quae, ut platonicis omnibus, ita Philoni maxime placuit; quid tamen suspicari vetat, Philonem hoc ipsum παναγεστάτου, *sacratissimi,* vocabulum ab ipsis Therapeutis didicisse, quibus longe potior appellationis huius causa suberat? Nec cuiquam negotium faciat, quod Philo vinum, quod in Eucharistiae consecratione nequaquam abesse potuit, ipse tamen omnino a Therapeutarum mensis excludat; quod hyssopum et sal addat, cuius in Eucharistia usus nullus; quod panem

---

(1) De Agapis vide inter ceteros Ludov. Ant. Muratori diss. de Agapetis, init. — (2) Act. II. v. 46. cap. VI. v. 1. — (3) Lib. II. cap. 28. — (4) Cap. VIII. — (5) Apolog. cap. XXXIX. — (6) In Octavio n. XXXI. — (7) Tertullian. l. c. — (8) Act. VI. v. 3. et seqq. — (9) Vide I. Corinth. XI. v. 20. — (10) Philo pag. 902. A Ὅταν δὲ ἕκαστος διαπεράνηται τὸν ὕμνον, οἱ νέοι τὴν πρὸ μικροῦ λεχθεῖσαν τράπεζαν εἰσκομίζουσιν, ἐφ' ἧς τὸ παναγέστατον σιτίον ἄρτος ἐζυμωμένος, μετὰ προσοψήματος ἁλῶν, οἷς ὕσσωπος ἀναμέμικται.

adhibitum dicat in memoriam panis illius sancti, qui in templo aureae mensae imponebatur: nam nil mirum, iudaeum hominem in eo mysterio enarrando identidem offendisse, quod Christiani tanta religione celare consueverunt (1), ut ne tum quidem illud proderent, cum thyesteas epulas mactatosque pueros, et ipsorum sanguine condita fercula Ethnici calumniarentur (2), atque exprobrarent; quae propudia non aliunde, nisi ex Eucharistiae mysterio ac ritu perperam ab Ethnicis intellecto, originem ducebant. Itaque in ea re, quam non bene perspectam habuerat, id fecit Philo, quod ab homine iudaeo, et iudaicis allegoriis dedito, et Therapeutas Iudaeis accensente, expectandum erat; nempe, ut ad iudaica sacra ipsorum ritus pertraheret, mysticos propositionis panes comminisceretur, et alia id genus, de quibus erit nobis paullo infra loquendum (3). Interim liceat mihi de hoc Therapeutarum ritu ita breviter ratiocinari. Si iis, quae de hac re Philo refert, attendamus parumper; patebit statim, solemne hoc convivium, non modo inter sacras caeremonias habitum ab illis fuisse, sed omnium etiam sacrorum, quae ab ipsis peragebantur, maximum et sacratissimum. Id cum ritus illi ostendunt, qui convivium hoc comitari solebant, preces, hymni, cantica, pervigilium, aliaque huiusmodi, tum ipsius etiam Philonis verba, qui sacros Therapeutarum conventus describens, nihil convivio illo aut sanctius aut maius recenset. Praeterea cum, ipso Philone teste, Therapeutae essent eo tempore toto orbe diffusi, convivium quoque illud toto orbe celebratum fuisse credere omnino par est; quod si ita est, quibusnam haec potius aptari posse dicemus, Iudaeis ne an Christianis? Si ad Christianos haec referas, prona omnia atque perspicua: si vero Iudaeis, quot et quantae sese obiiciunt difficultates? Nam undenam Iudaeis, religiosis praesertim, quales profecto Therapeutas fuisse necesse est, nova haec superstitio, quam nec lex unquam constituit, nec synagogae usus, nec ipsi Iudaeorum religiosissimi Esseni secuti sunt? quomodo ritum hunc toto orbe diffusum veteres Iudaei ignorarunt, apud quos de ipso nec in Thalmude, nec alibi unquam levissimum indicium occurrit? Mihi certe, cum in illa caeremonia ea omnia fere animadvertam, quae in antiqua Christianorum Liturgia servari consueverunt; et doctissimorum Patrum, qui non longe ab ea aetate floruere, testimonium accedat, Eusebii, Epiphanii, Hieronymi, Cassiani, qui Therapeutas christianos fuisse diserte asserant; haud prudenter fecisse videntur, qui homines illos ex Christianorum albo expunxere; ac levissimis coniecturis permoti, post decem circiter et duo aut tria integra saecula, tantorum Patrum auctoritatem ab Ecclesia reiecere.

XIV. Atqui, inquies, si multa sunt, quae christianos illos fuisse persuadeant; non desunt etiam satis multa, quae assensionem in contrarium distrahant, ac iudaeos potius fuisse probare videantur. Nam primum quantum illud est, quod Philo nec *Christianos* unquam vocat, nec si tales putavisset, videtur, iudaeus

---

(1) Vide supr. n. VI. — (2) Vide Minut. in Octav. n. XXX. Athenag. legat. pro Christian. num. XXXV. XXXVI. Tertull. Apolog. num. VII. et in eum adnotat. Havercampii. — (3) Infr. num. XV.

ipse cum esset; illos unquam fuisse laudaturus? Priorem difficultatis partem iam superius (1) dissolvimus, posteriori multa reponere operosum non est. Animadvertendum enim, sub christianae religionis exordiis non omnes Iudaeos existimasse, Christianos inter apostatas et impios esse numerandos, sed perinde habendos ac Pharisaeos, Essenos, Hillelianos et Sammaeanos aliosque huiusmodi, qui novas quidem sectas inter Israelitas invexerant, nec tamen a iudaica religione omnino desciverant. Id vero ut crederent, maxime faciebat, quod primi illi Christiani iudaicos ritus et caeremonias haud omnino reliquerant, sed cum ceteris et in templo convenire, et a vetitis cibis abstinere, et sacrificia quandoque offerre cernebantur, et Moysi praecepta, licet illa ad salutem necessaria non crederent, religiose servare. Possem innumera huius rei testimonia ex libro Actuum Apostolorum proferre: paucis tamen, brevitatis gratia, uti placet. Ac primum S. Lucas testatur, Apostolos (2), postquam a principibus sacerdotum Christi causa missi fuerant in carcerem, ac inde mirabiliter educti, a concilio admoniti fuerant ne Christum nuntiarent (3), favore tamen populi suffultos (4), *omni die non cessasse in templo et circa domos docentes, et evangelizantes Christum Iesum:* quod profecto indicium est, illos a reliquorum Iudaeorum societate nequaquam tamquam impios aut haereticos omnino expulsos fuisse. Idem S. Evangelista narrat (5), Paulum, *cum venisset Thessalonicam, ubi erat synagoga Iudaeorum, secundum consuetudinem introisse ad eos, et per sabbata tria disseruisse eis de Scripturis*. Eundem morem perpetuo tenuisse Apostolum, ut statim ac urbem aliquam ingressus esset, Iudaeorum synagogam adiret, de Christo verba facturus, praeter verba illa *secundum consuetudinem*, ostendunt multa eorundem Actorum (6) loca, quae modo afferre non attinet. Porro si synagogas tam confidenter adibat Paulus, si non semel tantum, sed iterum et tertio ibidem de Christo verba facere illi licebat, iam constat Iudaeos, licet christianae religioni magna ex parte infensos, haud tamen putasse, qui illam profiterentur aut etiam disseminarent, a mosaica lege omnino defecisse, sed tantum novam quandam in ipsa lege sectam, sive haeresin invexisse, quam licet multi detestarentur, eo loco habenda tamen erat, quo ceterae aliae habebantur; quas qui sequerentur, impii quidem et scelesti dicerentur a multis, attamen a synagoga et templo minime excluderentur. Hinc in iisdem Actis legimus (7), Paulum cum Hierosolymam adventasset anno circiter post Christi mortem XXI. (siquidem paullo post captus, Neroni caesari anno sequenti sisti debuit) Paulum, inquam, *expleto nazareatus tempore, purificasse se cum sociis, intrasse in templum, donec offerretur pro unoquoque eorum oblatio*. Cum vero, tumultuante populo, captus esset, et Caesareae Felici praesidi oblatus, ita respondit (8), ut se et iudaeum religione non negaret, et iudaicae legis praecepta se plene servare diceret, quamvis in iis, quae ad Christum pertinent, a ceteris Iudaeis dissideret, quos tamen auda-

(1) Supr. n. VII. — (2) Actor. V. v. 18. et seqq. — (3) Ibid. v. 26. — (4) Ibid. v. 42. — (5) Act. XVII. v. 1. — (6) Vide Act. IX. v. 20. XIV. v. 1. XVI. v. 13. XVII. v. 10. 17. XVIII. v. 26. XIX. v. 8. — (7) Act. XXI. v. 26. — (8) Ibid. cap. XXIV. v. 10. et seqq.

cter ad se accusandum provocat, si quid esset, in quo ipsum a lege illa defecisse ostendere possent. Quin imo Agrippa rex (1), religione et ipse iudaeus, et Berenice uxor eius, Festus quoque praeses, illo audito, omnino absolvunt; ac, nisi ad Caesarem provocasset, dimitti potuisse arbitrantur. Haec vero omnia quid aliud denique ostendunt, nisi et Christianos, qui erant ex circumcisione, atque adeo ipsos Apostolos per ea tempora se pro Iudaeis aliquo modo gessisse, et ipsos Iudaeos ita in Christianos animatos fuisse, ut errantes quidem crederent; non tamen, quod processu temporis fecere, illos Ethnicis et Idololatris accenserent? Scio opponi posse, turbas illas tam saepe in Paulum ab Iudaeis ceterosque Apostolos excitatas (2), expulsos illos quandoque ex templo et synagogis, motas in illos seditiones, ac veluti rebelles ac seditiosos urbibus nonnunquam extrusos; sed animadvertendum est, licet Pharisaei et Sadducaei prae ceteris in ipsos ferrentur, ac sacerdotes ii qui erant ex secta Sadducaeorum (3), qui ipsos maxime oderant, quia resurrectionem praedicarent, quam pertinaciter negabant Sadducaei (4); fuisse tamen inter ipsos Pharisaeos et sacerdotes bene multos, qui Christi fidem recepissent (5): quo fiebat, ut licet multorum offensionem Christi fides incurreret, nihilominus qui illam sequerentur, inter impios reputari non possent. Itaque qui moderatiores habebantur, ita de illa, ut de re in medio posita, ut plurimum, iudicabant; quales apud Catholicos *scholarum sententiae*, ut aiunt, haberi solent: et expectandum paullisper arbitrabantur, donec processu temporis res ipsa plenius atque apertius constaret. Fuit haec Gamalielis in concilio Iudaeorum sententia (6); haec causa cur, disputante Paulo in synagogis de Christo, in duas partes multitudo scinderetur (7), et alii quidem Iudaeis faverent Christo contradicentibus, alii Christianis. Qua de re praetermittendum illud etiam non est, quod in eodem Actorum libro refertur, Paulum (8), cum Romam vinctus venisset, et primores Iudaeorum advocasset, rogatum ab illis fuisse, ut quae de Christo sentiret, libere patefaceret; *nam*, aiebant, *de secta hac notum est nobis, quia ubique ei contradicitur:* ille vero cum Christum Messiam esse ostendisset, *quosdam credidisse his quae dicebantur, quosdam vero non credidisse.* Uno verbo; Iudaei magna ex parte Christo quidem, eiusque praeconibus erant infensi: at ex ipsis multi etiam erant, qui Christo adhaeserant; multi quoque, qui vel re nondum expensa in neutram partem inclinabant, vel insita quadam animi moderatione ac mollitie, licet Christo aversarentur, eius tamen sectatores minime aversabantur. In hac tanta animorum dissensione factum, ut Christiani primis illis temporibus non ab Ethnicis modo (9), sed etiam ab ipsis Iudaeis velut Iudaei haberentur, quales et Sadducaei habebantur, licet turpissima scelestaque haeresi infecti; quos inter sacerdotes quoque nonnullos fuisse S. Lucas

---

(1) Ibid. cap. XXVI. v. 30. 31. 32. — (2) Vide Act. V. v. 17. VI. v. 11. IX. v. 23 XII. v. 1. XIII. v. 45. 50. XIV. v. 2. XVII. v. 5. 13.—(3) Vide Act. cap. V. v. 17. XXIII. v. 6. XXIV. v. 21. etc. — (4) Matth. XXII. v. 23. Act. XXIX. v. 6. etc. — (5) Act. VI. v. 7. XVIII. v. 8. — (6) Act. cap. V. v. 34. — (7) Vide Act. XIII. v. 42. 43. XIV. v. 4. XVII. v. 4. 12. 17. XVIII. v. 19. 26. XXIII. v. 7. — (8) Act. cap. XXVIII. v. 17. et seqq. — (9) Vide Svet. in Claudio n. XXV.

testatur (1), qui tamen a sacerdotio minime remoti fuerant, cum eos S. Evangelista in concilio, ad quod Paulus adductus est, cum ceteris sedentes exhibeat (2).

XV. Quae cum ita se habeant, quid mirum, Philonem candidi hominem ingenii atque moderatissimi, ut ex eius scriptis apprime constat, sub ipsis christianae religionis primordiis, Therapeutas, Christianos licet, pro Iudaeis habuisse, ac in ipsorum laudes excurrisse; praesertim cum nec quod in illis damnaret, deprehenderet, neque ipsorum fortasse dogmata probe calleret, iudaizantes vero adhuc magna ex parte pro eius aetatis usu videret? At, inquiunt, ea in ipsis commendat Philo, quae manifeste prodant Iudaeos; nam et sabbati sanctitatem ab ipsis ad superstitionem usque servatam (3), et nescio quas septenarii numeri et quinquagesimi virtutes et proprietates (4), et mensam in similitudinem alterius mensae, quae in templo erat, instructam (5), et allegoricam sacrorum librorum interpretandorum rationem (6), et antiqua commentaria in hunc ipsum usum ab ipsis versata (7) commemorat; et, quod omnium maximum est, Moysi sectatores (8) diserte appellat, quibus proinde praeter legem et prophetas (9) non alii suppetant libri, quos assidue meditentur. At haec, quaeso, omnia quanta esse putas? Sabbatum, inquis, ad superstitionem usque colunt. Atqui nusquam apud Philonem *sabbati* vox: de superstitione autem ne γρῦ quidem. *Septimum* quidem ille *diem* identidem memorat, eundemque maiori ab ipsis pietate coli dicit: superstitiosum vero nihil in eius diei ἀκολουθίᾳ, aut inusitatum recenset. Porro *septimus dies* est tam *sabbatum*, quam *dominicus*, ut pueri norunt: nam idem omnino inter *sabbatum* et *sabbatum*, ac inter *dominicum* et *dominicum* intervallum. Quod si etiam *sabbati* meminisset, quid mirum in societate adhuc iudaizante? nonne *sabbatum* ab aegyptiis monachis coli etiam consuevisse, diserte tradit Cassianus (10)? nonne Graeci Syri et Orientales bene multi adhuc aetate nostra sabbatis quadragesimae ieiunium solvunt, quasi nefas sit, illam diem moestam traducere? Quod vero habet Philo de numeris, non tam Therapeutarum est, quam ipsius: scilicet homo pythagoreis numeris deditus, mysteria pro lubito comminiscitur de iis diebus, quos ex Synagogae et Ecclesiae instituto veluti festos servabant Therapeutae, scilicet, Paschae et Pentecostes, quos inter VII. omnino hebdomadae intercedunt. Nonne haec ille ipsa commenta Sacris Litteris, atque adeo Moysi ipsi tribuit (11), qui ne per somnium quidem de ipsis quidquam cogitavit? Lege Philonis librum de Therapeutis, confer deinde cum ceteris: statim patebit philoniani ingenii delirium. Idem de mensa Propositionis dicendum, gaudet enim magnopere Philo huiusmodi allegoriis; sed tum maxime, cum rerum causa ipsum latet. Atqui, ut diximus (12), Philonem mysterium illud omnino latebat. Sed et illud suspicor audire potuisse Philonem a Therapeutis, mensam, quam ipsi apparabant, in illius similitudinem esse, quae

---

(1) Act. V. v. 17. — (2) Act. XXIII. v. 6. — (3) Pag. 893. E. 894. E. — (4) Pag. 894. B. — (5) Pag. 902. B. — (6) Pag. 893. C. D. 904. D. — (7) Pag. 893. D. — (8) Pag. 899. A. — (9) Pag. 893. B. — (10) De instit. lib. II. cap. VI. — (11) Vide de Opif. pag. 9. A. de Sacrif. Abel et Cain pag. 151. C. De nomin. mutat. pag. 1044. B. etc. — (12) Supr. n. VI. et XIII.

in templo habebatur: ea nempe de causa, quod templi mensa christianam mensam referret: Philonem vero mutatis vicibus, prout iudaeum decuit, putasse templi mensam a christiana mensa referri. At in Scripturae interpretatione allegoriis utebantur. Quid mirum? nonne hoc Aegyptiorum maxime proprium? Lege Clementem alexandrinum, lege Origenem: quis illis magis ἀλληγορεῖ? Iudaeos ne idcirco putabis? quid si ἀλληγορεῖν dicti sunt, eo quod, ut Christianos decebat (1), deserta *littera quae occidit*, sequebantur *spiritum qui vivificat?* Certe, Eusebio teste (2), eos, qui spiritualem Scripturae sensum sectabantur, Ἀλληγοριστὰς *Allegoristas* Nepos aegyptius episcopus appellabat, adversus quem S. Dionysius alexandrinus strenue dimicavit. Porro commentaria illa allegorica, quae prae manibus illis erant, hoc ipso sensu interpretor, Apostolorum epistolas, Pauli praesertim, qui saepissime christiano spiritu ἀλληγορεῖ, quae quidem commentaria τῶν παλαιῶν ἀνδρῶν appellat τῆς αἱρέσεως ἀρχηγετῶν *veterum sectae huius auctorum*, non iam quod antiquissima fuerint, sed quod illa scripserint, qui omnium primi therapeuticam vitam instituerant. Nam qui hinc colligunt (3), Therapeutas longe ante Christum fuisse, quod antiquissima haec haberent commentaria a sectae suae auctoribus concinnata, ii, iterum dicam, ostendant necesse est, quomodo secta illa tam antiqua, tam admirabilis, et, quod maximum est, toto orbe diffusa, tot veterum patrum scriptis illustris, universos rerum iudaicarum scriptores, praeter Philonem, latuerit. Quare puto aut Philonem ipsum hallucinatum fuisse, qui tantam commentariis illis asseruit antiquitatem; aut libros ab antiquis Iudaeis scriptos, perperam Therapeutarum patribus ab illo fuisse tributos; aut denique, quod omnium verisimillimum, Philonis mentem eam prorsus fuisse, quam modo diximus. Quod porro aiunt, solos Prophetas et Moysem a Therapeutis, Philone teste, legi consuevisse, atque inde iudaeos illos fuisse deducunt, bis peccant: nam neque solos legebant; addit enim Philo (4) *et hymnos et quaecumque alia sapientiam et pietatem fovent et perficiunt*. Nec praeterea absurdum, Christianos Moysem et Phophetas legisse, quos ad hanc ipsam lectionem Christus (5) hortatus est, et quibus ille *sensum* etiam *tribuit, ut intelligerent Scripturas*. Quod autem Therapeutas appellet *Moysi sectatores*, nil mirum; Iudaeos credidit, iudaicis ritibus addictos vidit, mosaicae legis studiosos animadvertit: quid pluribus opus erat, ut Moysi discipulos existimaret?

XVI. Superest ut de hymnis et choreis a Therapeutis usurpatis dicam aliquid: nam haec maximi momenti esse ad sententiam nostram labefactandam, adversariis videntur. Nam quod aiunt, nunquam Philonem *episcoporum* meminisse, ridiculum est. Meminit (6) *seniorum* sive πρεσβυτάτων, admonetque (7) non annis, sed virtute apud Therapeutas aetatem aestimari. Nonne hoc satis,

---

(1) II. Corinth. III. v. 6. — (2) Hist. Eccl. lib. VII. cap. XXIV. — (3) Vide inter alios Prideaux Hist. de Juifs. liv. XIII. — (4) Pag. 893. B. καὶ ὕμνους καὶ τὰ ἄλλα οἷς ἐπιστήμη καὶ εὐσέβεια συναύξονται καὶ τελειοῦνται. — (5) Ioann. cap. V. vers. 39. Luc. cap. XXIV. vers. 45. etc. — (6) Pag. 894. A. 899. C. — (7) Pag. 899. D.

iis praesertim qui sciant, *presbyterorum* sive *seniorum* nomine apostolicis temporibus etiam *episcopos* (1) fuisse appellatos? Sed ad hymnos quod attinet, obiiciunt primum, hymnos illos metro, ut ait Philo, conclusos, serius invectos esse. Id vero quomodo ostendent? certe antiquissimum esse hymnorum usum in Ecclesia, tradit non semel Eusebius (2); idque inter alia ostendit synodica concilii antiocheni epistola (3), qua Paulus samosatenus ob huiusmodi hymnos sublatos damnatur, ut alia praetermittam, quae apud Valesium (4) et Bonam (5) videri possunt. Hi porro hymni prosa ne an ligata oratione conscripti fuerint, quis audeat pro certo affirmare? nec te moveat, quod *priscos* sive *antiquos* Philo illos appellet. Eodem sensu antiquos dixit, quo et commentaria illa ἀλληγορικὰ antiqua appellavit. Maior fortasse difficultas, quam ex choreis movent a Therapeutis agitatis. At illae ut christianis moribus non conveniunt, ita neque iudaicis; ita ut, etsi momentum illud tolli non posset, nihil inde in adversariorum utilitatem posset redundare. Animadverto tamen, chorearum illarum modestiam a Philone maxime extolli; ac mihi suspicio subit, choreae nomine ab ipso vocari tot illas caeremonias, quae christianum sacrificium comitari perpetuo consuevere. Nam si quis Christianorum Liturgiae, praesertim Orientalium, repente assistat, ac tot illos corporis modo erecti, modo proni, modo in genua prostrati habitus aspiciat, brachia modo elata, modo demissa, oculos modo ad caelum erectos, modo ad terram depressos, manus expansas modo, modo iunctas, modo digitis invicem insertis connexas, faciem modo ad orientem, modo ad alias mundi plagas conversam, altaris ambitus, et circuitus; videat praeterea fidelium mutuos amplexus, pacis osculum, crucis signum frontibus ac labiis impressum, sacerdotis et diaconi populum salutantium conversiones et reversiones, aliaque huiusmodi: is profecto, praesertim si quid illa sibi velint ignoret, choreae nescio cuius sibi speciem exhiberi existimabit. Id mihi tunc accidit, cum solemni Armeniorum Liturgiae decem ab hinc annis primum interfui apud religiosissimos monachos mechitaristas, hic apud nos in S. Lazari insula commorantes. Memini etiam, cum carmeliticum ordinem, (cuius perpetuo amore ac desiderio tenebor, aliud de me licet Deo statuere visum fuerit) memini, inquam, cum primum ordinem illum ingressus sum, vehementer me admirari tot illos corporis motus ac conversiones, quae divinam apud illos monachos psalmodiam comitabantur: ac seniorem quendam mihi respondere, ita ab antiquis patribus statutum fuisse, tum ut ipse corporis motus verborum sensum saepe secutus, mentis aliorsum abreptae attentionem excitaret, tum etiam ut psalmos canentes, ipsum psalmorum auctorem aliquo modo sequeremur, quem aliquando non puduit coram Arca Domini, populo inspectante, saltare (6). Quod mihi non omnino absurdum visum est, in eo praesertim ordine, cuius olim

---

(1) Act. XIV. v. 22. Tit. I. v. 5. I. Timoth. IV. v. 14. etc. — (2) Hist. Eccl. lib. V. cap. ultim. lib. VII. cap. XXIV. — (3) Apud Eusebium Histor. Eccl. lib. VII. cap. XXX. — (4) In notis ad Euseb. ad ll. cc. — (5) De divin. psalmod. cap. XVI. §. IX. — (6) II. Regum cap. VI. v. 14. 16. I. Paralip. XV. v. 29.

incunabula in Oriente fuissent. Quin imo iuniores nonnunquam monachos audivi, cum, nolae sonitu audito, ad divinas laudes persolvendas advocarentur, dicere solere, se illo signo ad choream vocari: ita continens ille et multiplex corporis motus sacrae cuiusdam et severae choreae speciem praeseferebat. Quid ni idipsum dixerim de Therapeutis existimasse iudaeum Philonem, apud quos eo maior in illa chorea numeri cura esse debuit, quo maior in huiusmodi rebus Orientalium accuratio esse solet? Neque enim puto aut ritus illos sero tantum invectos, aut procaciter aut incomposite saltasse illos, sed graviter et modeste, quorum tantam in moribus severitatem et gravitatem Philo describit.

XVII. Verum quorsum haec de Therapeutarum religione et institutis tam longa disputatio? nempe ut novam hinc Marco nostro laudem assererem, ac illum christianorum monachorum patrem et auctorem fuisse demonstrarem. Equidem hoc ad universos Apostolos pertinere, haud invitus agnosco: siquidem universas Ecclesias ab ipsis institutas ad Ecclesiae hierosolymitanae normam et exemplum efformatas esse non dubito, ita ut nescio quam monasticae societatis speciem exhiberent. Sed defervescente deinde caritate, sola superfuit Aegyptus, quae antiquae illius disciplinae exempla servaret; ac ab Aegypto ipsa innumerae illae ac prorsus admirabiles monachorum turbae prodiere, quae tantam in ipsis Ethnicorum animis christianae sanctitatis admirationem excitarunt. Quin imo nulla unquam nova extitit monachorum familia, quae non sibi aegyptios monachos, veluti perfectissimum quoddam exemplar, imitandum proposuerit (1): quod profecto in maximam prorsus cedit Marci laudem, qui tam firma ac solida in Aegyptiorum animis pietatis virtutisque fundamenta iecerit; ut quae gens turpissimis atque teterrimis superstitionibus dedita, omnium stultissima atque scelestissima olim ferebatur; ea deinde virtutum omnium magistra et perfectissimum christianae virtutis exemplar ab omnibus haberetur.

---

(1) Vide Cass. de Iust. Monach. lib. II. cap. IV. S. Benedict. in Reg. cap. LXXIII.

CAPUT XIX.

DE MARMOREA S. MARCI CATHEDRA VENETIIS SERVATA.

I. *Heraclius alexandrinam S. Marci cathedram Venetis donat. Andreae Danduli, et Chronici Gradensis loca afferuntur.* II. *Cathedrae eiusdem descriptio.* III. *Eam in Oriente confectam fuisse ostenditur.* IV. *Sacram item esse et episcopalem.* V. *Demonstratur, revera ab Heraclio missam Venetias.* VI. *Donationis huius causae adducuntur.* VII. *Nec obstat, quod aliam cathedram Alexandriae ostendant Coptitae.* VIII. *Quid de cathedra veneta putandum. Apostolorum cathedrae magna cura servatae. Eusebii et Tertulliani locis productis, idipsum ostenditur.* IX. *Cathedrae forma expensa; nostrum de illa iudicium proponitur.* X. *De cathedra aquileiensi S. Marci.* XI. *De pallio S. Marci ex Liberato.*

I. Antequam de alexandrina missione S. Marci sermonem concludo, liceat mihi et de marmorea eiusdem cathedra nonnulla proponere: breviter quidem; nec enim ea de re agitur, de qua mihi magnopere pro instituti operis ratione laborandum sit. Visitur illa super altare baptisterii marcianae basilicae in sacello longe pulcherrimo, quod saeculo XIV. Andreas Dandulus, Venetorum dux, regio prorsus apparatu exornavit; huc advecta e Grado insula, ac primum in basilicae ipsius presbyterio post aram maximam, ubi nunc S. Crucis altare habetur, collocata; deinde saeculo XVI. cum altare illud sanctissimo Eucharistiae sacramento asservando erectum fuit, inde sublata, ac eo loci, ubi nunc visitur, collocata. Quandonam vero Gradum advecta fuerit et qua occasione refert Dandulus ipse in chronico (1) manuscripto, quo utimur: nam edita interpolata alicubi esse non dubitamus: *Anno Domini DCXXIX. Heraclius detulit de Alexandria cathedram, in qua beatus Marcus evangelista eadem urbe pontificatum tenuit, quae sub sequente patriarcha*, id est sub Primigenio gradensi, *Venetias portata est*. Venetiarum nomine non iam venetam urbem intelligit, sed Venetiam maritimam, sive ut ipse vocat, *Venetias maritimales*, in quarum censu gradensis etiam civitas habebatur. Alio modo in editis (2): *Piissimus Imperator* (Heraclius) *ei* (Primigenio patriarchae) *auri et argenti plus remisit, quam perdiderat; et insuper sedem B. Marci evangelistae ob confirmationem dictae metropolis direxit, quam ab Alexandria Constantinopolim secum duxerat:* quae verba ex chronico gradensium patriarcharum deducta sunt, ubi paucis mutatis leguntur (3). Quo vero tempore Grado Venetias translata fuerit, hactenus reperire non potui. Illam tamen saeculo IX. adhuc Gradi fuisse, ex quadam *charta conventionis* (4) inter

(1) Chron. lib. VI. cap. VII. part. II. — (2) Ibidem. — (3) Apud Ughell. in Patriarch. Gradens. in Primigenio n. VII. — (4) Apud Ughell. tom. V. in Patriarch. Aquileien. XLIII. et apud Liinig Cod. Diplom. Ital. tom. II. pag. 1945.

Ursum Particiacum Venetorum ducem et Valpertum patriarcham aquileiensem anni DCCCLXXX. deduci potest, in qua Ursus a molestiis Valperto inferendis se desiturum promittit, dummodo ille *nullam amplius adversus gradensem Ecclesiam subtractionem sive contrarietatem faceret.... aut aliqua quaestione* (sic) *in sedibus beatorum martyrum Marci evangelistae et Hermacorae, nec non in rebus propriis Ecclesiis* (sic) *seu ceteris universis etc.* Plurali numero *sedes* usurpat Ursus, quia praeter marmoream sedem de qua loquimur, eburnea etiam altera aquileiensis (1) Gradi servabatur: cumque sedes illae primatum et legitimam a S. Marco successionem gradensi antistiti asserere viderentur, ideo saepe de illis, aquileiensi praesertim, quaestionem ab aquileiensibus patriarchis motam fuisse existimaverim. Neque enim verba illa, *aut aliqua quaestione de sedibus etc.*, de loco, quo primum B. Marcus et B. Hermagoras sederint, intelligi possunt; cum nunquam dubitatum sit de hac re, ipsique Gradenses faterentur (2), Marcum non Gradi sed Aquileiae sedisse; neque de successione a B. Marco, cum vox illa *sedes* in hunc sensum nonnisi per vim possit detorqueri; nec praeterea probabile videri possit, quaestionem huiusmodi mere litterariam sollicitum habuisse Ursum ducem, qui armata manu Valpertum fuerat aggressus. Praeter haec nihil in antiquis monumentis de cathedra illa licuit reperire: exigua certe, et ab Heraclii aetate, qui cathedram illam Venetis donasse dicitur, nimis remota, et quae nullo modo cathedram illam eam ipsam, qua Marcus aliquando sederit, fuisse demonstrent; praesertim in tanta sequiorum saeculorum in huiusmodi traditionibus admittendis facilitate, ne dicam stupiditate. Quare non defuere, qui ipsam Heraclii donationem aut negarent omnino, aut in dubium revocarent (3); cathedram vero ipsam veluti commentum reiicerent (4), aut saltem existimarent, ex veteri traditione perperam intellecta fabulam hanc ortam esse. Ego vero longe aliter sentio. Nam quamvis certi nihil et quod rem apprime demonstret afferri non posse concedam, attamen vicissim nec Heraclii donationem ulla satis certa ratione impugnari posse contendo: et iterum cathedram illam, licet ad S. Marci aetatem assurgere minime putem, in pretio tamen habendam esse, imo non immerito *S. Marci cathedram* nuncupari non dubito. Id cuiusmodi sit, statim videbimus, ubi prius tamen brevem ipsius cathedrae descriptionem exhibuero, quae rei ipsi intelligendae maxime confert.

II. Est autem (5) cathedra illa omnino ex pario marmore, candido illo quidem, sed cuius album colorem in subfuscum longa aevi vetustas et marini aeris inclementia commutaverit. Constat vero saxo unico, quod artifex scalpro in sedem cavavit, exiguam tamen et puero potius quam homini opportunam, utpote quae in pedis tantum latitudinem pateat, utrumque sedilis latus claudentibus hinc inde brachiorum fulcimentis. Scamni sive sedilis altitudo vix pedem aequat: postica vero pars paullo ultra IV. pedes assurgit, in discum desinens, ex-

---

(1) Vide supr. cap. XIV. n. IV. — (2) Supr. cap. XIV. n. VII. — (3) Montfauc. Iter Italic. cap. IX. — (4) Idem. loc. cit. Vide Cornel. Eccl. Ven. dec. XVI. in S. Petro, Gallic. Memor. Ven. lib. I. cap. V. n. 133. — (5) Vide tabulam. III.

tantibus hinc inde signis insculptum. Est autem sedile ipsum introrsum vacuum, ac in circulum excavatum: tum duplici foramine in cavitatem illam visus patet, quorum alterum in postica, alterum in sinistra sedis parte prope basim videre est. Foramina autem oblonga sunt, ac in longitudinem quidem uncias VIII. in latitudinem vero uncias III. aut IV. fere patent. Universa moles anaglypho opere, sed rudi prorsus et impolito, caelata saeculum Christi V. aut VI. referre tum mihi, tum, quos in consilium adhibui, viris eruditissimis visa est: in Aegypto tamen elaboratam indicant palmae hinc inde insculptae; rudes illae quidem et incompositae, sed quae tamen nescio quid ceteris omnibus caelaturis elegantius et concinnius exhibeant. Nam et asper trunci cortex quasi squammis induitur, et expansae frondes atque procerae in umbellae formam molliter sinuantur, et turgentes fructus hinc inde pendent; quae omnia in tanta artificis imperitia nonnisi oculatus auctor tam diligenter expresserit. Ac basis quidem reticulato opere sculpta est: discus vero in summo operis vertice situs, duplici cruce insignitur, altera in antica, altera in postica eiusdem facie. Utrinque cruci adstant hinc inde viri gemini veste romana, altera manu crucem ipsam fulcientes, altera librum: puto quattuor Evangelistas artificem indicare voluisse: siquidem ad ipsos totius cathedrae ornatus refertur. Subest disco tergoris fulcimentum, quod in tentorii modum expanditur, et ad ipsa brachiorum fulcra molli flexu protenditur, superius quidem, qua disco adhaeret, aliquantisper corrugatum, inferius expansum et planum. Eius plicas, rudi arte caelatas, fuere qui candelas putarent: ego imperitum sculptorem existimo veli a disco pendentis flexus exhibere, prout melius potuit, voluisse. Quod et in sedis scamno fecit, cuius anterior pars, undulatis lineis signata, tapetis formam videtur exhibere. At qua parte sedentis tergum innititur, agnum in medio videre est, haerentem arbori satis procerae, utpote quae ad infimam fere disci oram pertingat. Crederem arborem vitae', cui Christus agnus, monti insidens adhaerescat, subtus agnum quattuor flumina quasi ex uno fonte scaturiunt, in diversa abeuntia, Gehon scilicet, Tigris, Euphrates et Phison (1): nam his quoque symbolis Evangelistas indicari consuevisse certum est (2); idque praeter cetera ex antiquissimis marcianae basilicae musivis constat, ubi in angulis fornicibus, qui medium tholum sustinent, interiectis flumina illa exhibentur, singula singulis Evangelistis supposita: quamvis ibi pictoris errore Euphrati insistat Marcus, cui Gehon sive Nilus tribui solet. Aversa cathedrae facies sub disco lunam exhibet curvatis cornibus supinam: sub luna aquilam senis alis instructam, sub aquila leonem totidem alis insignem, leoni subiicitur foramen illud oblongum, quod superius commemoravi, appositis hinc inde palmis duabus, ac arbusto nescio quo superposito: sinistrum cathedrae latus homo occupat, dexterum bos; ipsi quoque senis alis insigniti: sed bovem stellae quaedam passim sparsae circumstant, hominem vero non modo eaedem ipsae stellae ambiunt, sed et pal-

(1) Gen. II. v. 10. — (2) Hieron. Proleg. in Matth. Anast. Sinait. Anag. Contempl. in Hexaëm. lib. VIII. sub finem. Petrus Damiani serm. XIV. etc.

mae geminae hinc inde assurgentes; et palmis superpositi, ac tubas inflantes angeli bini, merito illi additi Evangelistae, qui ceteris plenius de extremo iudicio est locutus. Ad basim cathedrae foramen alterum priori omnino persimile videre est.

III. Nunc, cathedrae ipsius forma descripta, quid de ipsa sentiam breviter dicam. Aegyptiam esse aut saltem orientalem et antiquam vix dubitaverim: utcumque enim annorum nota nulla in ipsa sit, characteres nulli, facit tamen ut ita credam, tum caelaturae forma rudis, ut dixi V. aut VI. Christi saeculum exhibens, tum appositae palmae, quae aegyptium artificem referunt, tum demum totius operis forma, quae orientale sapit ingenium. Adde, ad hanc ipsam marcianae cathedrae originem demonstrandam valde conferre, quod e postica etiam parte caelata sit. Nam latini episcopi sedem olim in summo abside, sive, ut nunc dici amat, in summo choro post altare ad parietem locabant, ita ut sedens episcopus altare ante se positum universumque populum respiceret (1). Graeci vero licet hoc ritu uterentur, ad altaris etiam dexterum latus eandem sedem statuebant (2), licet processu temporis id latini etiam secuti sunt. Itaque et in antiquissimis cathedralibus Ecclesiis turcellana, aquileiensi, gradensi et in Ecclesia S. Stephani Veronae, et Romae in Ecclesia SS. Nerei et Achillei, et alibi etiam antiquae episcopales cathedrae post altare sitae sunt: et ipsa haec S. Marci cathedra, et quae dicitur S. Petri, ubi primum Venetias sunt allatae, non alio loco in utroque S. Petri et S. Marci templo maiores nostri collocaverunt (3). Cum autem hae sedes apud Latinos parieti adhaererent, nihil erat profecto cur postica ex parte signis et caelaturis exornarentur: cum ex adverso Graeci, apud quos ad dextrum altaris latus eaedem poni solebant, a pariete remotae, easdem quaqua versus ornare deberent. Haec quidem levia fortasse videri possunt: verum nec tu, ut latinam cathedram illam ostendas, melius quidquam aut validius afferre poteris. Itaque ut ut omnia demus incerta, nihilque Venetorum traditioni tribuere velis, illud semper fatendum erit, esse quidem aliquid quod graecam persuadere videatur; nihil vero omnino suppetere cur latinam possis suspicari.

IV. At quod de cathedrae origine non ita facile evinci potest, id de eius usu haud difficile ostenditur, christianam esse nempe, et in episcopi usum paratam. Loquitur enim quodammodo ipsa per se, loquuntur symbola, sculpturaeque universae, quibus ornatur; maxime vero velum illud, quod a disco pendens hinc inde expanditur, ac ad brachiorum fulcimenta protenditur, quodque, licet rudi opere artifex sculpserit, antiquum tamen morem refert, cuius et Pontius diaconus (4) et Augustinus (5) et Athanasius (6) et Pacianus (7) et Amalarius (8) et Ennodius (9) meminere, obtegendi scilicet episcopales sedes

---

(1) Vide Cabassut. de veter. Eccl. situ. n. XII. — (2) Vide Du-Fresne Constantinopolis christiana lib. III. cap. LXVI., Goar in Euchol. ordo Liturg. nota 10. etc. — (3) Vide Gallicioli Mem. Venet. lib. I. cap. V. n. 133., Cornel. Eccl. Venetae decad. XIII. in S. Marc. — (4) In Act. S. Cypriani sub finem. — (5) Epist. XXIII. al CCIII. n. 3. — (6) In Epist. ad Monach. n. 56. — (7) Epist. II. ad Sympronian. sive Sempronium. — (8) Libr. III. cap. X. — (9) In libell. pro defens. Syn. Rom.

aulaeis quibusdam ac velis; unde ab Augustino *velatae cathedrae*, a Paciano vero *linteatae sedes* vocantur. Quod praeterea et iterata illa sanctorum quattuor Evangelistarum repraesentatio innuere videtur: immo cathedram hanc ad sedem spectasse, quae ab Evangelistarum aliquo fundata perhiberetur, quod profecto alexandrinae Ecclesiae maxime facit, quae se a Marco institutam iure meritoque gloriabatur. Neque obstat quominus alexandrinam credamus, quod in ipsa potior locus non leoni sed aquilae tribuitur, hoc est non Marco sed Ioanni: siquidem animadvertere debes, sculptorem eo ordine animalia disposuisse, quo se Ezechieli videnda tribuere (1); scilicet aquilam desuper, hominem et leonem a dextris, bovem a sinistris, quamvis τῆς εὐρυθμίας gratia leonem in medio artifex collocavit: imo non tam animalia ipsa, quam integram sancti Prophetae visionem repraesentare voluisse, ac proinde et stellas et lunam addidisse, ut ostenderet caeli firmamentum, ubi se visionem illam conspicatum fuisse Ezechiel testatur. Sed nec illud te praeteriisse volo, quod superius docuimus (2); graecos Patres, ut plurimum, non iam leonem Marco, sed aquilam tribuere: ideoque hac etiam de causa perperam concludi, cathedram illam nequaquam alexandrinae Ecclesiae propriam fuisse, quod leo, Marci symbolum, infimo loco collocetur. Nam si sculptor, quod maxime verisimile esse videtur, graecorum Patrum sententiam secutus est, iam non infimum, sed honorificentissimum Marco tribuit locum, cuius symbolum in summa sede collocavit.

V. Hucusque de usu. Missam autem ab Heraclio augusto sedem illam ad Gradum urbem fuisse, ut multa sunt quae persuadeant, ita quod credere vetet nihil est. Equidem fateor non tantam esse aut gradensis chronici aut Danduli antiquitatem, quantam ad rem conficiendam severioris criticae leges efflagitarent. Attamen cum de Danduli diligentia et veracitate omnino constet, fabellam hanc, si quis fabellam esse existimet, ab ipso excogitatam nemo dixerit. Certe Gradi illam fuisse saeculo IX. hoc est anno post Heraclium fere CCL. et pro ipsa Marci cathedra habitam, praeter auctorem chronici Sagornini (3) suadere videtur *charta* Ursi ducis, cuius superius (4) verba retulimus; tum Acta translationis S. Marci (5), quae saeculo IX. aut ad summum X. scripta fuisse ostendemus (6). Quid quod illa ipsa tempora, quibus cathedrae huius donatio assignatur, traditioni huic maxime favent? Refert Dandulus anno DCXXIX. Heraclium aug. cathedram illam Alexandria Constantinopolin tanstulisse. Atqui anno Heraclii VI. Christi DCXV. (7) Persae, irruptione facta, Alexandriam occupaverant, ac licet paullo post discessissent, ita illi tamen deinde universaeque Aegypto imminebant, ut Aegyptiorum res in perpetuo fere discrimine versarentur. At Persis a Saracenis profligatis, mutatis vicibus, Aegypto Mahumedani impendebant, a quibus anno tandem Heraclii XXV. Christi DCXXXIV. aut DCXXXV. Aegyptus universa atque adeo Alexandria ipsa in servitutem redacta est. Quid itaque

---

(1) Ezech. cap. I. v. 10. — (2) Supr. cap. XI. n. 3. — (3) Pag. 3. — (4) Supr. n. 1. — (5) Infra part. II. cap. IV. n. VII. cap. V. n. XXV. — (6) Ibid. cap. IV. initio. — (7) Vide supr. cap. XIV. num. VIII.

mirum, Heraclium, cum iam de provinciis illis retinendis desperaret, easque in Persarum aut Arabum potestatem citius ocius venturas animadverteret, venerandum illud, ut ipse putabat, sacrae antiquitatis monumentum Constantinopolin transferendum curasse, ne in impiorum manus tandem aliquando deveniret? Cui quidem rei et constantinopolitanorum patriarcharum cohortationes ansam praebuisse fortasse potuere, qui cum ceteris patriarchis dignitate praestare vellent, idque ab Alexandrinis aegre ferre animadverterent, quorum episcopi primum olim post Romanum Pontificem locum obtinere consueverant; alexandrinam illam S. Marci cathedram Constantinopolim transferendam Heraclio persuasere: cum huiusmodi cathedrae, veluti certissima antiqui primatus monumenta, ab illis episcopis iactari consueverint. Nam in hunc ipsum usum servatas sedes illas fuisse infra videbimus.

VI. Ceterum quae de Heraclii Venetis facta eius cathedrae donatione referunt historici nostri, nullam habent difficultatem; nec magni illud faciendum est quod habet Montfauconius (1), nullo modo persuadere sibi posse, Heraclium et Michaelem, qui alteram illam dono Venetis misit, quae Petri apostoli ferebatur (2), tam facile duplicem illum thesaurum aliis concedere voluisse, siquidem cathedras illas revera apostolicas credidissent. Nam ut de sede S. Petri nihil dicam, quam, quicquid de illa sentiendum sit, pro acceptis a veneta gente beneficiis urbi nostrae dono dedit Michael (3); certum est, Heraclium inter et Venetos magnam necessitudinem intercessisse. Huius rei indicium haud leve illud est, quod de S. Magno opitergino episcopo (4) refert Dandulus et ex Dandulo Sabellicus (5) scriptoresque nostri universi; qui cum, Opitergio a barbaris everso, plebe secum adducta, *ad contigua littora pervenisset, civitatem construxit, quam sub imperatoris nomine Heracliam vocavit*, quae deinde *Città-nova* (6) appellata est, haud procul ab urbe nostra sita; quemadmodum vicus alter, sive oppidum, per ea ipsa tempora a Venetis aedificatus, a Constantis Heraclii F. nomine (7) *Constantiacus* nuncupatus est. Nonne haec Venetorum animos in Heraclium maxime inclinatos ostendunt? Quid quod Langobardis tunc temporis terrestris Venetiae loca omnia tenentibus (8), atque Histriam ipsam identidem sollicitantibus, solae veneti aestuarii insulae urbesque supererant, quae ab Heraclii partibus adhuc starent, et barbarorum impetum atque conatus retunderent, quas in fide retinere graecorum imperatorum maxime intererat? Quibus illud etiam accedebat quod Langobardi, eisque subiectus aquileiensis patriarcha, schismate infecti, ab Ecclesiae communione semoti erant; cum ex adverso gradensis patriarcha, eique coniuncti Histriae maritimaeque Venetiae episcopi catholici essent, ac ipsimet Heraclio communione et fide (utar Tertulliani verbo) (9), contesserati: unde acerrima non modo inter utrumque patriarcham dissidia,

(1) Iter. Ital. cap. IX. — (2) Cornel. dec. XVI. part. II. pag. 194., Gallic. mem. Venet. lib. I. cap. V. n. 133. — (3) Vide Gallic. loc. cit — (4) Ad annum DCXXIX. in Cod. ms. — (5) Hist. Venet. dec. I. libr. I. — (6) Vide Constant. Porphyrog. de admin. Imp. cap. XXVIII. — (7) Dandul. ad annum DCL., Sabell. dec. I. lib. II. — (8) Sabellic. dec. I. lib. II. — (9) Adv. Hermag. cap. XXXVI.

sed et bella, direptiones caedesque oriebantur. Haec vero cum ita se haberent, cui unquam incredibile videatur, Heraclium (1) Primigenio gradensi patriarchae, cuius Ecclesiae thesauros Fortunatus abstulerat, et *Cormones* (nunc *Cormons*) asportaverat, accepti detrimenti damna reparasse, ac insuper muneris loco cathedram illam addidisse, quam Alexandria Constantinopolim advexerat, ac Marci ipsius esse existimabat; praesertim cum haud ignoraret quantum apud Venetos esset Marci nomen, quem veluti primum apud ipsos christianae fidei satorem venerabantur? Nonne christiani simul et sapientis Imperatoris erat, gentem illam pulcherrimo hoc munere sibi atque Ecclesiae arctius obstringere, ac sacro veluti pignore devincire? Quid si Primigenii ipsius preces accessere, hominis certe cuius apud Heraclium auctoritas magna esse debuit, utpote qui, teste Sabellico (2), Imperatore ipso adnitente, ad gradensem cathedram ab Honorio romano pontifice evectus fuerat? Affert in editis chronicis Dandulus fragmentum quoddam epistolae Honorii papae ad Primigenium, qua ipsum admonet, ut exarcho ravennati ea praestet, quae promiserat: quod indicium est haud leve, eundem Primigenium cum romanis magistratibus, ac fortasse cum ipso Imperatore negotii aliquid habuisse. Mitto alia, quae afferri possent in hanc rem. Cum enim solidi nihil contra hanc Heraclii donationem afferri possit; multa vero receptae apud nos traditioni favere videantur, ineptum certe est in ea asserenda operosius laborare.

VII. Unum tamen est, quod cum aliquam veri speciem exhibeat, indictum praeteriri non potest. Refert Georgius gemnicensis carthusianus (3), qui Syriam, Palaestinam et Aegyptum lustravit anno Christi MDVII. cum Alexandriam pervenisset, ac inter alias Ecclesiam S. Marci visitasset, aliam sibi S. Marci cathedram ostensam fuisse: *Visitur hodie,* inquit (4), *in ea Ecclesia sedes et cathedra eius,* i. e. S. Marci, *necnon baptisterium, ubi eum baptizasse traditur.* Idem refert ex Thevenotio et Coppino Martinierius (5): *Ecclesiam,* ait, *S. Marci tenent Copti: ibique cathedra visitur, quam concionaturus conscendere consueverat:* quibus tamen verbis suggestum potius, quam sedem innuere videtur. Miror tamen nullam neque apud Eutychium, neque apud Severum cathedrae huius mentionem occurrere, neque in antiquissimo *ritu ordinationis patriarchae alexandrini,* quem inter Orientales Liturgias (6) exhibuit Renaudotius. Ac ad S. Marci Ecclesiam, die post ordinationem suam tertia, adduci patriarcham consuevisse ibi traditur (7), et S. Marci caput in sinum accipere: de cathedra vero altum ubique silentium. Fieri tamen potest, sedem illam, quam Georgius vidit, (lignea ne an marmorea fuerit non dicit) cathedram fuisse, a Coptitis, post instauratum anno circiter DCLXX. (8) S. Marci templum quod a Saracenis fuerat incensum, ibidem positam, ut patriarchae sui rem sacram peragentis

(1) Vide Chronic. Gradens. apud Ughell. tom. V. in Patriarch Grad. n. VII. — (2) Decad. I. lib. I. — (3) Apud Pez. Anecdot. tom. II. part. III. pag. 454. — (4) Ephemer. Terrae Sanct. lib. I. cap. VI. — (5) Diction. Geograph. Voc. *Alexandrie.* L'Église de S. Marc est tenue par les Coftes et dans cette Église on voit la chaire, où il montoit pour prêcher. — (6) Tom. I. pag. 467. — (7) Ibid. pag. 485. Vide etiam pag. 422. — (8) Vide Renaud. Hist. Patriarc. Alex. n. XXXVIII. et XL.

usibus inserviret; ideoque *cathedram S. Marci* vocatam, quod in ea S. Marci successor sederet: quae appellatio processu temporis ipsis Coptitis fraudi fuit, ut eandem esse illam cathedram existimarent, cui, dum in vivis ageret, ipse sanctus evangelista Marcus insederit.

VIII. Nec longe aliter de veneta S. Marci sede dicendum est; licet illam alexandrinae multis de causis praeferendam esse putaverim. Nam et hanc non aliunde quam ex hac traditione nomen hoc olim apud Aegyptios obtinuisse, Cornelius (1) et Galliciolius (2) existimant: et iterum inest aliquid peculiare ipsi et proprium, quod nescio quam illi reverentiam possit conciliare. Id vero quid sit statim dicam, ubi tamen aliquid de antiquissimo apostolicarum sedium servandarum more praefatus fuero. Certum est, veteres Christianos cathedras illas ipsas, quibus Apostoli usi fuerant, diligentissime conservare consuevisse; iisdemque apostolicas Ecclesias usas fuisse veluti certissimis monumentis, quibus se ab Apostolis ipsis constitutas demonstrarent. De Iacobi cathedra, et Ecclesia hierosolymitana luculentissimum est Eusebii Pamphili testimonium (3): *Iacobi*, inquit, *qui primus a Salvatore et Apostolis Hierosolymorum episcopatum accepit, et quem fratrem Christi appellatum fuisse Scriptura tradit, Iacobi*. inquam, *cathedram ad nostra usque tempora servatam, qui ibi degunt fratres iam a maioribus magna reverentia prosequuntur, ac manifeste omnibus ostendunt, qualem et veteres et recentiores et servaverint et adhuc servent erga sanctos viros ob Dei amorem venerationem*. Pari modo Tertullianus (4): *Age iam*, inquit, *qui voles curiositatem melius exercere in negotio salutis tuae: percurre Ecclesias apostolicas, apud quas ipsae adhuc cathedrae Apostolorum suis locis praesident etc.* Optime monet Valesius (5), perperam *cathedrae* nomen hoc loco de Ecclesiis accipi a Rigaltio (6): absurde enim locutus esset Tertullianus, si hoc sensu vocem illam accepisset: dixisset enim, *percurre Ecclesias apostolicas, ubi Ecclesiae apostolicae praesident*, quae loquendi ratio omnino esset absurda. Hinc et Romae S. Petri cathedram ab ultimis usque temporibus servatam, ostendunt Bollandiani (7), et Aquileiae alteram S. Marci produnt eiusdem Acta apud eosdem (8); et alibi alias, ut apud Baronium (9) et Georgium (10) videre est. Quid ni idipsum et Alexandriae factum fuerit? Certe Marci sedem saeculo Christi IV. ineunte adhuc ibi servatam fuisse, suspicari faciunt Acta S. Petri alexandrini, quorum fides bollandianis sociis satis probari videtur (11), ubi haec

---

(1) Eccl. Ven. dec. XVI. part. II. in S. Petro pag. 195. — (2) Mem. Ven. lib. I. cap. V. n. 133. — (3) Euseb. Hist. Eccl. lib. VII. cap. XIX. Τὸν Ἰακώβου θρόνον τοῦ πρώτου τὴν Ἱεροσολύμων Ἐκκλησίας τὴν ἐπισκοπὴν πρὸς αὐτοῦ τοῦ Σωτῆρος, καὶ τῶν Ἀποστόλων ὑποδεξαμένου, ὃν καὶ ἀδελφὸν τοῦ Χριστοῦ χρηματίσαι οἱ θεῖοι λόγοι περιέχουσιν· εἰς δεῦρο πεφυλαγμένον, οἱ τῆδε κατὰ διαδοχὴν περιέποντες ἀδελφοί, σαφῶς τοῖς πᾶσιν ἐπιδείκνυνται· οἷον περὶ τοὺς ἁγίους ἄνδρας τοῦ θεοφιλοῦς ἕνεκεν, οἵ τε πάλαι καὶ οἱ εἰς ἡμᾶς ἐσωζόν τε, καὶ ἀποσώζουσι σέβας. Vide etiam cap. XXXII. lib. eiusdem.— (4) De Praescript. Haeret. cap. XXXVI. — (5) In notis ad Euseb. Hist. Eccl. lib. VII. cap. XXXVI. — (6) Nota in Tertull. ad h. l. — (7) Ad diem XXIX. Iunii. — (8) Ad diem XXV. April. — (9) In Notis ad Martyrol. Rom. ad diem. XVIII. Ianuar. — (10) De Liturg. Rom. Pont. lib. III. cap. VIII. — (11) Append. ad Acta S. Marci ad diem XXV. April.

legere est: *Iamdiu erat ex quo suam ille,* Petrus, *sedem non insederat. Id vero causae erat, quod sacri altaris gradus ascendens, ac populo daturus pacem, non in sede, sed in eius suppedaneo scabello sederet.* Huius autem rei causam percontantibus clericis respondit: *Omnino nescitis qualis animum timor tremorque subeat, cum eam me propius sedem adire contingit? Statim enim lucidam quandam atque divinam virtutem illi insidentem conspicio. Inter haec gaudio commixtus timor occupat, invaditque horror, nec quid faciam habeo.* Postrema haec verba Valesium (1) quoque in suspicionem induxere, nonnisi de ipsa Marci cathedra hic sermonem haberi, ac *lucidam illam atque divinam virtutem*, quae se Petro exhibendam praebebat, Marcum ipsum fuisse; qui se gloria quadam ac caelesti splendore refulgentem sancto martyri videndum offerret. Ac licet neque Acta illa antiquissima esse, nec vera omnia, quae de Petro in illis feruntur, pertinaciter pugnaverim; ex antiqua tamen traditione, quod de Marci sede dicitur, derivatum existimaverim; praesertim si, ut coniicit ipse Valesius, Alexandrinorum mos erat, ut nunquam in illa cathedra considerent. Sed quodcumque demum de illis actibus dicendum sit, si quis tamen diligenter Tertulliani verba expendat, statim intelliget vix fieri potuisse ut, aliarum apostolicarum sedium instar, Alexandria quoque Apostoli et magistri sui cathedram minime servaret, praesertim cum hierosolymitanae Ecclesiae exemplum illi prae oculis continenter versaretur.

IX. Ceterum cathedram illam, qua usus est Marcus, nec magnae molis, nec marmoream, nec elaborati operis fuisse, Cornelio (2) et Galliciolio (3) libenter do. Neque enim sinit Apostolorum paupertas atque modestia, ut tam magnificas sibi sedes a fidelibus statui permisisse credamus; neque praeterea tutum fuisset difficillimis illis Ecclesiae temporibus eiusmodi cathedras ponere, a quibus aegre admodum Ethnicorum manus abstinuissent: neque denique quicquam causae erat, cur tam elaborate atque affabre sculperentur, quae aulaeis, ut vidimus, velisque ut plurimum tegerentur. Fuerit igitur aut lignea, aut ad summum ebore tessellata alexandrina Marci cathedra, per me licet. Illa tamen carie ac vetustate absumpta, suspicari licet, meliori christianae reipublicae tempore, marmoream illam alteram, quae modo Venetiis conspicitur, suffectam fuisse, signis et caelaturis ornatam; eoque ipso loco statutam, quo prior altera poni consueverat. Cum vero ex alexandrinae Ecclesiae consuetudine non iam illi insideret antistes, sed alteri prope illam *positae in suppedaneo;* iam ut et loco parceretur et impensis, exiguae prorsus molis nova haec cathedra constructa est: quae non iam homini excipiendo, sed tantum Marci ipsius apostolatui commemorando esset comparata. Nec absurdum mihi videtur, idcirco cavatam in ima parte fuisse, ut ibidem veteris cathedrae fragmenta reponerentur, quibus eo loco reconditis, adhuc prior illa sedes extare dici poterat, cui ipse Marcus insederat; quae deinde fragmenta, aut apud se Aegyptii, cum sedes illa Alexandria Constantinopolin

(1) Loc. cit. — (2) Loc. cit. — (3) Loc. cit.

perlata est, retinuere; aut retinuit Heraclius, cum Constantinopoli Venetias transferendam curavit; aut aliquo denique casu intercidere. Nam intercapedinem illam non esse tantum ponderi attenuando comparatam, ipsa cathedrae moles haud ita ingens ostendit, tum duplex illud foramen in postico et sinistro basis latere cavatum, ac tam diligenter elaboratum. Nam nec artificis commodo, quo facilius cathedrae scamnum cavaret, foramina illa aperta fuisse putaverim, cum illis nequaquam artifex usus fuerit, qui cathedra ipsa inter opus inversa, ipsam sedis superficiem, quae plano haeret, ad circinum pertudit, intimumque illud spatium in cylindri formam commode cavavit; nec ad ornamentum addita existimo, cum vel hinc et inde, vel ante et post fuissent exculpenda; siquidem ornamenti loco haberi debebant, non vero tam inepte disponi, ut unum in posteriori, alterum in dextra cathedrae parte conspiceretur. Itaque aut omnia me ludunt, aut rei alicui ibidem reponendae causa, quae per minora illa foramina extrahi nequaquam posset, cavitas illa parata fuit; quae tamen res sacra fuerit oportet: nefas enim existimare, quidquam, quod sacrum non esset, sacro illo monumento recondi potuisse. Atqui si veteris cathedrae lipsana ibi reposita fuisse arbitrer, quis mihi iure succenseat?

X. Sed coniecturarum satis. Sentio enim me, quae omnia de singulari hoc antiquitatis monumento hucusque proposui, ea non tam coniiciendo, quam divinando protulisse. Verum in tanta remotissimae antiquitatis caligine, in tanto veterum scriptorum silentio, quid potius licuisset? Sint haec somnia, optime lector, sed sua etiam somniis quandoque gratia esse solet. Tu,

. . . . . si quid novisti rectius istis,
Candidus imperti: si non, his utere mecum.

Hactenus itaque de cathedra alexandrina. Addam nunc et de aquileiensi nonnulla. Nam Aquileiae etiam nescio quam S. Marci cathedram fuisse servatam, et nos saepe innuimus (1), et Acta bollandiana diserte tradunt (2). Sic illa: *Adest huius rei testis, quae usque in hodiernum diem ad confirmandam huius veritatis assertionem in eadem Ecclesia perseverat, ex ebore utique antiquo cathedra politis compacta tabulis: in qua quidem sedisse illum, dum evangelicas paginas exararet, priscorum non reticuit memoria relatorum: in cuius nimirum cathedrae sedili nullus est unquam ausus pontificum deinceps residere, sed in magna veneratione hactenus a cunctis extat pontificibus humiliter honorata.* Haec actorum scriptor, quae perperam de cathedra alexandrina accepit Valesius (3). Sedem autem hanc Gradum transtulit cum ceteris aquileiensis Ecclesiae thesauris Paulus patriarcha saeculo VI. tum cum Langobardorum arma declinans, in insulam illam sese recepit, licet peculiarem ipsius mentionem minime faciat historiae illius scriptor Paulus diaconus (4). At quod ille silentio praetermisit, referunt acta

(1) Supr. cap. XIV. num. IV. cap. XIX. num. I. etc. — (2) Ad diem XXV. April. — (3) In notis ad Euseb. Hist. Eccl. lib. VII. cap. XXXVI. — (4) Paul. Diacon. Hist. Lang. lib. II. cap. X.

synodi mantuanae anni DCCCXVII. (1) in causa gradensis et aquileiensis Ecclesiarum, ubi haec leguntur: *Qui,* scilicet Paulus patriarcha, *Langobardorum barbariem et immanitatem metuens, ex civitate aquileiensi et de propria sede ad Gradum insulam plebem suam confugiens, omnemque thesaurum et sedem S. Marci et Hermacorae secum ad eandem insulam detulit; idcirco non ut sedem aut primatum Ecclesiae suae suaeque provinciae constitueret ibi, sed ut barbarorum rabiem posset evadere.* Hic *sancti Marci sedem* non patriarchalem stationem, sive, ut aiunt, *residentiam*, sed ligneam aut eburneam S. Evangelistae cathedram intelligo: nam, prius illud accipiam, vetant quae sequuntur *idcirco non ut sedem etc.;* quae ideo adiecta sunt, ne quis ex illius cathedrae translatione translationem quoque patriarchatus factam fuisse existimaret. Nam apostolicis cathedris hoc privilegium adnexum per ea tempora credebatur. Hinc eadem de causa aquileienses patriarchae haud semel gradensibus molestiam intulere, ut ex *charta conventionis* Ursi ducis et Walperti patriarchae constat, quam superius (2) attulimus: siquidem in ea Walpertus inter alia promittit, cessaturum se ab *omni quaestione in sedibus beatorum martyrum Marci evangelistae et Hermacorae.* Porro tam ex ipsa *charta,* quam ex allatis mantuanae synodi verbis, videtur cathedra illa adhuc Gradi fuisse; neque enim de lignea sede recuperanda solliciti fuisse putandi sunt aut Fortunatus pseudo-patriarcha (3) cum anno circiter DCXXIX. gradensis Ecclesiae thesauro compilato, Cormonem profugit, aut Lupus foroiuliensis dux (4), cum Gradum armata manu adortus, eademque expugnata, iterum Ecclesiam illam est depraedatus. Quin imo extat (5) *charta* quaedam Fortunati patriarchae, qui circa annum Christi DCCCXXVI. gradensem cathedram tenuit, in qua recensens ipse *quae legavit et fecit Ecclesiae suae,* memorat inter alia *cortinam, quam mihi donavit socera Passibo, quam ego volui comparare de illo libris XL. Tamen non minus illi merui ad sedem S. Marci petiam unam, quae fuit comparata libris XV.* Verum in dubium revocari potest, utrum de marmorea alexandrina, an de eburnea aquileiensi loquatur. Posteriorem tamen hanc sedem Grado nunquam amotam fuisse, ostendunt tum Palladius de Olivis scriptor saeculi XVI. (6), tum Candidus (7), qui se illam Gradi propriis oculis inspexisse testatur. Quid vero de illa actum deinde fuerit, omnino nescio. Nam eius loci parochus, a me de hac re interrogatus, nihil se unquam de ipsa audiisse professus est. Haec ex antiquis monumentis, occasione data, de aquileiensi cathedra proferre placuit; quid de illa vero sentiendum sit, inquirere modo non vacat.

XI. Addam hoc loco et de pallio S. Marci nonnihil; quandoquidem et ipsum ad alexandrinum eius episcopatum non secus ac cathedra referri potest. Eius tamen memoria nonnisi apud Liberatum diaconum extat, cuius verba transcribo (8): *Consuetudo est Alexandriae, illum, qui defuncto succedit, excubias super*

---

(1) Apud Labbe venetae editionis tom. VII. — (2) Supr. n. I. — (3) Vide De-Rubeis Mon. Eccl. Aquil. cap. XXXIV. num. III. — (4) Ibidem cap. XXV. Paul. Diac. Hist. Langobard. lib. V. cap. XVII. — (5) Apud Ughell. tom. V. in Patriarch. Gradens. num. XVI. — (6) Apud. Bollandian. ad diem XXV. April. — (7) Ibid. — (8) Breviar. cap. XX.

defuncti corpus agere, manumque dexteram eius capiti suo imponere, et, sepulto manibus suis, accipere collo suo beati Marci pallium, et tunc legitime sedere. Longe tamen alium consecrationis modum exhibet antiquissimus *ritus ordinationis patriarchae alexandrini*, quem inter Liturgias orientales (1) edidit Renaudotius; ut proinde de Liberati in hac re sin minus fide, saltem diligentia dubitandum esse videatur.

CAPUT XX.

DE ANNO MARTYRII S. MARCI.

I. *Martyrem Marcum fuisse negant nonnulli. Marci martyrium asseritur.* II. *De anno eiusdem martyrii veterum scriptorum dissidium.* III. *Anno Neronis VIII. Christi LXII. mortuum dicunt Eusebius et Hieronymus. Horum sententiam amplectimur.* IV. *Proponitur difficultas quaedam contra nostram sententiam ex actis deductam.* V. *Excutiuntur diligenter S. Marci acta.* VI. *Eadem acta cum Eusebii sententia conciliantur.* VII. *Difficultas altera proponitur ex die Paschae deducta, quem Marci martyrio acta tribuere videntur. Erratum aliquando in die Paschae statuendo.* VIII. *Iterum actorum fides probata; quo anno mortuus est Marcus, Pascha fortasse non suo die celebratum.* IX. *Iterum de aberratione in Pascha assignando. Initio Christiani Iudaeos sequebantur. Inepta Iudaeorum Paschae assignandi ratio.* X. *De eorundem Iudaeorum inscitia. Fortasse in actis non iam ipse Paschae dies, sed Dominica in Albis indicatur.*

I. Quae omnia de Marci vita et rebus gestis tum ex antiquis monumentis proferri, tum probabilibus rationibus coniici poterant, evolutis ac pro virili confirmatis; iam superest, ut de praeclarissimi Apostoli martyrio etiam dicamus: ne quae gloriosissima vitae eius pars est atque praestantissima, eam indictam praetereamus. Quod tamen antequam facio, duae difficillimae illae quidem atque a criticis vexatissimae quaestiones enodandae sunt, quarum altera in ipso martyrio asserendo, altera vero in martyrii eiusdem anno constituendo versatur: cum illud quidem a nonnullis aut pertinacissime negari, aut in dubium saltem vocari soleat: alterum vero ita anceps atque incertum sit, ut ipsa inter se criticorum lumina convenire nunquam potuerint. Ac ad primam quaestionem quod attinet, Marcum nostrum martyrium pro Christo fecisse, negat asseveranter Blondellus (2), eique favet, ut in ceteris quae romanae Ecclesiae traditiones convellunt, Io: Georgius Walchius (3); inter Catholicos vero de eius martyrio plures

(1) Tomo I. pag. 467. — (2) De Episcop. part. VII. — (3) Hist. Eccl. saec. I. sect. II. §. XLII. in notis.

dubitarunt (1), praesertim Morerius (2), qui illud inter eas collocat, quas appellat *circonstances incertaines, ou fabuleuses*. Tota vero dubitationis huius causa in eo sita est, quod nec Eusebius, nec Hieronymus, nec Isidorus martyrem illum appellent, qui tamen inter scriptores, qui de eodem Evangelista scripsere, sunt antiquissimi. Nam Eusebius quidem in chronico tam armenio (3), quam latino (4) Hieronymi, haec tantum habet: *Post Marcum evangelistam primus alexandrinae Ecclesiae ordinatur episcopus Annianus:* quae totidem fere verbis in historia ecclesiastica inculcat (5), ubi, ut vides, de martyrio ne verbum quidem. Pari modo Hieronymus (6): *Mortuus est autem octavo Neronis anno, et sepultus Alexandriae, succedente sibi Anniano:* quae vox *mortuus est* subobscure videtur innuere, naturali morte Marcum interiisse. Nec aliter Isidorus (7), cui, si libet, adde etiam falsum Zachariam chrysopolitanum (8) in Monotessaro, quod tamen opus cum recentius sit, et ex Patrum laciniis consutum, nil mirum hieronymiana verba hoc loco referre. Cum itaque sanctorum Patrum, qui de Marco locuti sunt, antiquissimi Eusebius et Hieronymus nullam eius martyrii mentionem iniecerint, praesertim iis in locis ubi de ipso S. Evangelista cum laude loquebantur, videtur, inquiunt, de eius martyrio haud iniuria posse dubitari. Verum huic difficultati multa sunt quae reponas. Nam primum cum huiusmodi argumentum ex eorum genere sit, quae negativa appellantur, et ex unius Eusebii silentio ducatur, (nam Eusebium, ut fere solet, secutus est Hieronymus, Hieronymum Isidorus, et quisquis ille demum est auctor Monotessari) nimis profecto infirmo fundamento niteretur quicumque ex hoc tantum Marci martyrium in dubium vellet revocare: neque enim quia Marcum martyrem non asserit Eusebius, idcirco martyrem negat; ideoque, etiam si nulla omnino suppeterent aliorum scriptorum loca ubi martyr appellaretur, nihil inde tamen confici posset, cum *ex silentio vix quicquam* iuxta criticae regulas consequatur. At illud quantum est, quod hoc ipsum quod Eusebius dissimulat, id et Procopius chartophylax (9), et Ado viennensis (10), et Petrus Damiani (11), et alii fere innumeri (12) ex recentioribus haustum ab antiquis asseverant? Quantum illud, quod universae fere orbis Ecclesiae S. Evangelistam martyris nomine et praeconio condecorant? Martyrem in romanae Ecclesiae Martyrologio (13) vocatum invenio, martyrem in Liturgiis (14), aliisque libris Coptitarum, martyrem in *canone universali* (15) Aethiopum, Aegyptios, ut

---

(1) Vide Tillemont. in Marc. nota XXII. Baron. ad ann. LXIV. n. I. et in Martyr. Rom. ad diem XXV. Aprilis. — (2) Diction. voce *Marc.* — (3) Ad annum Abrahae 2077. — (4) Ad ann. 2078. — (5) Lib. II. cap. XXIV. — (6) De viris illustr. cap. VIII. — (7) De Vita et Morte Patr. Vet. et Nov. Test. n. LXXXIV. — (8) Zach. chrys. praefat. in Monotess. Vide etiam Ioan. Malelam lib. X. — (9) In Encom. S. Marci. — (10) In Martyr. ad diem XXV. April. et in Libello de Festiv. — (11) Serm. XIV. XV. XVI. — (12) Beda, Usuard. Rhabanus, Notker. et Martyr. fere omnia ad diem XXV. April. Chron. Orient. in Chronol. Patriarch. Alex. in praefat. Sever. Hist. Patriarch. in Marc. Eutych. in Origin. Menaea Graeca et Menolog. Basil. ad diem XXV. April. Martyr. Armen. Copt. Abyss. Slavic. Paulinus in Hom. Honorius augustud. de Luminar etc. — (13) Ad diem XXV. April. — (14) Vide Renaud. Liturg. Oriental. tom. I. pag. 18. 34. etc. Bonjour Monum. Copt. n. IV. VI. XIV. — (15) Apud Renaud. Liturg. Orient. tom. I. pag. 506. Martyrol. Metricum ad diem XXIX. *Synae* sive *Buna* etc.

in ceteris, imitantium. Martyribus quoque accensent illum Armenii (1) et Graeci (2), et quidquid actorum ipsius sive editorum superest sive manuscriptorum: uno verbo ita certum est martyrio coronatum fuisse, ut, morosis quibusdam criticis exceptis, a nemine unquam de hac re in Ecclesia fuerit dubitatum. Nec cum Morerio reponas, nimis esse haec a Marci aetate remota atque recentia, ut quicquam ex ipsis confici possit: nam, ut ut illa recentiora videantur, valent numero atque multitudine: neque enim toto terrarum orbe diffundi atque percrebrescere fama haec VII. ipso saeculo potuisset, nisi ab antiquissima eademque certissima traditione deducta esset. Quod si adhuc antiquiores testes desideras, habes saeculo VI. Gelasium Romanum Pontificem (3), habes initio saeculi V. Palladium helenopolitanum (4), Hieronymo coaevum; ut nihil dicam de Dorotheo (5), quem sero licet vixisse velint critici, tamen ante saeculi VI. exitum floruisse necesse est (6), utpote cuius testimonia ab auctore chronici alexandrini identidem (7) producuntur. Et Gelasius quidem ita habet: *Ipse a Petro apostolo in Aegyptum directus, verbum veritatis praedicavit, et gloriosum consummavit martyrium.* Palladius vero refert, Philoromum presbyterum Alexandriam venisse, cum voto se adstrinxisset visitandi τὸ μαρτύριον *martyrium* venerandi athletae Marci. Mitto utrumque chronicon, orientale (8) scilicet et alexandrinum (9); neque enim plures adhuc testes quaerendi, quos Eusebii silentio opponamus.

II. At illa quaestio longe operosior, quae versatur in anno marciani martyrii constituendo. Egere de illa Sollerius (10) et Henschenius (11) inter Bollandianos: Tillemontius (12) quoque, Mazzochius (13), Vallarsius (14), Bonjour (15) aliique (16), nec ullo modo convenire inter ipsos potuit: omnes tamen in eam sententiam conspirarunt, ut certi nihil ea de re statui posse dicerent: sed, ut in re obscura, coniecturis tantum agendum esse. Hoc vero facit veterum scriptorum in anno illo assignando dissidium. Nam sub Traiano obiisse Marcum tradit Pseudo-Dorotheus (17), et Dorothei verba fere exscribens auctor chronici alexandrini (18), qui eius martyrium collocat sub anno eiusdem Traiani VII. hoc est iuxta Petavium, quem modo sequi placet, Christi anno CIV: cum ex adverso Eutychius alexandrinus (19) et Ruffinus (20) et Syncellus (21) illum anno Neronis I. hoc est Christi LIV. passum fuisse constituant. Acta vero arabica a Kirstenio edita, et latina apud Bollandianos (22) anno Claudii XIV. qui idem est Neronis I. Christi LIV: Quin imo Acta graeca ab iisdem Bollandianis vulgata (23) occisum

---

(1) In Martyrolog. Il. cc. — (2) In Menol. et Menaeis Il. cc. — (3) In Decreto de libris apocryphis in Synodo Rom. ann. DXCIV. — (4) Hist. Lausiac. cap. CXIII. sive sect. XCVIII. — (5) Apud Millium praefat. in Marc. — (6) Cave ad ann. CCCIII. Oudin ad ann. D. — (7) Vide Cave loc. cit. — (8) Praef. in Hist. Patriarch. Alexandr. — (9) Ad Olympiad. CCXX. — (10) Proleg. in Acta S. Marci int. Bolland. ad diem XXV. April. — (11) Hist. Patriarch. Alexandr. in diss. prodrom. num. III. — (12) In Marco nota XI. — (13) In not. ad Acta S. Marc. ad diem XXV. April. — (14) In not. ad Chronic. Euseb. ad ann. Abrh. 2078. — (15) Dissert. de temp. Serapiorum. — (16) Calmet prol. in Marcum, Moreri voce *Marc.* Renaudot. in Patriarch. Alex. etc. — (17) Apud Millium ante Evangelium S. Marci. — (18) Olympiad. CCXX. ann. IV. — (19) Orig. Eccl. Alex. tom. I. pag. 336. — (20) Hist. Eccl. Euseb. lib. II. cap. XXIV. — (21) Ad ann. Mundi 5553, — (22) Ad diem XXV. April. — (23) Append. ad tom. III. April.

dicunt ἐπὶ βασιλείας Γαΐου Τιβερίου Καίσαρος *imperante C. Tiberio Caesare*, hoc est ante annum Christi XLI. Porro ingens illa lacuna annorum LXIII. quae inter postremum Caii annum et Traiani Aug. VII. intercedit, non ita vacat, ut non aliquis ex ipsa annus decerptus sit, cui S. Evangelistae martyrium ab aliis adscriberetur. Nam, ut omittam Eusebium et Hieronymum, de quibus infra, chronici orientalis Auctor, seu potius Petrus Rahebus, cuius alexandrinorum patriarcharum historia chronico orientali adiecta est, tradit (1), Marcum martyrium fecisse anno ab Incarnatione LXVII. hoc est iuxta Petavium Neronis XIII. Catalogus vero patriarcharum alexandrinorum Kircherianus (2) et Machrisius (3) anno Neronis XI. Christi LXV. Nam cum tradunt, Annianum sedisse annos XXII. obiisse vero anno Christi LXXXVII. si ex hisce LXXXVII. demas XXII. illos quos sedit, eius ordinatio in annum Christi LXV. incidet, qui est ipse imperii Neronis XI. At Elmacinus (4) XXII. quidem pontificatus annos Anniano tribuit, sed eos in annum Domitiani III. Christi LXXIII. conludit; ac proinde Marci obitum et Anniani exordia ad annum Neronis VII. revocat, Christi LXI. Severus denique (5), ne quid confusioni desit, Anniani, cui totidem episcopatus annos tribuit, mortem in annum VIII. Domitiani, Christi LXXXVIII. transfert, ac proinde Marci obitum et Anniani exordia in Neronis annum XII. hoc est Christi LXVI. Habe itaque ex variis hisce auctoribus conflatum πιναχίδιον.

Obiit Marcus anno Aerae Christianae.

Iuxta Acta Graeca Bollandiana	XLI.
Iuxta Acta Latina, Arabica, Eutychium, Ruffinum et Syncellum	LIV.
Iuxta Elmacinum	LXI.
Iuxta Catal. Kircheri et Machrisium	LXV.
Iuxta Severum	LXVI.
Iuxta Rahebum	LXVII.
Iuxta Doroth. et Chron. Alex.	CIV.

Nam Abulbircatum (6) non moror, Marci mortem sub Tiberio, id est ante annum Christi XXXVIII. collocantem. Verum nihil est in universis hisce supputationibus, quod omnino recipi possit. Nam ad priorem quidem et postremam quod attinet, neminem puto ipsas recepturum; cum postrema haec nimis Marci mortem protrahat, totam alexandrinorum episcoporum seriem turbet, eundemque adhuc viventem exhibeat quo tempore non modo Annianus Marci successor, sed et successor Anniani Abilius obierat, ac III. iam pontificatus sui annum, imo V. fortasse, agebat Cerdo, quartus a Marco alexandrinus episcopus (7): prima vero mortuum Marcum exhibeat quo anno Evangelium suum nondum conscripserat,

(1) In praefat. — (2) Apud Renaud. Hist. Patr. Alex. in Anniano. n. II. — (3) Ibidem. — (4) Ibidem. — (5) Ibidem. — (6) Apud Sollerium Hist. Patriarch. Alex. inter Bolland. tom. V. Iunii in diss. praevia §. I. n. 10. — (7) Vide Soller. loc. cit. art. 4. n. 74., Renaud. Hist. Patriarch. Alexandr. §. IV. etc.

quod ab ipso ante IV. Claudii annum, Christi vero XLIV. conscribi non potuisse, superius (1) demonstravimus. Reliqui vero anni, scilicet LIV. LXI. LXV. LXVI. LXVII. (ut nihil dicam de tot illis absurdis, quae apud eos auctores reperiuntur (2), qui annos illos praeseferunt) ideo omnino reiiciendi, quod cum ceteris, quae de S. Marci martyrio traduntur, nequeant conciliari. Nam Marcum, ut videbimus (3), captus fuit die Aprilis XXIV., die vero sequenti interfectus: horum vero dierum alter dominicus esse debuit, quod tamen in allatis annis contigit nunquam. Nam annis LIV. et LXV. littera dominicali F. dies XXIV. fuit feria IV. dies XXV. feria V. Anno LXVI. littera dominicali E. dies XXIV. feria V. dies XXV. feria VI. Denique annis LXI. et LXVII. littera dominicali D. dies XXIV. feria VI. dies XXV. Sabbatum fuit. Ex quibus constat nullum ex annis illis Marci martyrio aptari posse.

III. Restat igitur Eusebii sententia, quae quamvis et ipsa suis patet difficultatibus, omnium tamen videtur mihi tutissima. Ac ille quidem, in chronico nuper ex armenio vulgato, Annianum Marco successisse tradit anno Neronis VII. hoc est, iuxta Petavium, anno Christi LXI. At in latina Hieronymi versione Anniani successio ponitur sub Neronis eiusdem anno VIII; et hanc esse verissimam Eusebii sententiam, ex eo constat, quod ipsemet Eusebius in historia ecclesiastica eandem amplectitur, ubi non numeralibus notis, quas frequentissime amanuensium oscitantia corrumpere solet, sed expressis verbis *octavum Neronis annum* commemorat: *Nerone*, inquit (4), *annum imperii octavum agente, primus post Marcum apostolum et evangelistam alexandrinae paroeciae,* h. e. patriarchatus, *sacerdotium suscipit Annianus.* Id alibi etiam idem Eusebius confirmat. Nam cum in hoc ipso chronici loco, quem modo attulimus, dicat, Annianum alexandrinae Ecclesiae praefuisse annos XXII., quam lectionem sequitur etiam Syncellus, eiusdem Anniani mortem collocat sub anno Domitiani caesaris IV. Christi LXXIV.; ita ut subductis annis XXII. eius post Marcum successio apprime incidat in annum Neronis VIII. Hanc ipsam praeterea annorum distributionem etiam in historia repraesentat (5): *Quarto*, inquit, *anno Domitiani obiit Annianus, primus alexandrinae paroeciae episcopus, XXII. annis pontificatus expletis.* Hinc patet quae fides habenda sit mss. codicibus (6) chronici eusebiani, qui, Vallarsio teste, in IX. Neronis annum Anniani successionem differunt; aut armeniae versioni, quae cum eidem Anniano XXVI. pontificatus annos (7) tribuisset, Abilii tamen, qui Anniano successit, sub anno III. Domitiani (8) ordinationem commemerat, cum tamen inter VII. Neronis annum et III. Domitiani nonnisi XXII. intercedant. Qua in re adhuc peius peccat aquileiensis Ruffinus, qui, ut modo diximus, Annianum Marco

---

(1) Supr. cap. VIII. num. IX. — (2) Soller. loc. cit. in dissert. praev. §. I. Renaudot. Histor. citata num. I. — (3) Infra num. IV. —(4) Hist. Eccl. lib. II. cap. XXIV. Νέρωνος δὲ ὄγδοον ἄγοντος τῆς βασιλείας ἔτος, πρῶτος μετὰ Μάρκον τὸν ἀπόστολον καὶ εὐαγγελιστὴν, τῆς ἐν Ἀλεξανδρείᾳ παροικίας, Ἀννιανὸς τὴν λειτουργίαν διαδέχεται. —(5) Lib. III. cap. XIV. Τετάρτῳ μὲν οὖν ἔτει Δομετιανοῦ τῆς κατ' Αλεξάνδρειαν παροικίας ὁ πρῶτος Ἀννιανὸς δύο πρὸς τοῖς εἴκοσιν ἀποπλήσας ἔτη, τελευτᾷ.— (6) In Chron. Euseb. ad ann. Abrahae 2078. Vide etiam Pontac. in eundem locum — (7) Ad ann. Abrahae 2077. — (8) Ad annum Abrahae 2099.

successisse tradit (1) anno Neronis I., mortuum vero anno Domitiani IV. (2), pontificatus sui XXII. cum tamen inter I. Neronis annum et IV. Domitiani non iam XXII. sed XXIX. omnino anni intercedant. Sed huiusmodi χρονολογικὰ ἀνακόλουθα passim in antiquis libris occurrere omnes norunt. Interim certum est, Eusebium in VIII. Neronis annum Anniani successionem reiicere, ac proinde nil mirum, hanc ipsam sententiam Hieronymum (3), Prosperum (4), Adonem (5), Isidorum (6), Zonaram (7), Usuardum (8), Honorium augustudunensem (9), Petrum Damiani (10), ac latinos fere omnes atque graecos deinde fuisse amplexatos. Et revera ita inter se Orientales dissident in hoc anno adsignando, ac tot ac tam absurda et ἀσύστατα comminiscuntur, ut optime Sollerius et Renaudotius statuerint, nihil illis esse fidendum; cum Orientalium fides ac diligentia in rebus chronologicis levissima ut plurimum esse soleat.

IV. Attamen, ut verum fatear, plura sunt in S. Marci Actis, quae eusebianae chronologiae maxime adversari videntur, quaeque diligenter excutienda sunt. Referunt enim, Marcum die Aprilis XXIV. ab Ethnicis captum, postridie occisum fuisse: captum autem fuisse die dominico, quo die sanctissimum Paschae festum a Christianis celebrabatur. Porro si quis paschales tabulas consulat, animadvertet, anno aerae christianae LXII. Pascha in diem Aprilis XI. non vero in XXIV. incidisse; imo ne incidere quidem potuisse, cum littera eius anni dominicalis esset C. ac idcirco dies XXIV. non iam dominicus esset, sed Sabbatum. Addit Guillelmus Bonjour (11), ante Theophilum patriarcham, qui saeculi V. initio floruit, Alexandrinos nunquam ultra diem XI. Kal. Maias, h. e. XXI. Aprilis, Pascha distulisse: imo primis ipsis temporibus, cum Ecclesia illa, Eusebio (12) et Hieronymo (13) testibus, iudaizaret, Alexandrinos cum Iudaeis Pascha celebrasse: quod et nescio quo Eutychii testimonio confirmat. Porro Pascha Iudaeorum per ea tempora non ultra diem Aprilis XXI. excurrere potuit, ut liquet ex cyclo paschali annorum LXXXIV. quem exhibet ex Epiphanio Petavius (14), ubi neomenia Nisan non ultra diem VII. Aprilis protrahitur; ac proinde Pascha non ultra XXI. diem mensis eiusdem. Cum vero anno Christi LXII. littera dominicali C. cyclo solari XV. cyclo lunae XVII. neomenia Nisan inciderit in diem XXVI. Martii, certum est iudaicum Pascha in diem IX. Aprilis, feria VI. celebratum; ita ut ea, quae de Marco capto in die Paschae traduntur, nullo modo cum huius anni notis possint conciliari. Nec reponas, Actorum illorum, quae a Bollandianis edita sunt, fidem in multis nutare, utpote quae sin minus recens conficta, attamen interpolata saltem, ac adsutis hinc inde laciniis corrupta fuerint: nam, ne in martyrii die assignando errare ipsa existimemus, facit tum orientalium tum occidentalium scriptorum auctoritas, qui illis omnino consentiunt; quod in mendacio vix fieri potest. Ita enim habent: *Factum est,*

---

(1) Hist. Eccl. lib. II. cap. XXIV. — (2) Ibidem lib. III. cap. XIII. — (3) De viris illustr. cap. VIII. — (4) In Chronic. Conss. Celsino et Apul. — (5) In libello de Fest. Sanct. — (6) De Vita et Morte Sanct. cap. LXXXIV. — (7) Lib. XI. cap. XIII. — (8) Ad diem XXV. Aprilis. — (9) De Lumin. — (10) Serm. XV. — (11) Diss. de Serapior. tempore. etc. — (12) Hist. Eccl. lib. II. cap. XVI. XVII. — (13) De viris illustr. cap. VIII. XI. — (14) In notis ad Epiphanium Haeresi LI. diatriba II. de anno Dominicae Passionis. pag. 166.

ut beatissima festivitas nostra paschalis, id est dominicus dies sanctus occurreret vigesimo (supple vigesimo nono) *die mensis Farmuti, quod est VIII. kalendas Maii; quo tempore eorum serapiaca agebatur celebritas.* Vigesimum nonum reponendum esse pro vigesimo, quod amanuensium oscitantia in textum irrepsit, admonent Henschenius (1) et Bonjour (2), et ea ipsa, quae sequuntur, ostendunt. Addunt enim Acta, ea occasione Ethnicos adunatos in Marcum sacra peragentem irruisse, captumque sub vesperam in carcerem inclusisse, postridie vero inde eductum interemisse: tum subiiciunt: *Dormivit autem beatissimus Evangelista, primus D. N. I. C. martyr apud Alexandriam Aegypti, die tricesimo* (supple Farmuti) *quod est apud Romanos VII. kalendas Maii.* Si itaque obdormivit die XXX. Farmuti, iam die XXIX. captus fuerat, non vero XX. Est autem Farmuti, sive Pharmuthi (3) octavus aegyptii anni mensis, constans quemadmodum ceteri apud Aegyptios diebus XXX. quorum primus in XXVII. diem Martii Iuliani incidit, ita ut apprime dies Pharmuthi XXIX. respondeat Aprilis XXIV.; dies vero XXX. sive ultimus, diei XXV. Atqui hunc diem S. Marci martyrio Kalendaria et Martyrologia fere universa tribuere solent (4): cetera vero quae in Actis de Paschae solemnitate et die dominico habentur, narrantur etiam ab auctore Chronici Orientalis (5), ab Adone (6) et Beda (7): extant praeterea in Martyrologio et Lectionario armeno (8), in Actis graecis (9) et Actis aliis latinis mss. apud nos asservatis. Imo addit Chronicon Orientale, diem illum, nempe XXIV. Aprilis, respondere XXIV. Nisan iuxta Hebraeos, quod perperam Sollerius (10) reprehendit: non enim loquitur de lunari veterum Hebraeorum Nisan, sed de Syrorum, quos Hebraeos pro Aegyptiorum more appellat, solari mense octavo, quem utique نيسان vocant, et Latinorum Aprili omnino respondet (11). Itaque cum in tanta universae fere Ecclesiae consensione, vix liceat de rei veritate dubitare, fatendum est, captum fuisse S. Marcum Aprilis XXIV. dominica die Paschae: obiisse vero die XXV. feria II. Sed cum haec in annum Christi LXII. Neronis VIII. convenire nequeant, alius annus quaerendus videtur, in quo haec simul omnia possint conciliari. Quod cum animadvertissent critici, nil mirum, illos in varias sententias abiisse (12); ac pro lubito aliis LV. aliis LXVII. aliis LXVIII. annum, aliis etiam alios placuisse: quod tamen nihili fuit, cum nullus ab ipsis repertus sit, in quem universae illae notae simul convenirent.

V. Ego vero, si quid post tot ac tantos eruditissimorum hominum conatus audendum est, a recepta Eusebii et Hieronymi chronologia nullatenus receden-

---

(1) In notis ad Act. in hunc locum inter Bolland. — (2) De tempore Serapior. — (3) Vide Petav. de Doctr. Temp. lib. VI. cap. II. — (4) Ado, Beda, Usuardus, Notker. Martyr. Rom. Parvum, Fuldens. Ottobonianum, Palatinum, Richenoviense, Augustanum, etc. Menolog. Basilii; Menaea Graeca, Martyrol. Armen. Kalend. Aegypt. Seldeni etc. Vide Rosweidi notas in Adonem, et Assem. Kal. Eccl. Univers. tom. VI. ad diem XXV. April. — (5) Praefat. in Hist. Patriarch. Alex. — (6) Libel. de Festiv. Sanct. — (7) Ad diem XXV. April. — (8) Ad eundem diem. — (9) Ad eundem diem — (10) Histor. Patriarch. Alexandrin. Diss. praevia §. III. n. 23. — (11) Vide Bevereg. Instit. Chronolog. lib. I. cap. XII. n. 1. — (12) Vide Sollerium loc. cit. Bonjour dissert. cit.

dum esse putaverim, ac Marci mortem anno Christi LXII. Neronis vero VIII. adfigendam esse: cum quae contra hanc hypothesin afferuntur, aut dilui aliquo modo possint, aut sin minus, non his tamen potiora sint, quae adversus ceteras etiam sententias producuntur. Haec vero antequam dissolvo, liceat mihi ipsa Actorum verba parumper excutere: id enim hucusque non ita diligenter, ut rei difficultas postulabat, factum fuisse mihi videtur: *Factum est*, inquiunt, *ut beatissima festivitas nostra paschalis, dominicus dies sanctus occurreret vigesimo* nono *die mensis Pharmuthi, quod est VIII. kal. Maii, quo tempore eorum serapiaca agebatur celebritas*. Non ita graeca. Ἐγένετο δὲ τῆς μακαρίας ἑορτῆς τοῦ ἁγίου Πάσχα καταλαβεῖν τὴν ἁγίαν Κυριακὴν, ἐν ᾗ ἦν καὶ αὐτῶν σαραπιακὴ κωμασία. *Advenit autem dominicus sanctus dies beatae festivitatis sancti Paschae, in quem incidebat etiam serapiaca ipsorum pompa*, sive *festivitas*. Serapidis sacrum κωμασίαν sive *pompam* vocant, quia solemnis in eius festo *pompa* ducebatur, qua de re vide Coquaeum (1) et auctores ab ipso citatos. Ceterum nihil hic de die VIII. kalendas Maii, nihil de die XXIX. Pharmuthi, quem ex suo cerebro adiecit latinus interpres: hoc unum tantum refertur, advenisse *diem Paschae dominicum*, et cum *serapiaca solemnitate* eo anno incidisse. Atqui serapiaca solemnitas non XXIV. sed XV. die Pharmuthi, idest non VIII. kal. Maii sed VII. kal. celebrabatur. Probat id multis Guillelmus Bonjour (2), sed ex antiquo Kalendario Romano a Petavio edito (3) apprime patet, ubi ad diem VII. kal. Maii sive Aprilis XXV. haec nota apponitur *Serapis;* qui dies non iam XXIX. est, sed XXX. mensis Pharmuthi. Quin et ipsa Acta S. Marci idipsum ostendunt. Ibi enim postquam relatum est, Marcum, postridie quam captus fuerat, iugulatum fuisse, ac deinde in ignem iniectum, ingenti vero procella oborta, ac imbre effusissimo ignem extinctum, idololatrae ita loquentes inducuntur: *Beatissimus Serapis noster in sua hodie festivitate hunc virum voluit invisere*. Siquidem, Serapim ipsum inter effusos imbres ad invisendum Marcum descendisse, per iocum cavillabantur. Ex quibus verbis deduco, Marcum non ipso serapiorum die, sed pridie captum fuisse, postridie vero iugulatum, quo et serapiaca Ethnicorum et Christianorum simul dominicus dies et Pascha celebrabantur: ac proinde iuxta Actorum fidem Christianorum Pascha in diem Pharmuthi XXX. sive Aprilis XXV. incidisse. Quod si Chronicon Orientale, Ado, aliique ipso Paschae atque adeo ipso serapiorum die captum Marcum dixere, ideo ita locutos fuisse crediderim, quod eo ipso die tam paschalis Christianorum solemnitas, quam Ethnicorum serapiaca circa vesperas exordium sumerent; quod de serapiacis optime demonstrat saepius a nobis laudatus Guillelmus Bonjour (4), de Paschate vero facile intelliget quisquis antiquos Ecclesiae ritus haud omnino ignoraverit (5). Quin imo Socrates ait (6), id alexandrinae Ecclesiae proprium ac peculiare fuisse, ut quolibet Sabbato sub vesperam sacrificium

(1) Comm. in S. Aug. de Civit. Dei lib. VI. cap. X. — (2) Dissertat. citata. — (3) De Doctr. tempor. tom. III. In Uranolog. — (4) Diss. cit. — (5) Vide Bona Liturgic. Rer. lib. I. cap. XXI. n. 2. — (6) Hist. Eccl. lib. V. cap. XXII.

offerretur, idque Sozomenus (1) etiam ac Nicephorus (2) tradunt; quod quidem ex antiquissima traditione emanasse idem Socrates arbitratur. Quid itaque mirum, laudatos scriptores, cum legissent, Marcum sacris operantem captum fuisse a paganis ipso Paschae ac serapiorum festo, die vero XXIX. Pharmuthi, sive Aprilis XXIV., existimasse, ambas illas solemnitates in illum diem incidisse, quae tamen die XXV. revera celebratae sunt, ac idcirco tot tenebras Marci Actis obfudisse, quae quidem magna ex parte discutiuntur, si Pascha et serapia eo die incepisse tantum dicamus?

VI. Atqui, hoc posito, haud mihi operosum videtur multa, quae in Actis ipsis repugnare videntur, invicem conciliare. Fuit anno LXII. littera dominicalis C. ac proinde dies Aprilis XXIV. in Sabbatum incidit, XXV. vero in Dominicam. Captus est sub vesperam Marcus: sero enim captum fuisse ostendit, quod populari tumultu comprehensum minime occiderunt, sed carceri inclusum in sequentem diem reservarunt. Vix enim in huiusmodi populi motibus fieri potest, ut, si tempus suppetat, non eum plebs statim discerpat atque interficiat, quem ad necem quaesivit: quod si in alium diem necem differt, hoc nonnisi tempori tribuendum est. Ipsum sacris operantem pro alexandrinae Ecclesiae more sub vesperas invenit plebs, cum ipsa quoque serapiaci sacri iam sub vesperam ineundi causa adunata esset: quae sacra cum ingenti licentia, utpote nocturna, agi solerent, nil mirum, tam impium facinus in sanctissimum virum sibi Alexandrinos permisisse. Habemus itaque in hac sententia et ab Actibus indicatum dominicum diem, habemus serapiacorum tempus, habemus diem XXIX. Pharmuthi, sive, quod idem est, Aprilis XXIV. Superest ut de die Paschae inquiramus.

VII. Atqui si paschales tabulas, patrum nostrorum aetate confectas, perscrutemur, fatendum est paschalem Dominicam eo anno non iam in XXV. sed in XI. Aprilis diem incidisse. Quin imo post annum XLV. cum primo post Christum Pascha actum est die XXV. Aprilis, nunquam deinde usque ad annum CXXXVII. eadem illa die est celebratum. At neuter ex hisce annis martyrio Marci assignari potest: nam prior ille cito nimis mortuum signaret: alter Marci vitam nimis in longum produceret. Quod si quis XXIV. Aprilis, quo die captus est Marcus, Pascha actum existimaverit, is praeterquamquod Actis ipsis repugnare mihi videbitur, nihil inde proficiet; cum nunquam post Christum ante annum CII. Pascha in diem Aprilis XXIV. inciderit. Sive ergo Pascha diei XXIV. tribuas, sive XXV. eadem omnino difficultas: nusquam enim in tota Marci vita hisce diebus Pascha actum est, excepto anno XLIV. quem tamen reiiciendum esse iam diximus. Vidit insolubilem nodum vir acutissimus Guillelmus Bonjour (3), ac cum Pascha nullum reperiret, quod iis, quae in Actis tradebantur, aptari posset, nodum ipsum non tam dissolvit, quam rescidit, ac *dominicum diem sanctum paschalis festivitatis* de quolibet dominico die, paschalis praesertim temporis, est interpretatus: dominicum diem quemlibet ita appellatum fuisse, productis

(1) Hist. Eccl. lib. VII. cap. XIX. — (2) Hist. Eccl. lib. XII. cap. XXXIV. — (3) Diss. citata.

bene multis veterum scriptorum testimoniis, demonstrans. Itaque in anno martyrii S. Marci assignando, nihil iam de Pascha sollicitus, id tantum curavit, ut annum reperiret, in quo serapiaca in dominicum diem inciderint, quae quidem serapiaca licet die XXV. Aprilis celebrari debuisse demonstret, attamen in diem antecedentem, scilicet XXIV. retrahit, eo quod vespere eius diei Serapis festum inchoaretur. Hoc vero posito, annum Christi LXVIII. elegit, cui Marci mortem tribueret, cum illam tamen aeque anno LVII. et LXIII. aptare potuisset; nam his etiam annis serapiaca dominico die ad vesperas incepere. Verum de anno illo quidquid demum Bonjurio visum sit, certum est ex eiusdem sententia, nihil esse curandum de Pascha; quo posito, nemo nos, qui annum LXII. amplexi sumus, reprehendere posset, si cum cetera omnia ad Actorum verba exegerimus, paschale tamen festum cum Marci martyrio nequaquam conciliare valeremus. Cum autem in hac re eadem et nostrae sententiae et ceterarum conditio sit; profecto nostrae potius adhaerendum, quam ceteris, quae Eusebii, Hieronymi et totius fere Ecclesiae auctoritate confirmatur. At quantum illud est, quod haec ipsa, quae ex Pascha ducitur difficultas, sin minus omnino tolli, maxima tamen ex parte elevari facile potest, si cum Sollerio animadvertamus, certum quidem esse iuxta recentes paschales tabulas nunquam Pascha Christianorum Marci aetate in diem Aprilis XXIV. (addam ego nec XXV.) incidisse; at non item constare, Christianos per ea tempora tam adamussim paschales calculos instituere consuevisse, ut non identidem a vero paschali termino maxime aberrarent, quemadmodum in notis ad canonem Victorii Brucherius animadvertit? Quid porro mirum, si errore aliquo paschale festum in diem Aprilis XXV. Alexandrini eo anno distulere, quod tamen die eiusdem mensis XI. erat celebrandum?

VIII. Fateor equidem, adeo abnormem a vero termino aberrationem, qua factum esset ut Pascha non iam in plenilunio sed in interlunio celebraretur, absurdam prima fronte videri: verum aut omnis in hac re fides Marci Actibus deneganda est, aut, si illis stare oportet, vix alia prorsus ex hisce angustiis emergendi patet via. Ecquis tamen in tanta veterum scriptorum consensione, qui Acta illa exscripsere, illa reiicere audebit? Utcumque enim interpolata esse constet, antiqua illa tamen sunt, ac ab Aegyptiis profecta; ea vero περιχοπή, qua de quaerimus, ita se aegyptiam prodit, ut eam inter assumenta adnumerare integrum omnino non sit. Nam quis tandem sequiori illa aetate, qua Acta illa aut conficta aut interpolata fuisse oportet, quis (inquam) aut nostrorum hominum, aut graecorum, de Aegyptiorum mensibus, de serapiaca Aegyptiorum pompa in XXX. diem Pharmuthi incidente, de *Bennidio* (1), de *loco Bucoli* (2), ubi Marcus discerptus est et raptatus, aliisque huiusmodi aegyptiis antiquitatibus vel per somnium unquam cogitaverit: quo tempore ipsa graecae et romanae vetustatis notitia omnino iacebat, nec iam qui eruditiores ceteris pro eorum temporum conditione habebantur, sed inepti quidam obscurique nominis veterato-

(1) Vide supr. cap. XVII. n. III. — (2) Infr. cap. seq. n. II.

res Sanctorum Actis aut confingendis, aut interpolandis vacarent? Adde in Actis ipsis tam latinis quam graecis quaedam haberi, quae se ex alia lingua translata ostendant, sed ab interprete aegyptiacarum rerum ignaro; totam vero dictionem orientale, praesertim in graecis, ingenium sapere, ut in illis: Καὶ γευσάμενοι ψωμὸν ἄρτου ἄπεμπον, λέγοντες· ὁ Κύριος Ἰησοῦς Χριστὸς εὐοδώσει τὴν ὁδόν σου: *Et cum gustassent buccellam panis, dimiserunt, dicentes: Dominus Iesus Christus bene dirigat viam tuam:* tum in illis: Εὐλογία Κυρίου ὧδε: *Benedictio Domini hic*, quae sunt verba Marci, Anniani domum ingredientis; aliisque innumeris. Quid quod *Abilii* nomen (ita enim a nostris post Eusebium (1) vocatur Anniani successor) a latino interprete in *Melium* sive *Melianum*, a graeco Μιλίοον *Milioon* mutatum est? nonne pro Orientalium (2) more factum dixerim, utpote quem Rahebus (3) *Milium*, Arabes (4) *Milium* et *Milianum* sive *Melianum*, Coptitae (5) Μιλῶϊ *Miloi*, Severus (6) *Melianum*, Armenii (7) *Milion*, *Meleon* et *Similion* appellent? Certe si Acta illa Graecus quispiam, aut Latinus procudisset, *Abilii* nomine, quod sibi Eusebius vel Hieronymus obtulissent, usus esset: non *Melium* aut *Milioon* (quod nominis monstrum ex latino pro Orientalium more detortum est) apud gentes illas remotissimas usurpari esset suspicatus. Cur itaque illud in graecis Actis et latinis occurrit? nempe quia graeca ex aegyptiis, latina item ex graecis deducta sunt. Si vero illa aegyptia sunt, et tamen latine simul et graece leguntur, quandonam confecta existimem, nisi antequam Ecclesiam illam eutychiana haeresis inficeret, et a ceteris infausto illo dissidio disterminaret? Si vero ita sunt antiqua, licet in aliis interpolata videri possint, in die tamen marciani martyrii assignando integra sunt et incorrupta; ac proinde ab illis in hac re discedendum non est; nec singularis illa a vero Paschae termino aberratio ita absurda existimanda, ut id sub Ecclesiae exordiis non aliquando contingere potuisse credamus.

IX. Id vero adhuc magis fieri potuisse arbitrabimur, si alexandrinam Ecclesiam per ea tempora iudaicum in paschali termino statuendo morem secutam parumper fingamus; quod profecto in illis christianae rei exordiis et in ea Ecclesia, quae maxime iudaizaret (8), evenisse probabile est. Neque vero ita illam iudaizasse dico, ut quacumque die iudaicum Pascha occurreret, eodem et ab illa celebraretur, qui Quartodecimanorum error fuit, cuius nullum in alexandrina Ecclesia vestigium: sed ita tantum, ut in primi mensis plenilunio supputando Iudaeorum rationes sequeretur; ac idcirco paschalem solemnitatem Dominicae illi adsignaret, quae statim iudaicum Pascha sequeretur. Nam quod dominico die apud Alexandrinos ab ipsis Ecclesiae exordiis Pascha ageretur, testis est luculentissimus Eusebius, qui cum dixisset (9), traditionem hanc de do-

---

(1) Euseb. Hist. Eccl. lib. III. cap. XIV. Hieron. in Chron. Euseb. ad ann. Abrahae MMC. Ruffin. in vers. Euseb. ad loc. cit. Martyrol. Rom. Adon. Usuard. etc. ad diem XXII. Feb. — (2) Vide Iosephi Assem. diss. de Patriarch. Alex. num. III. — (3) Series Patriarch. Alex. addita Chron. Orient. num. 3. — (4) Asseman. loc. cit. Renaud. Hist. Patr. Alex. n. III. — (5) Apud Renaud. loc. cit. — (6) Ibidem. — (7) Lection. et Martyrol. Armen. ad diem XXV. April. — (8) Vide supr. num. IV. — (9) Hist. Eccl. lib. V. cap. XXIII. Vide Blondel. Hist. Kal. lib. IV. part. I. cap. VI.

minico die ab ipsis Apostolis in universas Ecclesias promanasse, profert deinde (1) locum quendam ex epistola episcoporum Palaestinae, in qua cum multa de traditionis huius antiquitate retulissent, addunt postremo, alexandrinam Ecclesiam in hanc eandem sententiam convenire: ita ut falsus habendus sit Eutychius, qui in insigni fragmento a Seldeno (2) producto, ait, ante Victorem papam Christianos universos Pascha XIV. luna primi mensis cum Iudaeis celebrasse. Scripta autem epistola illa Victoris papae tempore, ac proinde circa annum Christi CXCVII (3), cum vix anni CXXXV. a Marci obitu elapsi essent; ita ut nullo modo verisimile videri possit, Aegyptios antiquitatum suarum tenacissimos, tam brevi temporis spatio, traditionem a Marco acceptam aut oblitos esse, aut immutasse. Quin imo videtur mihi Beda hanc translati in dominicum diem paschalis festi gloriam Marco ipsi tribuere, ubi illum ait (4): *Canonicam Paschae observantiam, quae universis Christi Ecclesiis foret imitabilis, ostendisse.* Atque haec de dominico die: nam de iudaico more, quoad cetera, in iudaizante adhuc Ecclesia servato vix dubito. Hisce vero positis, videamus modo, qua methodo in Pascha statuendo Iudaei ea aetate uterentur. Equidem Petavius laterculum exhibet ex Epiphanio (5), ex quo, quoto cuiusque iuliani anni mense et die neomenia Nisan ac proinde Pascha Iudaeorum primis Ecclesiae saeculis occurrerit, facile deduci potest: idem tamen fatetur (6), Iudaeos nonnisi post annum Christi LXXIV. calculis illis adhaerere incepisse; cum antea, stante adhuc templo, longe alia supputandi ratione uterentur. Nam homines quosdam certis in locis disponebant, qui apparitionem lunae expectarent; eaque inspecta, hierosolymitano synedrio a se visam denuntiarent; synedrium vero nuntiis undique missis, quos שלוחין *legatos* appellabant, Israelitas universos de lunae φάσει et neomeniae celebrandae die admonebat. Quae profecto cum rudis et incondita esset novilunii statuendi ratio, plurima in ipsis etiam festis, quae singulis mensibus celebranda erant, incommoda inferebat: nam fieri quandoque poterat, ut qui inspectando novilunio certis locis erant collocati, illam XXX. die nequaquam intuerentur; quod ubi accidisset, in sequentem diem, idest XXXI. neomenia differebatur, ita ut pro primo lunae die haberetur aliquando, qui secundus esset et tertius fortasse: et iterum qui longo intervallo ab urbe sancta distabant, ii cum nonnisi sero de lunae φάσει admoneri possent, tum demum neomeniam agere incipiebant, cum illa iam Hierosolymis peracta esset. Ex quo mos ille ab antiquis temporibus apud Iudaeos invectus, neomeniam per biduum celebrandi, die nempe lunae XXX. et XXXI. cum scilicet in alterutrum neomenia incidat necesse sit: quem morem Iudaei in sua hac διασπορᾷ adhuc retinent, ut ex eorum kalendariis edoceri quisque potest. At ubi in diem XXXI. neomenia protracta esset, iam omnia illius mensis festa in sequentem transferri necesse erat: siquidem illa non iam stato cuiusque lunae die, sed certa cuius-

(1) Ibid. cap. XXV. — (2) De ann. civili veter. Iudaeor. cap. XXI. — (3) Vide Petavium Chronolog. ad hunc ann. — (4) Praefat. comm. in Marcum. — (5) In notis ad Epiph. haeres. LI. Vide supr. n. IV. — (6) Ibidem. pag. 152. 182.

que mensis luce erant ex Dei praecepto celebranda: ita ut, licet anno Christi LXII., quod ex tabula petaviana liquet (1), Pascha die Aprilis IX. agendum esset, fieri tamen potuerit, ut die eiusdem mensis X. hac de causa ageretur.

X. Verum haec brevis uniuscuiusque festi dilatio, quae nonnisi in diem sequentem illud reiicit. Illa longe maior habenda est, quae ex aliis causis, ex Maiemonide a Petavio (2) relatis, oriebatur, ut illae sunt, si disrupti essent pontes, si nondum Hierosolymis constructi furni, quibus azyma coquerentur, si nondum maturae segetes, quae secundo azymorum die offerri (3) debebant, aliaeque huiusmodi; nam ubi horum quicquam occurrisset, paschale festum differri consuevisse certum est. Nec sum nescius, dilationem illam non iam nonnullorum dierum tantum tunc fuisse, sed integrae lunae, ita ut anno illo integer mensis intercalaretur, nempe *Veadar;* idque Christi anno LXII. nequaquam contingere potuisse, nisi quis velit, Iudaeos Pascha die Maii VIII. aut IX. celebrasse, quod omnino incredibile est: sed hoc unum volo, stolidissimos illos synedrii praesides, qui tam inepta neomeniarum statuendarum ratione uterentur, facile in paschali termino statuendo potuisse hallucinari; ac proinde nil mirum, primos quoque Christianos, errantes duces secutos, et ipsos errasse. Finge siquidem, Iudaeos aliquo errore abreptos paschalem solemnitatem anno Christi LXII. non iam in diem Aprilis IX. sed in XI. qui dies dominicus erat, consignasse: iam Christiani illum in diem eiusdem mensis XVIII. differre debuere: ac proinde dies Aprilis XXV. et ipse dominicus, octavus Paschae fuit, sive ut nunc appellatur *Dominica in Albis,* qui die paschali festo includebatur (4), et recte Κυριακὴ τῆς ἑορτῆς τοῦ ἁγίου Πάσχα, *Dominica festi sancti Paschae* vocari potest. Quem profecto diem ipsa etiam Acta (5) S. Marci armena innuere videntur, quae non iam ipso Paschae die captum fuisse illum tradunt, sed *in diebus sanctis Paschae in hora Missae,* quae dicendi ratio universam paschalem hebdomadam, imo octavam complectitur. Hoc vero posito, vides quam perbelle annus Christi LXII. cum his omnibus, quae habentur in Actis, conveniat. Quod si contendas, hunc dicendi modum non Dominicam, ut aiunt, *in Albis,* sed ipsum Paschae diem indicare, ultro concedam: at nulla certe ratione evidenter ostendes, aut Iudaeos, aut Christianos per ea tempora non ita errare potuisse, ut, quaecumque demum causa fuerit, Pascha, quod XI. Aprilis die celebrandum erat, in diem eiusdem mensis XXV. differrent. Atque de perplexa ac perdifficili hac quaestione hactenus dictum sit. Ceterum cum in anno Christi LXII. Marci martyrio assignando probatissimi quique post Eusebium scriptores consentiant; cum in hunc annum notae illae omnes conveniant, quae in Marci Actis eius martyrii tempori tribuuntur; nec Acta illa in iis, quae de hac re tradunt, videantur ullo modo esse reiicienda: cum denique difficultas, quae ex Paschae festo eo die recurrente deducitur, aut coniecturis quibusdam dissolvi possit, aut ipsa stante, nullus omnino annus reperitur, in quem nota illa conveniat: cum haec, inquam,

---

(1) Vide supr. n. IV. — (2) LL. cc. — (3) Levit. XXIII. v. 10. 12. — (4) Vide Bened. XIV. de Fest. Christi cap. IX. et auct. ibi citatos. — (5) Ad diem XXV. Aprilis.

ita se habeant, nullo modo a communi sententia esse recedendum videtur, quae Marcum ab Ethnicis captum statuit anno Christi LXII. die Aprilis XXIV. Pharmuthi XXIX. occisum vero postridie, Aegyptiis serapiaca celebrantibus; ut eo ipso die deinde Alexandria Marcum suum inter caelites receptum veneraretur, quo antea Serapim sub bovis speciem colere consueverat: quo fortasse respiciens Paulinus nolanus (1):

Marcus, Alexandria, inquit, *tibi datus, ut, Bove pulso*
Cum Iove, nec pecudes Aegyptus in Apide demens
. . . . . coleret.

CAPUT XXI.

MARTYRIUM S. MARCI

I. *In narratione martyrii S. Marci antiqua monumenta iis, quae in Actis referuntur, universa consentiunt.* II. *Marcus Ecclesiam aegyptiam statuit, quae miro modo augetur. In eum Ethnicorum odium et invidia. Migrat in Pentapolin. Revertitur Alexandriam et in Bucoliis moratur.* III. *Nova in Marcum Ethnicorum odia et simultates.* IV. *Marcum sacris operantem Ethnici invadunt, et per saxa et scopulos raptant. Truditur deinde in carcerem. Marci in carcere visio.* V. *Marci martyrium et mors. Corpus igni iniectum repentinus imber servat. Christiani in Angelio sepeliunt. Quae fuerit Marci facies et forma.*

I. Sed iam martyrii anno constituto, breviter et de martyrio ipso dicamus. Sequemur vero Acta ipsa, quae licet fortasse recentiori manu in nonnullis interpolata, in iis tamen, quae de praeclaro fortissimi athletae certamine referunt, sincera sunt atque integra; utpote quibus omnium fere Ecclesiarum libri et monumenta consentiunt. Nam quae in illis leguntur, eadem et in Graecorum Menaeis (2), et in Menologio Basilii (3), et apud Simonem metaphrasten (4), et apud Procopium chartophylacem (5), et apud Nicetam paphlagonem (6), et apud graecos hagiographos universos reperire est; eadem occurrunt apud Bedam (7), Adonem (8), Rabanum (9), Elmacinum (10), Rahebum (11), Severum (12), Eutychium (13), Petrum Damiani (14), ceterosque tam latinos quam orientales: eadem in Martyrologiis armenio (15), romano (16), aethiopico (17), ut nihil dicam

(1) Poem. XIX. v. 84. — (2) Ad diem XXV. April. — (3) Ad eandem diem. — (4) Apud Surium XXV. April. — (5) Elog. in Marc. — (6) Apud Combefis. XXV. April. — (7) In Martyrolog. XXV. April. — (8) In libello de Festiv. Sanct. — (9) Martyr. XXV. April. — (10) Apud Renaud. Hist. Patriarch. Alex. n. I. — (11) Hist. Patriarch. Alexandr. in praefat. — (12) Apud Renaud. l. c. — (13) Orig. Eccl. Alexandr. etc. pag. 38. — (14) Serm. XIV. XV. XVI. — (15) Die XXV. Aprilis. — (16) Eadem die. — (17) Apud Sollerium Hist. Patriarch. Alex. n. 36.

de chronico alexandrino (1), de falso, sed antiquo tamen, Dorotheo (2), de Actis apud nos mss., de Paulino aquileiensi (3), denique de antiquissimis marcianae basilicae picturis, saeculo, ut videtur, XII. elaboratis. Haec omnia eandem prorsus rei gestae seriem exhibent, idem certamen: modo brevius et pressius, modo latius descriptum ac luculentius, prout scriptoris ingenium et susceptae narrationis indoles ferre videbatur: una tamen apud omnes rei summa: eadem rem ipsam ambiunt atque circumstant, eadem paene dixerim verba atque sententiae. Quare cum tanta omnium sit paene Ecclesiarum in re narranda consensio, profecto imprudenter faceret atque imperite quicumqueActa illa reiiceret, praesertim cum inter testes, quos modo produximus, Dorotheus, quicumque demum ille sit, VI. ineunte Christi saeculo floruerit (4), auctor chronici alexandrini saeculo VII. (5), Beda demum initio saeculi octavi: cuius postremi in ecclesiasticis monumentis investigandis sollertia atque diligentia quae fuerit, neminem latet. Porro ita fere rem gestam narrant.

II. Marcus, cum alexandrinam Ecclesiam constituisset (6), ac Romam deinde profectus ibidem Evangelium scripsisset, in Aegyptum regreditur, disseminandoque Dei verbo, atque Ecclesiae illi constituendae amplificandaeque, eam, quae Apostolum decebat, sollicitudinem intendit. Quot ille et quantos laborum suorum apostolicaeque praedicationis fructus retulerit, quomodo Ecclesiam illam optimis institutis atque disciplinis communierit, imo monasticae quoque vitae fundamenta iecerit, cum alias (7) exposuimus, nihil attinet in praesentia commemorare. Sed cum, aucto miris modis credentium numero, in ingentem multitudinem Ecclesia illa excrevisset, neque ex Iudaeis tantum, sed etiam ex gentibus, quorum plurimos a nefario simulacrorum cultu revocaverat; mirum quantam Ethnicorum invidiam, quot in se ipsorum odia S. Apostolus conciliaverit. Hinc dictitare omnes, Galilaeum nescio quem advenisse, qui Deorum suorum cultum everteret, homines a sacrificiis prohiberet, ac universas aegyptiae gentis caeremonias religionesque misceret atque disturbaret: insidias etiam illi struere, et ad mortem quaerere, idque Diis gratissimum fore atque acceptissimum, existimare. Haec ubi animadvertit Marcus, tempori cedendum ratus, ac divino illi praecepto obtemperandum (8), quo iubemur, ubi persecuti hostes nos fuerint ex una, in alteram civitatem transmigrare, in Pentapolim, quam ipse antea (9) evangelica luce perfuderat, secessit; Anniano interim Alexandriae relicto, qui, dum ipse abesset, carissimae sibi Ecclesiae curam gereret, atque episcopatum illum vicaria sollicitudine administraret. Eo vero cum venisset Marcus, universas illius provinciae Ecclesias invisit; fideles, quorum numerus auctus vehementer fuerat, in Christi fide optimis institutis exemplisque roboravit; actoque ibidem biennio, Alexandriam reversus est. Cum vero Ecclesiam illam Anniani curis auctam ipsam quoque atque amplificatam reperisset, incredibili gaudio affectus est, ita ut statim in genua procumberet, meritasque pro tanto beneficio Ale-

(1) Ad Olympiad. CXX. anno IV. — (2) Apud. Millium inter Evang. S. Marci. — (3) Hymn. in S. Marcum. — (4) Vide Cave ad ann. Christi. 303. — (5) Ibidem ad ann. 630. — (6) Supr. cap. XVII. n. III. et seqq. — (7) Ibid. et cap. XVIII. — (8) Matth. X. v. 23. — (9) Supr. cap. XVI. n. II.

xandrinis collato, auctaque christianae plebis multitudine omnipotenti Deo grates persolveret. Porro fideles locum quendam sibi ad orandum atque sacrificandum elegerant, qui τοῦ Βουκόλου sive *Bubulci* vocabatur. Situs erat prope mare, illique rupes quaedam praeruptae atque confragrosae imminebant. Nominis causam incompertam habeo, utpote quam antiquorum nemo prodiderit. *Bucolia* passim scriptores (1) vocant; Epiphanius vero Βαυκάλεως *Baucalis* (2), ubi Ecclesia processu temporis erecta est, cui Arius haeresiarca aliquando praefuit; ac, Hieronymo teste (3), locus erat fere in insula, in quo *secreti asperique montes, quos vix reptando manibus genubusque quis posset ascendere.* Ex quibus patet extra civitatem fuisse, sic appellatum fortasse quod a bubulcis habitaretur. Certe gentem asperam atque silvestrem fuisse, quae loca illa incoleret, non solus Hieronymus (4), sed et Heliodorus (5) testatur in Aethiopicis; ibique aegyptios praedones nescio quam reipublicae speciem constituisse ait: quod in ludicro quamvis opere dictum sit, haud tamen a veritate abhorret omnino. Ceterum haud procul a civitate fuisse putaverim, nec valde ab eo dissitum Serapis templum, cum deum illum in civitatem recipere antiqua superstitione Aegyptii prohiberentur (6). Eo itaque loci Marcus etiam morari constituit, commissumque sibi gregem erudire.

III. Verum S. Evangelistae adventus Ethnicos, qui biennio ante illi excidium moliti fuerant, diu latere non potuit. Refert Rahebus, illum in Aegyptum reversum romanum iter anno post Christi Ascensionem XXXV. hoc est aerae christianae LXVI. iterum arripuisse, adstitisse martyrio sanctorum Christi apostolorum Petri et Pauli, tum, iisdem in caelum receptis, Alexandriam esse reversum. Verum hoc, quod nullo auctore solus inter historicos refert, ipsae temporum rationes evertunt: neque probabile mihi est, Marcum, postquam a Pentapoli rediit, amplius Alexandria discessisse: quamvis ille, ut dixi, non iam in ipsa civitate, sed in suburbanis atque adeo in *Bucoliis* moraretur. Itaque ubi illum iam rediisse Ethnici animadverterunt, veteris odii flammis incensi, iterum de morte ipsi inferenda consilia inire, latitantem quaerere, rabie atque livore torqueri, atque in conviviis et spectaculis ipsum magnis vocibus ad necem postulare. Animis iam per se accensis atque inflammatis novas veluti faces addebant tum ingentia prodigia ab apostolico viro continenter patrata, tum ingens ille simulacrorum contemptus, quem Christiani ore et habitu praeseferebant, iactatae etiam in profana illa deorum probra irrisiones atque dicteria, maxima denique ipsa christianae plebis frequentia, quam continenter magnis accessionibus augeri amplificarique animadvertebant; cum nunquam ab evangelica doctrina disseminanda cessaret.

IV. Ita igitur Ethnicorum animi in S. Evangelistam affecti cum essent, forte contigit, ut quo die ipsorum serapiaca erant celebranda, Marcus etiam, christiana

---

(1) Hierony. in vita S. Hilarion. n. 43. Auctor vitae S. Epiphan. apud Metaphr. n. 38. Heliodor. in Aethiopicis libr. II. Sever. apud Renaudot. in Hist. Patriarch. Alex. n. I. Martyr. Armen. — (2) Haer. LXIX. num. I. et II. — (3) In vita S. Hilarion. loc. cit — (4) Loc. cit. — (5) Lib. I. pag. 10. edit. Genev. ann. 1596. Ἐν δὴ τούτοις ὅσον Αἰγυπτίων λῃστρικὸν πολιτεύεται. — (6) Macrob. Saturnal. lib. I. cap. VII.

plebe congregata, sacrum in *Bucoliis* esset peracturus; sive, quod Acta tradere videntur, in illam ipsam serapiacorum festivitatem Christianorum Pascha eo anno incidisset, sive, quod nobis videtur, dominicus tantum dies. Mos erat Aegyptiis, ut diximus (1), serapiaca pridie eius diei sub vesperam exordiri; et iterum Christianis in ea regione mos erat, sabbato quolibet sacris sub vesperam operari. Quare quo tempore Ethnicorum turba, ut serapiaca instauraret, convenerat, Marcus quoque Ecclesiam in Bucoliis adierat, ut sanctum christianae religionis sacrificium immolaret. Id vero cum Ethnici comperissent, opportunitate utendum rati, qui in ipsum manus iniicerent, statim misere. Adveniunt illi, sanctissimumque antistitem ad aram stantem, sacrisque operantem, iniecto cervicibus laqueo, ab altari deturbant; tum humi stratum atque laqueo ipso extra Ecclesiam protractum, per loca sentibus saxisque aspera atque confragrosa immaniter raptant, ita ut laceratis vestibus membrisque discissis invicti martyris sanguine taboque passim cautes diffluerent, ac carnes ipsae divulsae acutisque saxis haerentes, frustillatim discerperentur. Lanienae addita irrisio, succlamantibus sicariis: Σύρωμεν τὸν βούβαλον ἐν τοῖς Βουκόλου: *Raptemus bubalum per Bubile* sive *per Bucolia:* cum ille interim gratias Christo Deo ageret, quod aliquid sibi pro eius nomine pati posse tribuisset. Interim, nocte irruente, in carcerem Evangelistam detrudunt, quid de illo demum agendum esset, ubi illuxisset, deliberaturi. At media nocte, dum custodes ad carceris ostium excubant, ingenti terraemotu carcer repente concutitur; ac sese Marco aperte videndum praebens angelus Dei, caelesti illum visione atque luce solatur. Nam et aeternae vitae libro nomen ipsius iam inscriptum fuisse, et eius gloriam nunquam esse abolendam testatur: spiritum eius corporeo carcere exsolutum angelos in caelum recepturos, corpus vero ipsum honoratissimum sepulcri locum habiturum. At Marcus caelestem illam speciem intuitus, auditoque divini nuntii oraculo, oculos manusque in caelum protendit, debitas Deo grates exsolvit, seque divinae clementiae atque pietati committit: cum iterum nova visione exhilaratus, non iam angelum, sed Christum ipsum astare sibi intuetur, ea ipsa corporis specie, eo vultu atque oris habitu, quo olim, dum inter mortales degeret, sese intuendum Apostolis exhibuisset: tum sese illis verbis affari: *Marce mi, Evangelista, pax tibi.* Cui ille: *Domine mi, Christe Iesu, gloria tibi.* Quas quidem mutuas Christi et Evangelistae voces referre placuit; cum et apud Venetos pervulgatissimae sint, et non in latinis tantum, sed in graecis etiam, armeniis et coptis Actis legantur.

V. Ubi vero illuxit, iterum Ethnici confertim ad Martyris carcerem conveniunt, eductumque e custodia, ac fune collo eius iniecta, rursus per aspera loca raptant, elatisque vocibus *trahite bubalum per Bubilia* passim vociferantur. Ille interim elata in Deum mente, ut egredientem animam clemens suscipiat, enixe rogat, ac demum dolore superante exanimatur. Tum vero Ethnici exanime corpus intuiti, collecta ingenti lignorum strue atque igne supposito, illud in rogum iniiciunt:

(1. Cap. praec. n. V.

sed cum ingens repente tempestas coorta esset, interque effusos imbres grandinemque magna fulminum vis caelum ingenti fragore concuteret, repentino etiam terrae motu aedificia nonnulla collabefacta multos mortales oppressissent, perterrefacti custodes ac dispalati fugam capessunt, sanctumque Martyris corpus semiustulatum relinquunt. Nec defuere qui tot illa portenta in risum verterent, ac Serapim (siquidem pluvius Deus habebatur) quo die sacra eius celebrabantur, hominem illum invisere voluisse, haud illepide cavillarentur. At Christiani sacrum illud corpus custodibus nudatum conspicati, illud furtim eripiunt, eoque deferunt, quo convenire orationis causa consueverant: qui locus in Bucoliis situs, ut diximus, haud multum inde aberat, ac processu temporis *ad Angelos* sive *Angelium* est appellatus. Tum, profusis Deo precibus, pro more gentis ac civitatis funus elatum (1), hoc est corpus unguentis, pro Aegyptiorum consuetudine, atque aromatibus conditum, ac in sepulcro in petra exciso depositum, qua parte ad occidentem solem alexandrina civitas patet. Atque haec ex Actis. Ceterum quod additur de eiusdem forma, atque oris totiusque corporis habitu, vix commemorarem, nisi haec in latinis et graecis et armeniis Actis reperissem; ut nihil de Graecorum Synaxariis dicam et sequioris aevi scriptoribus. Porro in graecis Actis (siquidem cetera fere graecis consentiunt) ita lego (2): *Fuit autem beatus Marcus naso oblongo, superciliis obductis*, sive *coeuntibus, pulcris oculis, recalvaster, triticeo colore, densa barba, celer, bono corporis habitu, aetate media, membris validus, plenus gratia Dei.* Attamen huiusmodi Graeculorum descriptionibus haud multum tribuo: praesertim cum assumentum esse aliunde adscitum, Actisque perperam intrusum ipsi admoneant Bollandiani; facileque intelligat, qui orationis et historiae seriem inepta hac lacinia interrumpi importune animadvertat. Antiquum est tamen; illudque ut plurimum secuti sunt artifices, qui media aetate marciani templi musiva concinnarunt.

---

(1) Acta graec. num. XI. Καὶ προσευχὰς ποιήσαντες ἐκήδευσαν αὐτὸν καθὼς ἔθος τῇ πόλει — (2) Ibid. n. 12. Ἦν δὲ τῇ ἰδέᾳ ὁ μακάριος Μάρκος μακρόρυγχος, συνοφρὺς, εὐόμματος, ἀναφάλαντος, σιτόχροος, βασυπώγων, ὀξὺς, εὐεκτικὸς, μεσήληξ, τὴν σχέσιν ἀσκητικὸς, πεπληρωμένος χάριτος Θεοῦ.

DE VITA ET LIPSANIS

S. MARCI EVANGELISTAE

LIBER SECUNDUS.

CAPUT I.

DE ALEXANDRINO S. MARCI SEPULCRO.

I. *Praefatio.* II. *Constat S. Marcum Alexandriae sepultum fuisse, et eiusdem sepulcrum fuisse notissimum. Eius rei testes proferuntur.* III. *Occurritur heterodoxis dicentibus: Marci corpus ab Ethnicis combustum fuisse.* IV. *Expenduntur loca ab adversariis allata. Orientales perperam a Dallaeo producti, qui nobis omnino favent.* V. *Marci sepulcrum in Angelio. Ecclesia ibidem erecta.* VI. *Affertur difficultas ex verbis Severi, Rahebi et Elmacini deducta. Severi absurda et errores.* VII. *Severi eiusdem narratio expensa. Quid in ea veri latere videatur.* VIII. *Sepulcri S. Marci vices usque ad annum Christi DCCCXXVIIII.*

I. In parte operis mei secunda liceat mihi lectorem longa fortasse commentatione defatigatum admonere, nunquam me, cum Marci actis illustrandis manum admovi, futurum existimasse, ut in tantam molem opus excresceret; praesertim cum, quae veteres de sanctissimo Evangelista memoriae tradidere, ea pauca admodum esse, ac si quae a nonnullis plenius fortasse et luculentius referebantur, ea ad fabulas ac commenta amandanda esse cognovissem. Verum ubi semel opus aggressus, antiquissimorum Patrum et historicorum monumenta excutere coepi, tum demum animadverti esse multa, quae nullo modo indicta praeteriri ab eo possent, qui se Marci acta diligenter illustraturum profiteretur; multa etiam, quae licet ab eruditissimis criticis inter fabulas ac obscurae aetatis figmenta haberentur, nihilominus et vera esse et certa constaret; quae tamen in tuto poni confirmarique non possent, nisi prius iniectae ab acutissimis hominibus dubitationes elevarentur. Accedebant monumenta duo Marci, ut ferebantur, antiquissima, atque doctorum virorum disputationibus celebratissima, apud Venetos servata, de quibus veneto scriptori et in Venetorum praesertim gratiam scribenti nullatenus tacendum erat; scilicet codex evangeliarius et cathedra, tum vexatissima illa apud criticos loca, de lingua qua Evangelium Marcus conscripsit, de missione aquileiensi, de Liturgia alexandrina, de origine Therapeutarum, aliaque huiusmodi; in quibus ut diutius immorarer non ipsarum

modo dignitas atque amplitudo, sed suspiciosum etiam nonnullorum hominum ingenium postulabat, qui dum in eo toti incumbere videntur, ut ecclesiasticam antiquitatem extollant, ita tamen universas antiquas historias receptasque ab Ecclesiis traditiones convellunt, ut id sibi ostendendum proposuisse credi possint: nihil, aut certe parum, in hodierna Ecclesia reperiri, quod ab ultima eius origine tuto repeti possit. Adde haereticos, quibus etiam nonnunquam occurrere necesse fuit; neque miraberis, hominem haec omnia pro sua virili pertractantem haud celeriter sese ex tot hisce labyrinthis expedire potuisse. Itaque libellum scribere aggressus, dum haec persequor, iustum volumen confeci. Utrum autem verum sim ubique assecutus, aliorum iudicium esto. Ego certe nihil, nisi quod verissimum esset, secutus sum; ac licet in patriae commodum scripserim, nihil tamen unquam huic meae in patriam caritati tribuendum existimavi. Quod et in altera, quam modo aggredior, operis parte faciendum decrevi. Licet enim scripturus de ea re sim, quae patriam hanc ipsam proxime attingit, semper tamen plus veritati quam patriae dandum esse reputavi. Ac illam quidem certis verisque laudibus ornare, optimi civis officium est maxime commendandum: at vera falsis intermiscere, certa incertis, et, quod adhuc deterius, nova commenta atque inaudita comminisci; id vero nec probum hominem decet, nec civem bene moratum, sed inepti est atque nugacissimi veteratoris. Itaque cum mihi modo de Marci Lipsanis agendum sit, ac qua ratione translata Venetias fuerint, ibique perpetuo cultu asservata: tum etiam ostendendum, ea ipsa esse, quae paucis ab hinc annis sub ara marcianae basilicae maxima reperta sunt; nihil dicam profecto, quod non aut veterum testimoniis aut certissimis rationum momentis firmetur; praesertim in ea quaestione, in qua mihi cum haereticis aliquando, aliquando vero cum morosissimis ex nostra communione hominibus agendum est. Quod ut melius praestare possim, ab ipsa sanctissimi Evangelistae morte exordium ducam, continentique ordine ad nostra usque tempora progressus, quae fata ac quasnam vices sacrae eius exuviae subierint, accuratissime patefaciam.

II. Ac Marci quidem corpus flammis, non sine prodigiis, a Christianis ereptum, Alexandriae εἰς τοὺς καλουμένους Ἀγγέλους *in loco qui vocabatur ad Angelos* conditum fuisse, sub fine libri prioris ex Actorum fide demonstravimus; quibus Actis cum scriptores satis multi, eosque inter nonnulli antiquissimi subscribant, vix ulla de hac re satis probabilis dubitandi causa afferri potest. Nam ut omittam Pseudo-Zachariam chrysopolitanum in monotessaro (1), quod tamen opus ex antiquorum laciniis consutum, non omnino spernendum est; ut omittam Pseudo-Dorotheum (2) saeculi VI. scriptorem (3); ut omittam Isidorum (4), Honorium augustudunensem (5), Petrum Damiani (6), acta S. Petri alexandrini (7), praefationem in acta translationis S. Marci (8), Severum ale-

(1) In praef. II. — (2) Apud Millium et Theophylactum in fronte Evangelii S. Marci. — (3) Vide Cave ad an. 303. — (4) De vita et morte SS. num. LXXXIV. — (5) De Luminar. — (6) Serm. XV. et XVI. — (7) Apud Bolland. ad diem XXV. April. — (8) Ibid.

xandrinum (1), Paullinum aquileiensem (2), aliosque (3) recentiores; Alexandriae sepultum testatur Hieronymus (4), licet nihil de martyrio S. Evangelistae commemoret; testatur Paullinus nolanus, qui de Apostolorum exuviis loquens (5):

> *Marcus*, inquit, *Alexandria, tibi datus, ut, Bove pulso*
> *Cum Iove, nec pecudes Aegyptus in Apide demens*
> *. . . . . coleret;*

testatur in Historia Lausiaca Palladius (6), ubi refert Philoromum presbyterum galatam *pervenisse usque ad Alexandriam, cum vovisset in martyrium venerandi athletae Marci;* testatur denique Beda presbyter, non modo in sincero Martyrologio (7) a Bollandianis edito (8), sed etiam in libello de *locis sanctis* (9), *quem de opusculis maiorum abbreviando composuit* (10). Nam de Alexandria loquens: *A parte*, inquit, *Aegypti urbem intrantibus, ad dextram occurrit Ecclesia, in qua beatus evangelista Marcus requiescit. Cuius corpus in orientali parte eiusdem Ecclesiae ante altare humatum est, memoria superposita de quadrato marmore facta.* Optime *orientalem partem* commemorat; siquidem altare in antiquis Ecclesiis ad orientalem partem poni consuevit (11), ut orantes fideles ad orientem converterentur. Et Procopius chartophylax in encomio sancti Marci a Possino edito (12), non modo aetate sua Marci sepulcrum Alexandriae fuisse diserte tradit, verum etiam apud Aegyptios in magno honore habitum innumeris miraculis claruisse. Eloquentissimi diaconi pulcherrimum locum placet ex Francisci Albani urbinatis versione proferre (13): *Videt*, inquit, *eius corpus in monumento positum, licet anima in supernis regionibus versetur; ac secum ipsa laetatur, illius sacrorum cinerum thesauro ditata. Circa eius sepulcrum festivis canticis ipsum compellat, et tamquam cum vivente aliquo, et in spiritu versante colloquitur, ac gratiis ibidem ab eo receptis perfruitur. Pro illis vero honoribus, quos Apostolo congruentes offert, maiora vicissim beneficia recipit. Cum enim ca-*

---

(1) Apud Renaud. Hist. Patriarch. Alex. num. XVII. pag. 59. — (2) Hymn. in S. Marcum. — (3) Martyrol. fere omnia. Ado in libello de festiv. ss., Venantius Fortun. Carm. lib. VIII. poem. VI. etc. — (4) De vir. illustr. cap. VIII. — (5) Poem. XIX. v. 84. — (6) Cap. CXIII. sive sect. XCVIII. — (7) Ad diem XXV. April. — (8) Ante tomum secundum Martii. — (9) Cap. XIX. — (10) Ita in titulo. — (11) Vide Clem. Alex. Strom. lib. VII. cap. 7. Tertull. Apolog. cap. XVI. ad Nation. lib. I. cap. XIII. contr. Valent. cap. III. Constit. Apost. lib. II. cap. LVII. Auct. Quaest. ad Orthod. inter op. S. Iustin. quaest. CXVIII. Basil. de Spir. Sanct. cap. XXVII. Damasc. de Fide Orth. lib. IV. cap. XII. etc. — (12) Init. Catenae in Marcum. — (13) Procop. circa finem. Ὁρᾷ τουτονὶ τῇ θήκῃ, εἰ καὶ τοῖς ἄνω περιπολεῖ, καὶ γάνυται πλουτοῦσα τὸν τῆς κόνεως θησαυρόν. Προσφωνεῖ τούτῳ τὰ ἐπιτάφια ἄσματα, καὶ ὡς ζῶντι προσδιαλέγεται, ὡς συνόντι τῷ πνεύματι προσλαλεῖ· καὶ τῶν ἐκεῖθεν χαρίτων κατατρυφᾷ· ὧ δ' ἐπὶ τὰς προσφόρους τῷ Ἀποστόλῳ δωροφοροῦσα τιμάς, τὰς μείζους χάριτας ἀνειδέχεται. Πειρασμῶν γὰρ ἐπικνέουσιν αὔραι, καὶ τὸν τάφον κυκλοῦσιν οἱ ἀστικοὶ, καὶ τῶν δεινῶν ἀπολύονται. Ἀπειλεῖ τούτοις βάρβαρος ὀφρὺς τὰ ἀνήκεστα· οἱ δὲ πρὸς τὸν ποιμενάρχην ἱκέται συῤῥέουσιν· ἐσμὸς παθῶν ἐνοχλεῖ καὶ παρὰ τοῦτον, ὡς ἰατρεῖον τὰς θεραπείας βλύζον καταφυγγάνουσι. Μᾶλλον δὲ ἡ σύμπασα διδάσκαλον, καὶ ἐπίκουρον ἐπιγραφομένη τὸν Μάρκον, τὴν αὐτοῦ προσκαλεῖται ἐν τοῖς συμπίπτουσιν ἀρωγήν, καὶ ταῖς ἐτησίαις ἑορταῖς, ὡς χρεία τοὺς ἐπαίνους καρποφοροῦσα, κομπάζει κροτοῦσα καὶ χορεύει πανηγυρίζουσα· τότε θεῖον αὐτοῦ Εὐαγγέλιον περιπτυσσομένη, ὡς πλάκας θεοχαράκτους ἐναγκαλίζεται. κ. τ. λ.

lamitatem flatus adversi spirant, tunc urbis incolae Marci sepulcrum circumdant, et illico a malis liberantur. Cum barbarorum furor gravissima mala minatur, ipsi ad pastorem supplices confluunt. Morborum copia cum eos perturbat, tunc ad ipsum, veluti ad medici officinam, e qua emanant remedia, confugiunt. Imo vero universa Aegyptus, magistrum et adiutorem sibi Marcum adscribens, in adversis omnibus, quae sibi contingunt, illius auxilium invocat, et annuo die eius festo laudum debitum ipsi persolvens, exultat, plaudit, ac celebri panegyri eius merita prosequitur; divinumque ipsius Evangelium, ut tabulas a Deo insculptas, complectitur. Huc usque Procopius, ex cuius verbis alexandrinum Marci sepulcrum extra omnem dubitationis aleam collocatur; cum ille non modo in ea urbe sancti martyris corpus asservatum tradat, sed miraculis etiam illustre fuisse, et magna totius Aegypti frequentia celebratissimum. Procopio coniungi potest Gregorius papa, qui in epistolis ad Eulogium alexandrinum (1) *benedictionem S. Marci evangelistae, sibi Romam ab illo transmissam,* identidem commemorat; ac quamvis *benedictionis* nomine (2) munus quodcumque possit intelligi, ex eo tamen quod adiicit *S. Marci,* videtur aliquid ex S. Marci reliquiis significari. Nam idem S. Gregorius Dinamio patricio crucem parvulam mittens, cui scobs ex Petri catenis et Laurentii craticula elimata inerat (3), *B. Petri apostoli benedictionem* appellat: et iterum in epistola quadam ad Eulogium eundem (4): *Praeterea,* inquit, *transmisimus crucem parvulam, in qua de catenis amatorum vestrorum sanctorum Petri et Pauli apostolorum inserta est benedictio.* Itaque aliquid ex S. Marci reliquiis misisse Gregorio Eulogius dicendus est (5); ac proinde Eulogii et Gregorii aetate B. Evangelistae sepulcrum Alexandriae extitisse. Itaque cum Paullinus saeculo Christi IV. floruerit, saeculo Christi V. Palladius, saeculo Christi VI. Gregorius, saeculo Christi VII. Procopius et Beda, et hi omnes aetate sua Marci corpus Alexandriae fuisse testentur, non est profecto cur ullo modo de hac re dubitemus. Nec quis secundi aut tertii saeculi testimonia requirat. Quamvis enim certum sit, sanctorum reliquias ab ipso Ecclesiae exordio summo semper honore habitas fuisse, vix tamen de loco, ubi alicuius corpus repositum fuerit, memoria extat; sive vetera monumenta temporum iniuria perierint, sive id consulto christiani scriptores dissimulaverint, ne in Ethnicorum notitiam pretiosissimi illi thesauri devenirent. His adde Adamnanum scotum abbatem hyensem, qui floruit initio saeculi octavi; tum saeculi noni scriptores Bernardum monachum et Agium presbyterum, quorum testimoniis conficitur, S. Evangelistae corpus perpetuo apud Alexandrinos et notum

---

(1) Libr. VI. epist. LX. lib. VII. ep. XL. alias XXXVII. lib. VIII. epist. XXIX. lib. X. ep. XXXIX. al. XLII.— (2) Vide Hieron. ep. LXXII. al. CXXXII. n. 1. Leon. IV. Pp. ep. II. cap. 3. Greg. Turon. Hist. Franc. lib. VIII. cap. VII. Fulgent. ep. V. n. XII. Petr. Damian. lib. II. ep. XIV. lib. V. ep. XIX. lib. VI. ep. XXXI. S. Bonif. Mart. epist. CIII. Theophylaciam apud eundem epist. CXLVI. Gemmulum ibid. epist. CXLVIII. CXLIX. Sulpit. Sever. Dial. II. n. XII. Avit. Vienn. epist. LXV. Greg. Pp. Dialog. lib. II. cap. VIII. et XXXI. tum lib. IV. epist. XXXI. al. XL. lib. V. epist. XXXIX. al. XXXVII. etc. — (3) Lib. III. epist. XXXIII. vide etiam epist. XLVIII. al. XLVII. lib. IV. epist. XXIV. al. XXV. — (4) Lib. XIII. epist. XLII. alias XLIX. — (5) Vide Macr. in Hierolex. voc. *Benedictio* et *Canola.*

et in honore fuisse, quousque demum a Venetis, ut dicemus, sublatum est, et in urbem nostram translatum. Et Adamnanus (1) quidem scribens de locis sanctis (2), prout ex Arculpho episcopo audierat, qui per ea tempora Palaestinam et Aegyptum obierat, ita habet: *De parte Aegypti adventantibus, et urbem intrantibus alexandrinam, ab aquilonari propinquo latere occurrit grandis structurae Ecclesia, in qua Marcus evangelista in terra humatus iacet; cuius sepulcrum ante altare in orientali eiusdem quadrangulae loco Ecclesiae, memoria superposita marmoreis lapidibus constructa, monstratur.* Haec vero mirum quantum cum iis conveniant, quae eodem fere tempore et a Beda tradita animadvertimus. Bernardi et Agii loca inferius adducemus.

III. Quae cum ita se habeant, mirari satis non possum nonnullorum hominum ex heterodoxorum schola impudentiam (3), qui obscuros nescio quos auctores secuti, eorumque non apertis verbis sed silentio soli fidentes, Marci corpus ita ab Ethnicis crematum fuisse volunt, ut ipso in cinerem ac favillas soluto, nullum omnino ipsius reliquium, quod christiani sepulcro conderent, relinqueretur. Proferunt autem chronicon alexandrinum, Eutychium et Dorotheum: qui tamen haud ipsum omnino in cinerem dissolutum tradunt, (quamvis et cinis condi potuisset) sed tantum a paganis combustum: de ipsius vero sepulcro silent omnino. At quae haec sapientia est, ex trium auctorum, nec omnino veracissimorum, silentio quicquam colligere, quod apertis tot aliorum scriptorum testimoniis opponatur? an Eutychii, chronici alexandrini et Dorothei silentium, Hieronymi et Isidori, Palladii, Paullini nolani narrationem evertet? quibus etiam rem aperte affirmantibus nihil omnino adversus tantorum Patrum auctoritatem crederemus, ii silentio suo eorundem fidem labefactare umquam poterunt? Quid quod Hieronymo perpetua Aegyptiorum traditio suffragatur? quid quod Arculphus sepulcrum illud vidisse se, ac veneratum fuisse apud Adamnanum profitetur? Et ne recens illud existimes, ac Aegyptiorum fraude excitatum, Palladius, ut vidimus, qui monasticam vitam Alexandriae professus fuerat (4), ac in Aegypto aliquot annos transegerat, sepulcrum illud certe a se inspectum commemorat: imo ad ipsum ab extrema Galatia Philoromum presbyterum, voti solvendi causa, advenisse testatur. Quam illustre igitur vel ipso saeculo Ecclesiae quarto sepulcrum illud, quam notum toto orbe, ad quod peregrini a remotissimis Asiae et Europae partibus orationis causa adventarent? An fraudi subiectum corpus illud (quae vetus est haereticorum quaerela) ante Palladii et Hieronymi tempora dictitabunt? At non ita de aetate illa cordati viri; imo non ita de illa heterodoxi ipsi sentiunt; qui ad ipsam veluti ad felicissimum Ecclesiae tempus continenter solent provocare. Ecquis itaque, modo ne insaniat, ex Dorothei et Eutychii silentio, combustum omnino Marcum, tot ac tantis veterum testimoniis reclamantibus, unquam deducet? Habemus paulo

---

(1) Apud Mabill. Acta SS. Ordin. S. Bened. saec. III. part. 2. — (2) Lib. II. num. XXX. — (3) Dallaeus apud Tentzel. in notis ad Hieron. de viris illustr. cap. VIII. Selden. in Eutych. Orig. Eccl. Alexandrin. etc. — (4) Vide Cave ad ann. CCCCI.

post concessam Ecclesiae a Constantino aug. pacem, Hieronymum et Palladium; habemus deinde quolibet fere saeculo usque ad Venetorum adventum, testes luculentissimos, sese invicem excipientes: quid praeterea efflagitamus? an traditionem, imo historiam hanc, tam constantem, tam certam, ab oculatis testibus firmatam, Dorotheus aliquis aut Eutychius convellent silentio suo?

IV. Verum, quod etiam in civilibus causis fieri consuevit, testes ipsos interrogemus, quaeramus de ipsorum fide, ac quantum tribuendum ipsis sit breviter videamus. Proferunt Eutychium (1); at quo ille saeculo tandem floruit? decimo: cum nempe Marci corpus a Venetis sublatum, iam non amplius Alexandriae servaretur; et iam a Palladii et Hieronymi aetate sex fere saecula interfluxissent. Proferunt Eutychium, fabulatorem nugacissimum (2), cuius nomen ubi primum litteratae Europae auditum est, non aliunde innotuit nisi ex putidissima fabella a Seldeno vulgata, de ordinatione patriarchae alexandrini per presbyteros facta, quam et nos superius refutavimus (3): proferunt denique Eutychium, adversus quem, vix annis viginti ab eius morte elapsis, Severus aschmoninensis insurrexit (4), ac antiquitatis et copticarum rerum imperitissimum ostendit: denique Eutychium proferunt non negantem, sed silentem. Porro utrum Eutychius is sit, ex cuius silentio confici quicquam possit, viderint eruditi. Eutychio addunt chronicon alexandrinum, sive paschale (5), cui quae fides in hac re habenda sit, vel ex eo patet, quod Marci mortem in annum Traiani VII. Christi vero CIV. transfert, quod cum omnibus chronologicis rationibus pugnat, ut iam superius ostensum est (6). Quod et Dorotheus peccat, qui hunc ipsum annum commemorat, et Eutychius, qui plus aequo marciani martyrii tempora retrahens (7), annum Neronis I. Christi LIV. comminiscitur: quae omnia imperitissimorum historicorum commenta sunt. Quid autem habet chronicon? Audi (8): *Sub hoc ipso Traiano Marcus evangelista et episcopus alexandrinus, iniecto laqueo, et a loco, cui nomen Bucoliis, ad locum qui vocatur ad Angelos tractus, ibidem prima die Pharmuthi combustus, martyrium fecit.* Mitto *primum Pharmuthi diem* loco *postremi,* in quo universi conveniunt (9), martyrio assignatum: quid tamen in his verbis reperire est, quod aut sacri corporis reliquias a Christianis sepultas, aut repentinum imbrem caelo delapsum, ac extinctum ignem eo prodigio inficietur? Ad Dorotheum vero quod attinet, quamvis multiplici ratione eius fidem infirmare possem, auctoris nempe, de cuius *νοθεία* nemo nostra aetate iam dubitat, unum tantum animadverto. Triplex apud me Dorothei extat editio. Latina una, Bibliothecae Patrum Coloniensis tomo tertio inserta, altera graeca apud Guillelmum Cave ad annum 303., tertia et ipsa graeca in appendice chro-

---

(1) Origin. pag. 38. edit. Londin. anni 1642. — (2) Vide Renaud. praefat. in Hist. Patriarch. Alexandr. Cave ad an. 933. in Eutychio etc. — (3) Supr. part. I. cap. XVII. n. V. — (4) Vide Cave ad ann. 978. in Severo. Renaud. loc. cit. — (5) Ad Olymp. CCXX. anno IV. — (6) Supr. part. I. cap. XX. n. 2. — (7) Supr. loc cit. — (8) Chr. Alex. loc. cit. Ἐπὶ τούτου τοῦ Τραϊανοῦ καὶ Μάρκος ὁ Εὐαγγελιστής, καὶ Ἐπίσκοπος Ἀλεξανδρείας γενόμενος, κάλων λαβών, καὶ συρεὶς ἀπὸ τῶν καλουμένων βουκωλίων, ἕως τῶν λεγομένων Ἀγγέλων· ἐκεῖσε πυρὶ κατεκαύθη, Φαρμουθὶ πρώτῃ, καὶ οὕτως ἐμαρτύρησεν. — (9) Supr. lib. I. cap. XX. n. 4.

nici paschalis a Dufresnio vulgati. Quin immo eiusdem Dorothei de S. Marco fragmentum graece vulgavit Millius in fronte Evangelii S. Marci et ante commentaria Theophylacti in idem Evangelium; editum est Venetiis ex marcianae bibliothecae membranis. At quot exempla, tot fere lectiones. Apud Cave de S. Marco ne verbum quidem, nisi quod post praefatiunculam ad edita Dorothei exempla (graeca scilicet) remittit, ubi Marci quidem nomen occurrit et alexandrina missio, nec praeterea quicquam: quod omnino in altera illa editione habetur, quod chronico paschali adiecta est. At latinum exemplar, et praemissa Marci Evangelio apud Millium et Theophylactum fragmenta *combustum ad Angelos et apud Buculum sepultum* diserte tradunt mense φαρμουθίλιως *Pharmuthileos;* ita ut Dorothei auctoritas aut nulli parti omnino, aut nostrae certe tantum suffragetur. Quamquam quid laborandum de Dorotheo commentitio auctore atque reiectaneo, qui dum inter LXX. Christi discipulos eos omnes adnumerat, quorum nomina in epistolis S. Pauli occurrunt, inter alios *Caesarem* (1) recenset, cuius meminit Apostolus in epistola ad Philippenses (2), quem Neronem fuisse omnes fatentur? En quibus auctoribus fidant nonnunquam homines, alioquin eruditissimi, romanae Ecclesiae traditiones oppugnaturi. Opponit Dallaeus (3) orientalium omnium scriptorum de Marci reliquiis silentium; at quosnam orientalium nomine intelligat, prorsus nescio. Certe orientalis Severus aschmoninensis (4), qui, S. Marci Ecclesia igne a Moslemis iniecto conflagrante, sacri corporis reliquias non sine prodigio servatas refert; deinde a Rumaeis, hoc est Latinis, Venetias translatas: certe orientalis Abulbircatus (5), qui antequam Veneti Marci corpus Venetias deferrent, *sepultum illud in Ecclesia orientali ad maris littus fuisse, et ibidem per annos multos quievisse testatur:* orientalis certe Ebnassalus, qui tradit (6), in ordinatione patriarchae alexandrini consuevisse olim S. Marci caput in eius manus poni, ut ipsum oscularetur: orientalis certe auctor *Liturgiae copticae de ordinatione patriarchae alexandrini*, qui inter ceteros eius ritus hunc etiam (7) servandum praescribit: orientalis denique, quamvis graece scribat, Epiphanius monachus hagiopolita, sive hierosolymitanus, qui de Alexandria ita loquitur (8): *Et ad ipsius* (Damiathae) *occasum quattuor dierum itinere distat urbs Alexandria. Ibi quiescit S. Marcus apostolus et evangelista, et magnus Athanasius etc.* Adde Armeniorum (nam et Armenii orientales, et commerciorum, quae toto Oriente exercent, causa, ceteris fortasse omnibus orientalium rerum peritiores) adde, inquam, Armeniorum Legendarium, cuius insignem locum proferam capite sequenti, ubi inter cetera habetur (9): *Fratres venientes eduxerunt integrum corpus, et condiderunt in petra excisa:* adde etiam Armeniorum Martyrologium (10), ubi haec ipsa legere est: ac, quo tandem re-

---

(1) Num. LV. — (2) Philip. IV. v. 22. — (3) De Obiect. Cult. Relig. lib. IV. cap. XXII. — (4) Apud Renaud. Hist. Patriarch. Alexandr. n. XXXVIII. LXIV. LXVI. LXXV. etc. — (5) In Canone Chronolog. et apud Renaud. lib. citato n. LXXV. — (6) Apud Renaud. Dissert. de Patr. Alex. n. LXXXII. — (7) Renaud. Liturg. Orient. tom. II. pag. 485. — (8) Inter Auctores edit. ab Allatio in Symmictis: Καὶ πρὸς δύσιν αὐτοῦ ἡμερῶν τεσσάρων ἐστὶν ἡ πόλις Ἀλεξάνδρεια· ἔνθα κατάκειται ὁ ἅγιος Μάρκος ὁ Ἀπόστολος καὶ Εὐαγγελιστής, καὶ Ἀθανάσιος ὁ μέγας, κ. τ. λ. — (9) Ad diem XXV. Apr. — (10) Ad eundem diem.

cidat illud adeo a Dallaeo iactatum orientalium scriptorum silentium, animadverte. Qua in re illud diligenter perpendas velim, Severum, Liturgiam copticam, Epiphanium hagiopolitam, et Legendarium armenium esse Eutychio longe antiquiores; ac proinde multo pluris ipsorum auctoritatem, quam Eutychii faciendam esse: imo non Eutychii, sed eutychiani silentii, quod nobis magni argumenti loco ab adversariis obiicitur.

V. Unum superest, quod fortasse negotium aliquod facessere posset in hac re; multiplex scilicet de Ecclesia, ubi Marci corpus conditum erat, apud Orientales traditio: Marcum *in Angelio,* sive in loco qui dicebatur *ad Angelos,* sepultum, omnes (1) tradunt, uno excepto Pseudo-Dorotheo (2), qui *in Bucoliis* conditum dicit; cui tamen, ceteris omnibus contradicentibus, haud ego certe subscripserim; praesertim cum fieri potuerit, ut cum ille scripsisset, *combustum in Buculo, et sepultum ad Angelos,* librarius, mutatis ex oscitantia vicibus, posuerit, *combustum ad Angelos, et sepultum in Buculo.* Utcumque tamen se habeat res, certum est, non alibi quam in *Angelio* eius sepulcrum fuisse: non iam quod hoc nomen Marci aetate esset loco; sed quod ita deinde fuerit appellatus. Porro Ecclesiam ibi Christianorum erectam fuisse processu temporis, nemo dubitabit, qui probe tenuerit, maiores nostros, ubi primum extruendorum templorum facultas illis facta est, non alibi ut plurimum illa aedificare consuevisse, nisi ubi triumphales sanctorum martyrum exuviae conditae essent; quod cum omnibus est notissimum, tum multis antiquorum testimoniis productis confirmat vir non purpura tantum romana, sed pietate etiam et doctrina eminentissimus, Iohannes Bona (3). Id vero si unquam alibi, certe in *Angelio*, ubi S. Marci corpus conditum fuerat, Alexandrinos praestitisse non dubitaverim; utpote qui S. Evangelistam veluti Christi apostolum, ac martyrem praeclarissimum, suaeque Ecclesiae auctorem et parentem venerarentur. Certe Ecclesiam super Marci corpus vel ante ipsa Constantini tempora aedificatam innuere videntur non modo Acta S. Petri alexandrini, cuius partem bollandiani socii edidere (4), sed ipsius etiam latina Marci Acta ab iisdem vulgata (5), quibus et graeca respondent: quod non ita dico, perinde ac si omnino Actis illis fidendum existimem, quae in multis interpolata esse sentio; sed ut inde constet, ipsos etiam eorum Actorum sive auctores sive interpolatores idipsum existimasse. At quod rem extra omnem dubitationem collocat, Palladii auctoritas est, a nobis modo relata (6), ubi *martyrium S. Marci* memoratur, quo nomine Ecclesia super S. Evangelistae corpus aedificata profecto innuitur: siquidem non alio sensu *martyrii* vocem usurpari ecclesiastici scriptores passim (7) testantur. Ac re quidem vera extra omnem fidem esset, sepulcrum illud, ad quod ex tam remotis ac dissitis orbis terrarum regionibus peregrini voti causa adventabant, ita ab Aegyptiis neglectum fuisse, ut nullius templi ambitu claude-

---

(1) Supr. part. I. cap. XXI. n. 5. — (2) Supr. n. 4. — (3) De Reb. Liturg. lib. I. cap. XIX. n. V. — (4) Ad diem XXV. April. — (5) Ad eundem diem. — (6) Supr. n. II. — (7) Isidor. Etym. lib. XV. cap. IX. Walaphrid. de Reb. Eccl. cap. VII. Vid. Du-Cang. ad hanc vocem.

retur. Quod si Epiphanius (1), quo loco alexandrinae urbis Ecclesias recenset, *Angelii* non meminit, factum id vel quod Ecclesia illa tunc temporis extra urbis moenia esset, vel quod nondum hoc nomine appellaretur, vel quia non omnes, imo nec potiores enumerat, sed eas tantum, quibus presbyteri illi praefecti erant, de quibus in Arii causa dicendum fuit; quo fit ut Κυριακὸν *Kyriacum* ipsum praetereat, quod ex certissimo Athanasii testimonio (2) constat inter praecipuas fuisse adnumeratam.

VI. Enimvero huic nostrae sententiae repugnare videtur, quod refert in Historia Patriarcharum Alexandrinorum Severus (3). Siquidem narrat, cum Coptitae sive Iacobitae Paullum quendam ab Iustiniano imp. missum loco Theodosii, cui alexandrinum patriarchatum abrogaverat, recipere noluissent, nec concilio chalcedonensi subscribere, sed Theodosio ipsi in exilio degenti communicarent, utpote qui eadem haeresi infectus esset, Iustinianum ipsum iussisse, ut eorum *Ecclesiae omnes clauderentur, sigilloque fores obsignarentur, collocatis etiam custodiis, ut nemo ad illas posset accedere. Inde ingens*, inquit, *tristitia per totam urbem, cum Iacobitis ingredi Ecclesias non liceret: adeo ut per annum integrum permanserint absque Eucharistia; neque locum habebant ubi ad orationem convenirent, aut Baptismum acciperent. Interea venerunt a Theodosio scriptae ex loco exilii litterae, quibus eos consolabatur, hortabaturque tum ad ferendam persecutionem, tum ad fidem constanter retinendam. Cum vero tumultus inter eos invalesceret, congregati sacerdotes cum laicorum praecipuis consilium ceperunt de Ecclesia aedificanda. Igitur novam Ecclesiam struxerunt in latere urbis occidentali, loco qui Sōtari dicitur, alio nomine appellatur Angelium. Alii quoque priorum exemplo alteram nomine SS. Cosmae et Damiani aedificaverunt ad orientem Hippodromi et ad orientem Phari, quae absoluta est anno Diocletiani CCXLVIII. Christi DCXXXII.* Eadem refert ex Severo Elmacinus (4); atque in eundem aerae diocletianeae annum CCXLVIII. duarum illarum Ecclesiarum aedificationem coniicit etiam Rahebus (5). In eo tamen falsi, nisi librarii error obrepserit, tam ipse quam Severus, quod hic quidem annum Diocletiani CCXLVIII. cum anno Christi DCXXXII. coniungit; ille post annum DLIX. transfert, quando annus ille cum anno Christi DXXX. aut DXXXI. componi debuerit. Addunt Timotheus constantinopolitanus (6) et Nicephorus (7), ex hoc ipso *Angelii* loco, quo convenire solebant, haereticos illos *Angelitas* fuisse nuncupatos, quemadmodum etiam ex altera illa Ecclesia ab ipsis aedificata *Damianitae* dicti sunt; quamvis hoc nomen a *Damiano* alexandrino, Iacobitarum patriarcha, Renaudotius (8) adsciscere videatur. Porro si quae hic a Severo, Elmacino et Rahebo afferuntur, vera sunt, potest profecto de marcianis lipsanis dubium haud omnino contemnendum suboriri. Nam si Ecclesiae omnes Iustiniani iussu Iacobitis ablatae sunt, profecto illa ante alias auferri debuit, qua Marci corpus asservabatur; vix enim quidquam erat, de quo magis Melchitae

(1) Haeres. LXIX. n. 2. — (2) Apolog. ad Constant. n. XVI. — (3) Apud Renaud. n. XXXIII. — (4) Apud Renaud. loc. cit. — (5) Num. XXXIII. in Theodos. — (6) De Recept. Haeretic. p. 412. — (7) Hist. Eccl. lib. XVIII. cap. XLIX. — (8) Hist. Patriarch. Alex. n. XXXV.

sive Orthodoxi, qui chalcedonensi synodo adhaerebant, solliciti esse deberent. Itaque non illud profecto in *Angelio* erat, sed alibi prorsus; nam si in *Angelio* fuisset, nunquam Ecclesiam illam in haereticorum potestate permanere Melchitae sivissent. Praeterea si tunc tantum *Angelium* conditum est, ubi ante illud tempus erat Marci corpus? quomodo repente corpus illud in *Angelio* repertum est? aut quomodo in *Angelio* conditum tradunt Acta veteresque scriptores, si nonnisi saeculo VI. iam adulto Ecclesia illa aedificata? Haec certe non levem aut fraudis aut mendacii suspicionem iniicere posse videntur, quam profecto amovere partium nostrarum omnino esse existimamus. Id autem nullo negotio praestabimus, si ostenderimus, plura esse in hac ipsa Severi narratione, quae rectae rationi omnino repugnent, plura etiam in quibus historicus sibi ipse adversatur, totamque illam de duabus basilicis a Iacobitis aedificatis narrationem aut ad fabulas esse amandandam, aut ita mendaciis esse refertam, ut sin minus veri, saltem certi ex illa extundi possit prorsus nihil. Ac primum quaeram ab Severo, cum ipse iam ante tradiderit (1), Marci corpus in *Angelio* sepultum fuisse, qui factum fuerit, ut de basilica circa ipsum aedificanda nunquam ante ea tempora Aegyptii cogitaverint; praesertim cum sepulcrum illud, Palladio teste, non modo tota Aegypto, sed toto qua late patet mundo celeberrimum esset; advenarumque turba, qui ad ipsum voti causa ventitabant, frequentaretur? quaeram iterum qui factum sit, ut Iacobitae, quibus Ecclesias universas ademerat Iustinianus, locum tamen illum retinerent; omnium quotquot erant Alexandriae sanctissimum atque religiosissimum? Quae autem tanta Iacobitarum audacia confingi potest, ut anno a Iustinianei decreti promulgatione vix elapso, duas tamen ipsi in celeberrimis urbis locis Ecclesias a fundamentis extruerent, cum interim ipsorum patriarcha Theodosius, Iustiniani iram declinans, urbe dilapsus latibula quaereret, ac in Thebaide atque alibi, monachum mentitus, errabundus latitaret? Aut quae tanta Orthodoxorum non dicam patientia, sed inertia fuit atque stupor, ut cum haereticis universas basilicas Iustiniani lege ademissent, eos paullo post in urbe ipsa Ecclesias illas extruere permitterent? Sed et illud a Severo scire velim, utrum, cum Iacobitae *Angelio* aedificando manus admovere, Marci corpus ibidem conditum esset, nec ne? Nam si iam ibi fuisse dicit, nunquam persuadere mihi poterit, Catholicos locum illum in ipsorum potestatem transire tam facile pati potuisse, quos veluti haereticos atque sacrilegos execrabantur: si vero alibi Marci lipsana quievisse putat, praeterquam quod et universae historiae et sibi ipsi repugnat, ostendat necesse est, quomodo paullo post in Ecclesiam illam transierint, aut quomodo ea sibi auferri Catholici siverint, apud quos servabantur. Quid quod Severus sibi deinde iterum aperte adversatur? Nam sub Beniamino patriarcha (2) referens, quomodo a Muslemanis Alexandria capta fuerit, Ecclesiaeque urbis incensae, inter ceteras *antiquam S. Marci Ecclesiam* recenset, h. e. *Angelium, in qua*, inquit, *corpus eius repositum erat, eo loco ubi Petrus martyr, antequam martyrium compleret, benedictionis gratia preces ultimas fuderat*. Quod

(1) Apud Renaud. Hist. Patriarch. Alex. n. I. — (2) Num. XXXVIII.

et in Petri ipsius vita retulerat (1). Quomodo igitur Ecclesia illa sub Iustiniano fuit aedificata, si iam illa ipso Petri martyris tempore, hoc est, tertio Christi saeculo stabat? Aut quomodo *antiqua* anno Christi DCXXXV. quo anno Alexandria a Mahumedanis capta est, Ecclesia illa dici potuit, quae nonnisi Christi anno DXXXI. condi coepta erat, ac proinde vix integrum saeculum perduraverat? Nec illud praetermittendum, quod de Cosma orthodoxo Alexandriae patriarcha refert ex Eutychio Elmacinus (2). Is enim cum ad Hischamum calipham profectus esset, ut Ecclesias a Iacobitis occupatas eius auctoritate Melchitis sive Orthodoxis restituerentur (siquidem quando Moslemi Alexandriam expugnaverant, Melchitis fere omnibus fuga dilapsis, desertas ab illis Ecclesias Iacobitae (3) invaserant) idque Hischamus libenter annuisset, in Aegyptum reverso universae Ecclesiae, quae ad Melchitas olim pertinuerant, redditae sunt, interque illas *Angelium*, quam perperam *Evangelium* Elmacinus appellat, deceptus arabica nominis similitudine; siquidem Arabes Evangelium vocant الانجيل *Alangil*, vel dempto articulo, انجيل *Angil*. Hoc vero admisso, quomodo Ecclesia illa a Iacobitis extructa fuit, si eam ad Melchitas iam olim pertinuisse Cosmas Hischamo ostendit, ac proinde eiusdem iussu ab iisdem recepit?

VII. Atque haec de tota illa Severi fabula, quam incaute Elmacinus et Rahebus exscripsere. Quia tamen nihil adeo falsum est in historia, sub quo non aliquid veri delitescat, quid demum ex Severi narratione extundi possit, aliorum scriptorum monumentis excussis, breviter videamus. Ac primum *Angelii* Ecclesiam antiquissimam fuisse, ac longe ante Melchitarum et Iacobitarum dissidia extitisse, cum Palladii aliorumque testimoniis, tum Severi ipsius confessione certum est. In ea etiam S. Marci corpus quievisse dubitavit nemo, nisi qui totius antiquitatis fidem elevare velit; quod profecto nonnisi omnibus criticae artis legibus amandatis fieri potest. Sed et illud verum est, quod ait Severus, Iustiniano iubente, Ecclesias universas Iacobitis haereticis ereptas fuisse. Siquidem et Cedrenus (4) et Procopius (5) docent, Iustinianum non Iacobitis modo, sed universis Haereticis basilicas abstulisse: quamvis hic more suo hinc quoque in Imperatorem invidiam conflare conetur, perinde ac si non religionis causa id Iustinianus statuerit, sed avaritia ductus, scilicet ut ipsarum thesauros depraedaretur. At in eo falsus Severus, quod hoc anno aerae Diocletiani CCXLVII. factum fuisse dicit, cum Theophanes diserte tradat, Iustinianum, quo anno imperium adeptus est, legem illam condidisse, qui annus est aerae christianae DXXVII. diocletianeae vero CCXLIV. iuxta Petavium. Demus tamen Severo, locorum distantia inspecta aliisque de causis, legem illam nonnisi quadriennio post Alexandriae promulgatam fuisse, vel aliter Diocletiani annos a Severo supputari; falsum tamen omnino, imo absurdum, καὶ ἀδύνατον, duas illas Ecclesias, S. Marci et SS. Cosmae et Damiani, a Iacobitis vix anno elapso aedificatas fuisse. Nam Theophanes (6)

---

(1) Num. XVII. — (2) Apud Sollerium Hist. Patriarch. Alex. n. XLVI. — (3) Renaud. Hist. Patriarch. Alex. n. XXXVIII. et XLVI. — (4) Ad annum primum Iustiniani. — (5) Hist. Arcanae cap. XI. — (6) Ad annum Mundi 6057.

diserte docet, Gaianitas et Theodosianos non ante annum Iustiniani XXXVIII. Ecclesias, sive, ut ipse habet, *συναχτήρια conventicula* aedificare incepisse, qui annus est Christi DLXIV. Iustiniani vero supremus; siquidem eo ipso anno die decima Novembris obiit (1) Iustinianus. Porro quos Theodosianos vocat, ipsi Iacobitae alexandrini sunt, qui Theodosio patriarchae haeretico, ab Imperatore in exilium misso, communicabant, novamque *Phantasiastarum* haeresim ab eo repertam amplexi fuerant; quemadmodum Gaianitae alteram *Incorrupticolarum* a Gaiano invectam sequebantur: quae omnia fuse apud Liberatum diaconum (2) relata sunt. Exulabat autem Theodosius, eodem Liberato teste, cum Iustinianus functus est; nam usque ad primum Iustini iunioris consulatum, hoc est usque ad annum Christi DLXVII. illum vixisse asserit Victor tunnunensis (3). Quid igitur mirum, pervicacissimum senem, vix audita Imperatoris morte, Iacobitas suos alexandrinos datis litteris admonuisse, eosque patriarchae sui monitis commotos, aut vi, aut fraude, aut pecunia in tanta aegyptiae Ecclesiae perturbatione *Angelium* occupasse; praesertim cum Ecclesia illa, Beda et Adamnano testibus (4), in extrema urbe sita esset? Hic facilis Severi cum graecis scriptoribus conciliandi modus; cum si annorum notas excipias, quae apud illum absque dubitatione aut falsae sunt aut corruptae, cetera cum eius narratione apprime conveniant. Ceterum quod ait, *Angelium* a Iacobitis non iam receptum, sed aedificatum, ita intelligendum puto ac si diceret, Iacobitas, cum illam tantum Ecclesiam Alexandriae haberent, eamque angustam omnino, (nam angustas alexandrinas basilicas fuisse testis est Athanasius) (5), aliam longe ampliorem a fundamentis erexisse, cui deinde altera SS. Cosmae et Damiani iuxta Hippodromum addita est, sive quia omni Iacobitarum multitudini excipiendae *Angelium*, licet laxius aedificatum, nequaquam sufficeret; sive quia cum iuxta pomerium S. Marci Ecclesia sita esset, laboriosum nimis iis esset, qui altera civitatis parte degebant, ad illam accedere.

VIII. Atque haec de *Angelio*, sive de alexandrino Marci *martyrio*. Ceterum, haec utcumque se habeant, certum est, S. Evangelistae sepulcrum Alexandriae et notum et in honore ab ipsa Marci morte usque ad venetam translationem fuisse; ac ineptire prorsus, qui eius corpus ita flammis consumptum existimant, ut nullum omnino ipsius reliquium superesset. Quievisse autem sacra eius lipsana in *Angelio*, nec inde unquam amota nisi tunc demum, cum a Venetis, ita certe Deo disponente, sublata sunt. Porro *Angelii* Ecclesiam in Iacobitarum potestate post Iustinianum usque ad Moslemorum invasionem fuisse, nec unquam ab Orthodoxis repetitam, pro certo affirmare non ausim. Certe, post Alexandriam captam, traditam a Mahumedanis Coptitis fuisse, ex iis quae diximus (6), apprime patet. Illam tamen circa annum Christi DCCXL. iterum Melchitis vindicavit Cosmas orthodoxus patriarcha, Hischami caliphae decreto (7); nec

---

(1) Theophan. ibid. — (2) Breviar. cap. XIX. XX. Vide etiam Renaud. Hist. Patriarch. Alex. n. XLVI. pag. 213. — (3) In Chronico. — (4) Vide supr. n. II. et III. — (5) Apolog. ad Constant. n. XIV. XV. XVI. — (6) Vide Renaud. loc. cit. n. XXXVIII. — (7) Supr. n. VII.

nisi saeculo IX. sub Iacobitarum potestatem rediisse videri potest. Licet enim paullo post Cosmam, vel fortasse Cosma adhuc vivente, Ecclesiae aliquot Orthodoxis iterum ablatae sint, eaedem tamen sub Harone calipha, qui anno Christi DCCLXXXVI. imperare coepit, iisdem sunt restitutae (1), idque anno Christi DCCXCVI. ut haud temere arbitratur Sollerius. Quo demum anno iterum cesserit Iacobitis, incertum. Ab ipsis tamen in praesentia tenetur, et adhuc, Morerio teste (2), monachi illius loci custodes sepulcrum advenis ostendunt, unde Marci corpus a Venetis sublatum est, tum S. Michaelis imaginem, quam a divo Luca pictam fuisse arbitrantur: ex eius S. Archangeli cultu *Angelii* nomen basilicae fortasse tributum fuit. Est autem nunc temporis Ecclesia extra civitatem; olim tamen moenibus claudebatur: verum illis a Saracenis instauratis minori ambitu, extra urbem mansit. Hinc auctor chronici Slavorum (3), cuius locum deinde afferemus, illam *extra muros novae urbis* esse dicit; nam veteri urbe extante, moenibus erat inclusa.

CAPUT II.

DE TRANSLATIONE CORPORIS S. MARCI VENETIAS.

I. *Translatio S. Marci Venetias certissima atque a cunctis admissa. De ea primus dubitavit Tillemontius. Negant illam heterodoxi. De Dorscheo et eius scriptis nonnulla.* II. *De Actis translationis S. Marci. Extant in cod. saeculi XI. bibliothecae vaticanae, unde illa Baronius omnium primus vulgavit.* III. *Venetae translationis testes producuntur, S. Petrus Damiani, Sigibertus, Chronicon Sagorninum, et Anonymi duo saeculi XI.* IV. *Affertur locus Bernardi monachi, qui floruit saeculo IX. Praeterea testamentum Iustiniani ducis scriptum anno DCCCXXIX. Occurritur Aug. Carlio, nescio quae contra illud testamentum moventi.* V. *Orientalium testimonia producuntur.* VI. *Quibus accedunt piorum hominum peregrinationes ad S. Marci sepulcrum saec. X. et XI.* VII. *Tum antiquissimae marciani templi picturae.* VIII. *Venetorum praeterea et exterorum ab ipso saeculo nono veneratio erga venetum S. Marci sepulcrum.* IX. *Afferuntur et dissolvuntur allatae a quibusdam difficultates.*

I. Si quid est in universa Venetorum historia certum atque exploratum, ac de quo per octo integra saecula non modo a nostris, verum etiam ab externis scriptoribus nunquam fuerit dubitatum; illud est profecto, de quo agendum modo suscipimus: scilicet saeculo IX. ineunte S. Marci evangelistae corpus Alexandria Venetias delatum, ibidem, magnificentissima basilica extructa, in eadem

(1) Vide Renaud. Patriarch. Alex. n. XLIX. Sollerium Patriarch. Alex. n. XLVIII. §. 431. — (2) Dict. univ. ad vocem *Alexandrie*. La Martinière ad eandem vocem. — (3) Apud Cornelium Eccl. Venet. Dec. XIII. part. II. in S. Marco.

conditum fuisse, ac ad nostra usque tempora veneratione longe maxima cultuque asservatum. Cum enim translationem huiusmodi auctores antiquissimi asserant, iidemque non veneti modo, sed exteri etiam, gallos puta, arabes, slavos, aegyptios; profecto sapientis historici esse videbatur, id pro indubitato referre, quod ne a morosis quidem criticis, atque omnia circumspicientibus in dubium potest revocari. Unus repertus est inter Catholicos superiori saeculo Tillemontius (1), qui de hac re dubitaret; qui tamen ita loquitur, ut quid ipse sentiat haud facile deprehendere sit: ita apud illum omnia perplexa sunt atque impedita. Si quid tamen ipse video, puto, Tillemontium non tam translationem inficiari, quam fidem Actis a Baronio (2) et Bollandianis (3) editis denegare, utpote quae saeculo tantum XIII. scripta arbitretur, perperam tamen ut ostendemus; rem vero ipsam auctoritate Bernardi monachi, quam deinde afferemus (4), omnino probare. Tillemontium secutus est Morerius (5); sed praeterquamquod in prioribus lexici sui editionibus Venetorum traditionem omnino probaverat; nec nisi in posterioribus Tillemontii sententiam amplexus est; illud etiam animadversione dignum est, quod Morerii opus patet nimis late, ut ea omnia quae profert ipse per se expendere potuerit: quo fit ut saepe aliorum fidem sequi cogatur, eorum praesertim, qui laudatissimi sunt; ac proinde in eosdem, atque illi, lapides impingat. Quod ubi contingit, nulla fere ex Morerio ipsorum auctoritati accessio fit; quod de hac ipsa etiam quaestione dicendum est. At quod Tillemontius nonnisi nonnullis dubitationibus turbavit, id ex heterodoxis bene multi aut inficiari omnino, aut etiam oppugnare conati sunt. Huiusmodi fuere Walchius (6), Dallaeus (7), Tentzelius (8), Seldenus (9), qui eo praesertim argumento nituntur, quod Marci corpus ab Ethnicis combustum fuerit, et in favillas redactum; quod tamen quam leve sit et nugax, satis superius (10) demonstravimus. Sed nemo pretiosissimum apostolici corporis thesaurum Venetis praeripere maiori vi atque ausu conatus est, quam Iohannes Georgius Dorscheus, lutheranus homo, in libello Argentorati edito anno MDCXLIII. hoc titulo: *Specimen sceletomaniae pontificiae circa reliquias Marci et Lucae;* qui liber cum mihi ex Walchii et Tentzelii relatione innotuisset (siquidem illo maxime auctore nituntur) nihil omnino reliquum feci, quominus illum omnino reperire possem atque comparare. Avebam scilicet cognoscere, quid homo iste confidentissimus tandem proferret, quod putido illi atque inurbano opellae titulo responderet; neque enim divinare poteram, quid contra Venetorum traditionem posset afferri, quod aut verissimum esset, aut saltem ad veritatis speciem proxime accederet. Verum, nescio quo fato, Dorschei opusculum diu licet multumque conquisitum invenire nequaquam potui; ita ut ea spe frustratus iam in Germaniam scribere cogitarem, cum repente d. Augustinus Corrierus marcianae basilicae sacrista li-

---

(1) In Marco. tum etiam ann. XIV. — (2) Ad an. DCCCXX. num. XXXI. — (3) Ad diem XXV. April. — (4) Infra n. 4. — (5) Art. Marc. — (6) Hist. Eccl. saec. I. cap. I. sect. II. n. XLII. in not. — (7) De obiecto cultus religiosi. lib. IV. cap. XXII. — (8) In notis ad Hieron. de viris illust. cap. VIII. n. 2. — (9) In Orig. Eccl. Alexandr. — (10) Cap. praeced. n, III. et seqq.

bellum alterum eiusdem Dorschei mihi obtulit, quem ille ita inscripsit: *Relatio anonymi, S. Marci evangelistae corpus in insula Augia divite (vulgo Reichenaw) episcopatus constantiensis requiescere, eruta ex bibliotheca reip. ratisbonensis studio Eliae Ehingeri augustani. Ioh. Georg. Dorscheus d. et pp. Argentor. edidit, notationibusque additis specimini I. scelctomaniae pontif. adiecit. Argentorati MDCXLV.* De hac augiensi fabella loquemur loco suo: interim dissimulare non possum, magnam in me admirationem excitasse opusculi titulum, in quo tam enormiter adversus rectae constructionis et grammaticae leges peccare mihi auctor videbatur. Nam verba illa: *Anonymi relatio, S. Marci corpus Augiae quiescere, eruta etc.* nec qua se ratione invicem exciperent, nec quid significarent intelligebam. Evolvi tamen libellum. Historiam sive fabellam anonymi de augiensi translatione inveni eam illam ipsam, quam deinde Bucellinus (1) anno MDCLXXX. iterum Francofurti vulgavit; tum Flaminius Cornelius tertio edidit anno MDCCXLIX. et adiectis adnotationibus refutavit (2). Verum historiola grandioribus litteris excusa, octavam libri partem vix occupat; quod vero reliquum paginarum est, totum id notis minutiori charactere exaratis tributum, quas tamen *breves* appellat (3) Dorscheus. At quae notae? quae magna ex parte ad rem nihil faciant, in quas congerronis inepti more ea omnia congessit, quae sibi occurrerent, quaeque non rem aut refutarent aut expedirent, sed perplexam redderent magis atque intricatam. En tibi speciminis gratia nonnullas. Incipit relatio: *Est locus, qui Augia nuncupatur etc.* quid Dorscheus? Quaerit primum germanam vocis *Aw* vel *Aug* etymologiam, enumerat deinde Germaniae et Helvetiae loca, quorum nomina ex *Aw* vel *Aug* componuntur; addit *Aug* respondere latinae voci *Pagus*, et profert ex C. Caesare, Tacito aliisque bene multis testimonia, quibus ostendat, *Pagorum* nomen ab antiquis significandis Germaniae oppidis et urbibus fuisse usurpatum: pergit ulterius, et alia *Pagi* definitione proposita, ad *Augiam* transit, quam *Reichenaw* etiam appellari dicit: agit deinde de monasterii augiensis exordiis, quae statuit circa annum Christi DCCXXIV. tum enumerat *comites et barones*, qui sacrae militiae nomen ibidem dedere: praeterea multa ex germanis scriptoribus loca versu et prosa oratione subiicit, ubi de *Augia* sermo est; ac duo praesertim, latinum alterum Gasp. Bruschii, alterum germanicum Balth. Philgi, cuius verbis priorem adnotationem concludit, *brevem* illam quidem, sed quae ad XI. integras paginas excurrat. Secunda *de consecratione eius insulae in honorem S. Mariae* eadem methodo exarata est, tum IV. *de dissoluta in monasterio augiensi disciplina*, V. *de diversis viris ecclesiasticis nomine Eginonis*, VII. *de monarchia Pontificum Romanorum*, VIII. *de Alpibus*, X. et XI. *de urbe veneta et Alemannia*, XIII. *de nomine principis Apostolorum*, XIX. *de probationibus ferventis aquae, ac ferri candentis*, XXIII. *de Tarvisio urbe*, XXXIII. *de nomine Missae*, aliaeque id genus permultae, quae, ut optime perspicis, nihil ad rem faciunt; neque enim sibi aliud Dorscheus ostendendum susceperat, nisi *translationem augien-*

(1) Ad calcem Nuclei Historici. — (2) Eccl. Venet. Decad. XIII. in S. Marco. — (3) Pag. 34.

sem corporis S. Marci fabulam esse, quod profecto commune habet nihil aut cum *Eginonibus*, aut cum *Pontificum RR. monarchia*, aut cum descriptione *Venetiarum et Tarvisii* aliisque nugis huiusmodi. Haec vero conspicatus, scriptorisque ingenio animadverso, omnia per fas et nefas quaecumque aut novit aut se nosse putat consarcinantis, haud amplius vicem meam dolui, quod eiusdem *sceletomaniam* invenire non potuissem; ratus ineptum ferruminatorem nihil in illo opusculo omnino afferre posse, nisi importunam eruditionem et a germana illa modestia et maturitate remotam, quae eruditissimae genti suae communis esse consuevit: imo non communis sed propria; ita ut, licet bene multi sint inter germanos scriptores romanis sacris infensi, ipsorum tamen lectione mirifice oblectari soleam. Quamquam enim in multis a nobis dissentiant, modeste id tamen (si antiquos illos reformatores excipias) ut plurimum faciunt; errore potius quam fide mala; ac in errore ipso suo acuti sane et pudentes: in quibus vero nobiscum sentiunt, laboriosi prorsus ac solidi, et non fucata eruditione commendandi. Itaque hominem a gentis suae moribus ac pudore degenerem animadvertens, ab ipsius *sceletomania* perquirenda libenter destiti: satis tamen paratus peculiari commentario eidem occurrere ac difficultates dissolvere, si opusculum illud aliquando reperire dabitur, in eoque novum aliquid, quod refutatione dignum videatur, offendero. Quem si a me paullo acerbius habitum, quam mea fert consuetudo, quispiam fortasse mirabitur, praesertim cum eius momenta nondum excusserim, imo nec audierim; animadvertat, me, quamvis huiusmodi disputationibus patientissimas aures afferre soleam, effrontem hominis impudentiam non stomachari minime potuisse, Ecclesiam universam in ipsa operis fronte stultissimo convivio proscindentis. Quam enim ille *sceletomaniam* vocat, hoc est *in sanctorum corporum reliquiis conquirendis insaniam*, hanc ab ipsis apostolicis temporibus derivatam ab apostolicis viris accepimus, ac per manus traditam, totoque ante Lutherum orbe diffusam, tenemus adhuc; consentientibus nobiscum Graecis, Armeniis, Coptitis, Aethiopibus, Syris, Indis, et quidquid toto orbe est christiani nominis; ita ut nonnisi impudentissime fecisse Dorscheus dicendus sit, qui universos Christianos, cuiuscumque communionis et aetatis ille fuerit, σκελετομανεῖς appellare ausus est.

II. Atque hi fere sunt, qui venetam S. Marci translationem aut aperte impugnarunt, aut in dubium saltem revocare conati sunt. Ceterum antequam iis, quae ab ipsis opponuntur, occurro, liceat mihi translationis ipsius testes proferre, quo facilius, rei gestae veritate explorata ac in tuto posita, adversariorum momenta elevare possim atque subvertere. Qua in re haud magnopere laborandum erit, cum mihi in hac ipsa palaestra praeluserit vir praeclarissimus Flaminius Cornelius (1), quem deinde fere omnes secuti sunt, quicumque Venetorum traditionem postremis hisce temporibus strenue propugnarunt. Ac primum quidem rei gestae testimonium ex narratione sive Actis translationis anonymi deduco, quae ex codice vaticano primus vulgavit cardinalis Baronius (2), quaeque

(1) Eccl. Venet. dec. XIII. in S. Marco. — (2) Ad ann. DCCCXX. n. XXXI.

iterum bollandiani biographi (1) edidere, nosque deinde ad verbum, additis illustrationibus et commentario, adducemus. Actis illis omnem prorsus auctoritatem negat Tillemontius (2); verum Tillemontium refutare operosum non est, idque nos inferius (3) praestabimus, ubi de Actis illis agendum erit, et eorum auctoritas vindicanda. Interim satis erit admonere, historiam illam antiquiorem omnino esse saeculo XII. cum, teste Fontanino (4), codex vaticanus, unde illam eruit Baronius, ad saeculum Christi XI. pertineat: extat etiam in antiquis marcianae basilicae legendariis, quae in regia urbis nostrae bibliotheca asservantur; quaeque licet saeculo XII. ineunte exarata fuerint, ex antiquioribus tamen libris descripta fuisse constat. Sed de his loco suo.

III. Nec tamen, etsi daremus Acta illa nullius prorsus esse auctoritatis, translationis ipsius veritas ac certitudo ullo modo nutaret, quam innumeris veterum testimoniis firmare licet. Ac ut omittam Andream Dandulum Venetorum ducem (5), venetarumque rerum scriptorem diligentissimum, sed qui sero nimis floruisse videri potest, tum productos ab illo saltem in editis, neque enim in codice nostro ms. leguntur, Iacobum de Voragine, Paullinum episcopum puteolanum, et Sichardum cremonensem; ac ad saeculi XI. scriptores provocem, translationem illam asserunt Petrus Damiani, Sigibertus gemblacensis, et chronicon venetum a Zanetto vulgatum anno MDCCLXV. quod Sagornini chronici nomine indicare solent viri eruditi (6). Ac Petrus Damiani quidem non semel et bis, sed tertio etiam translationis huius meminit, ac veluti universo orbi notissimam inculcat: *Beata es*, inquit (7), *Alexandria, triumphali apostolici martyris sanguine purpurata. Felix et tu, Italia, et dudum scilicet Evangelium scribentis alumna, et nunc pretioso sacratissimi corporis thesauro dives effecta.* Et in alio sermone (8): *Sanctus evangelista Marcus de Alexandria transvectus est, Deo misericorditer disponente, Venetiam; ut qui etc.* Tum sermone sequenti (9), cum multa in laudem urbis nostrae commemorat, tum illud praesertim, quod S. Evangelista *illam ad hoc, ut pretiosum corporis sui thesaurum illi commendaret, elegit.* Vide quae praeterea de hac re adiecit illo loco S. Episcopus. Pari modo Sigibertus (10) in chronico: *Aegyptum incursantibus hoc tempore Saracenis, negotiatores Venetiae corpus S. Marci evangelistae ab Alexandria transtulerunt Venetiam.* Collocat haec Sigibertus sub anno Domini CDLXXI. ingenti prorsus ἀναχρονισμῷ. Quaerit erroris causam Cornelius (11), satisque probabilem affert, quod crederet Sigibertus, Saracenos ea tempestate Alexandriam expugnasse. Attamen probabilius putarem, Sigibertum in Leonis imp. nomine hallucinatum fuisse: ac Leonem in Actis translationis memoratum, quem constat Leonem V. *armenium* fuisse, cum Leone I. qui anno Christi CDLXXI. imperabat, imprudenter confudisse. Ut ut tamen erret Sigibertus circa translationis tempus, eius tamen verba ostendunt, persuasum aetate illa omnibus fuisse, S. Marci corpus Alexandria Venetias a mercatoribus transvectum

(1) Ad diem XXV. April. — (2) In Marco not. XIII. — (3) Infr. cap. IV. in notis. — (4) Apud Cicogna Diss. sullo scoprim. del corpo di S. Marco etc. pag. 17. — (5) Lib. VII. cap. II. part. VI. — (6) Vide Cornel. dec. XIII. part. I. pag. 17. Cicogna pag. 18. etc. — (7) Serm. XIV. — (8) Serm. XV. — (9) Serm. XVI. — (10) Chron. ad ann. CCCCLXXI. — (11) Dec. XIII. part. I. pag. 19.

fuisse. Nec aliter Sagorninus, aut quis alius auctor chronici veneti, circa annum Christi MXXXV. conscripti. Iuvat integrum pretiosissimi operis, quod Tartarottus (1) *aureum venetae historiae monumentum* appellat, locum afferre. *Ultimo vitae suae anno* Iustinianus Particiacus, dux Venetorum, *sanctissimi Marci evangelistae corpus de Alexandria a Veneticis allatum recipere promeruit, qui tanti thesauri munus honorifice suscipiens, in sui palatii angulo peragere fecit capellam, ubi illud reconditum posset reservari; interim quoad Ecclesia esset expleta, quam idem dompnus inchoavit; sed praeventus morte, Iohannes, suus videlicet frater, ad finem perduxit.* His duorum adhuc eiusdem saeculi scriptorum testimonia addi possent; Petri scilicet abbatis Vangaticiae in vita S. Theobaldi (2), et Anonymi scriptoris vitae S. Petri Urseoli (3); qui referunt, peregrinos bene multos ex longinquis etiam Europae partibus Venetias ad sepulcrum S. Marci adventare consuevisse, interque illos memorant Marinum cuxanensem, S. Romualdum, S. Theobaldum, aliosque pietate et dignitate praestantissimos.

IV. Verum extant antiquiora adhuc et luculentiora testimonia. Edidit Mabillonius inter Acta sanctorum ordinis S. Benedicti (4) *Bernardi monachi franci itinerarium, factum in loca sancta anno DCCCLXX.* hoc est, ut ostendemus (5), anno post translationem XLI. ubi ea omnia refert, quae suis ipse oculis in illa peregrinatione usurparat. Itaque loquens de Alexandria haec habet (6): *Haec Alexandria mari adiacet, in qua praedicans S. Marcus evangelista, gessit pontificale officium. Extra cuius portam orientalem est monasterium praedicti sancti, in quo sunt monachi apud Ecclesiam, in qua ipse prius requievit. Venientes vero Veneti navigio tulerunt furtim corpus a custode eius, et deportarunt ad suam insulam.* Ad haec verba Mabillonius apponit in chartae margine hanc vocem: NOTA; eaque ipsa afferens in annalibus (7), animadvertit, *testimonium hominis fere aequalis validissimum esse ad firmandam Venetorum possessionem.* Et sane habemus scriptorem paene synchronum, gallum, ac proinde nullo patriae amore in hac re narranda permotum, oculatum rei inspectorem, qui ea refert quae ab illius loci monachis audierat, quos inter adhuc fortasse supererant, qui rei ipsius oculati fuerant testes: omnes vero ab iis acceperant, quorum aetate idipsum contigerat. Ecquis unquam plura desideret, aut quod unquam factum luculentiori testimonio firmari potest? Certe Bernardi assertio sola in causa fuit, cur Tillemontius (8) venetam translationem non omnino inter fabulas collocaret: tanti etiam a morosissimo critico habita est. Sed maioris adhuc facienda est ipsius Iustiniani ducis auctoritas, qui idipsum in testamento suo diserte profitetur. En quid de hoc ipso testamento habeat Dandulus tam in ms. nostro (9) quam in editis: *Dux itaque Iustinianus, imminente sibi morte, testamentum condidit, et Felicitam coniugem suam, et Romanam nurum fideicommissarias ordinavit; et monasteriis S. Hilarii et S. Zachariae possessiones plurimas legavit, Ecclesiamque fieri pro repo-*

(1) Apud Cicogna loc. cit. — (2) Apud Mabill. Act. sanct. ord. S. Benedicti saec. VI. part. II. num. X. — (3) Ibid. saec. V. n. IV. et VI. — (4) Ibid. saec. III. part. II. app. — (5) Cap. seq. — (6) Num. VI. — (7) Ad ann. DCCCLXX. n. XII. — (8) Ad an. 828. — (9) Lib. VIII. cap. II. parte X.

sitione beati corporis Marci evangelistae, quod suis diebus recipere promeruerat, devotissime disposuit. Quod testamentum authenticatum pluries vidimus et legimus. Quid hoc testimonio Iustiniani certius et luculentius esse potest? Equidem testamentum ipsum prae manibus non habemus: attamen nonne testamento ipsi Danduli auctoritas aequiparanda, principis potentissimi atque piissimi, historici etiam probatissimi, qui se illud *authenticatum pluries vidisse et legisse* testatur? Nec dubium aliquod movere debet, quod habet Aug. Carlius (1) Iohannis Reginaldi v. cl. f., qui eiusdem testamenti ex eo codice trevisaneo fragmenta nonnulla producens, animadvertit, testamento ipsi hanc notam apponi: *Ego Dominicus presbyter Mengoni ista exempla complevi, et roboravi mense iunio percurrente, indictione prima;* quae indictio cum nonnisi in annos DCCCXXIII. aut DCCCXXXVII. cadere possit, testamentum ipsum falsum esse coarguit; cum anno DCCCXXIII. S. Marci corpus nondum Venetias esset allatum, anno vero DCCCXXXVII. iam anni VIII. a Iustiniani ducis obitu essent elapsi. Atqui nota illa non ad ipsum testamentum pertinet, sed ad *exemplum* a Dominico presbytero ex authentico exscriptum. *Exempla* autem ea aetate vocabantur *ἀπόγραφα*, sive *ἀντίγραφα*, idque a latina vocis significatione minime abhorret. Hinc barbarae voces *exemplare, exemplificare, exemplatum*, etc. pro *transcribere, transcriptum, etc.;* quae deinde *copiare* et *copia* adhuc magis barbaris vocibus dixere, de quibus vide Du Cangium (2). Perperam igitur exscripti testamenti tempus cum anno, quo conditum est a Iustiniano, confundit Carlius; quo fit ut rem universam miro modo permisceat. Porro Dominicus Mengoni in indice plebanorum venetorum refertur a Galliciolio, ac S. Geminiani Ecclesiae praefuisse dicitur anno MXXV. quo fit, ut *exemplum* illud ad primam saeculi XI. medietatem referri debeat, nempe ad saeculi eiusdem annum III. vel XVIII. vel XXXIII. his enim omnibus indictio illa optime convenit. At verum conscripti testamenti annum indicant verba illa, quae paullo post ab eodem Carlio afferuntur, sive eiusdem exordium, quod tale est: *Imperantibus dominis nostris piissimis imperatoribus, Michaelis* (sic) *quidem anno IX. Theophili vero a Deo coronati eiusque dilecti filii VIII. indictione VII.* quae indictio annum Christi DCCCXXIX. indicat, qui Iustiniani ducis supremus fuit. At hic rem iterum mire turbat Carlius: nam annum IX. Michaelis cum anno VIII. Theophili conciliare nequit, quem incidisse ait in annum Christi DCCCXXXVII. ac proinde ait, testamentum hoc duplici anno notari, falsumque esse. Inepte tamen. Nam ipsa illa verba *Imperantibus dominis nostris* ostendunt, duos illos imperatores eo anno simul sedisse: et ex graecis historicis constat (3), Michaelem Balbum, nondum anno exacto ex quo inperium adeptus fuerat, Theophilum filium sibi imperii collegam accepisse; ita ut IX. Michaelis annus cum anno Theophili VIII.; et uterque cum indictione VII. apprime conveniat. Mitto numismata utrumque imperatorem coronatum simul exhibentia,

---

(1) Dissertazione sopra il corpo di S. Marco. Ven. 1811. cap. I. pag. 22. — (2) Lexic. Med. et Infimae. Latin. — (3) Vide Simeon. Logoth. in Mich. Amor. n. II. pag. 412. edit. Paris. Georg. Monach. in Michael. n. II. pag. 510. Leon. Gram. Chronog. pag. 418.

quorum unum apud Dufresnium (1) vide, si vacat: atque hoc unum animadverto, mirum mihi certe videri, Carlium ipsum paullo post fateri, Theophilum in imperii societatem a Michaele assumptum fuisse, et nihilominus in utriusque annis conciliandis, qui tamen conciliatione non indigent, tam impense cavillari.

V. Constat itaque, testamentum Iustiniani ducis, cuius sensa ex Dandulo protuli, anno DCCCXXIX. fuisse exaratum; hoc est ipso anno, quo translatio illa facta est, ac proinde testimonium inde ductum omni prorsus exceptione maius habendum esse. Addam et Orientalium nonnullorum testimonia, qui licet paullo sequiori aetate floruerint, aliquo tamen loco habendi sunt, utpote quos nec patriae caritas, neque alia ulla causa, ut impudenter in re aliena mentirentur, potuit permovere. Sunt autem illi: Anonymus, qui alexandrinorum patriarcharum historiam a Severo aschmoninensi editam continuavit, et Abulbircatus; quorum alter saeculo Christi XIII. (2), alter XIV. floruit; tum auctor chronici Slavorum saeculi XII. (3), quibus et Legendarium Armeniorum adiici potest. Et Anonymus quidem a Renaudotio productus (4), in vita Cyrilli Laklaki f., qui anno MCCXXXV. ad alexandrinam cathedram evectus est, refert, illum, cum sultanum salutasset, *postero die processisse ad domum filiorum Sokari, in qua caput D. Marci ante complures annos repertum fuisse ferebatur;* dubitare se tamen, utrum re vera S. Marci caput illud fuerit: *Dicitur enim*, ait, *fuisse caput Petri hieromartyris, quia caput Marci evangelistae erat cum eius corpore, quando Rumaei, sive Graeci illud Venetias asportaverunt.* De capite S. Marci Alexandriae relicto nihil attinet disputare, cuius rei veritatem ipse Anonymus negat; sed illud potius notandum, Anonymum venetam translationem diserte fateri; imo de illa perinde ac de re exploratissima atque certissima loqui. Venetos vero vocat *Rumaeos*, sive *Romanos*, quod nomen cum Graeci etiam sibi tribuerent, perperam Venetos cum Graecis confundit. Hunc ipsum Anonymi locum profert etiam Cornelius (5), sed in eo fallitur vir eruditissimus, quod illum Severo aschmoninensi adscribit; neque enim Severus, qui saeculi XI. initio floruit (6), Cyrilli vitam, qui duobus illo saeculis recentior est, scribere potuit. Alterum Abulbircati testimonium apud eundem Renaudotium legere est (7): *Corpus eius*, inquit, *sepultum in Ecclesia orientali ad maris littus, ibidem per annos multos quievit, donec Franci quidam veneti per fraudem illud abstulerunt Venetias, ubi huc usque servatur. Caput ab illis relictum est, et depositum in domum filiorum Sokari, ubi adhuc est.* Audi nunc quae in chronico Slavorum (8) refert Gerardus, Friderici I. imp. sub saeculi XII. finem ad Saladinum legatus: *Alexandriae est Ecclesia B. Marci evangelistae, extra muros novae urbis supra mare sita.... vidi locum sepulturae eius, unde a Venetis furatus fuit.* Denique Legendarium armenium, cuius exemplum exaratum saeculo XI. extat in bibliotheca monasterii S. Lazari monachorum mechitaristarum urbis nostrae, ipsum quoque venetum

(1) Famil. Aug. Byzant. fam. XVII. numism. I. — (2) Hist. Patriarch. Alex. in praefat. — (3) Ibid. num. LXXXV. — (4) Ibid. n. LXXV. — (5) Eccl. Ven. Dec. XIII. in S. Marco pag. 16. — (6) Vide Cave ad annum 978. — (7) Ibid. — (8) Apud Leibn. tom. III. Script. Brunsvic. lib. VII. cap. X. et apud Flam. Cornel. loc. cit. pag. 18.

S. Marci sepulcrum innuere videtur, quo loco (1) angelum inducit praedicentem Marco futurum, *ut reliquiae ossium eius non pereant in terra*, hoc est in magno honore habeantur; quamvis haec et de alexandrino sepulcro dicta esse potuerint.

VI. Idipsum ostendunt peregrinationes saeculo X. et XI. ad venetum S. Marci sepulcrum a viris clarissimis atque piissimis susceptae, quos inter Gaurinum abbatem cuxanensem (2) et Ottonem imp. huius nominis tertium recenset Cornelius (3); quorum alterum anno DCCCCLXXVIII. alterum anno eiusdem saeculi XCVIII. orationis causa Venetias advenisse testatur. Addere poterat Theobaldum monachum (4) initio saeculi XI., tum quos alio loco (5) commemorat, Leonem IX. Romanum Pontificem anno MLIII. Henricum IV. imp. anno MXCIV. etc. His libenter etiam Benedictum III. Pontificem adiicerem, quem anno DCCCLIII. Venetias advenisse (6) tradit Carlius (7). Verum ipse Galliciolius (8), unde hoc Carlius accepit, nullo modo hunc Benedicti adventum posse cum iis conciliari ostendit, quae in eius vita ab optimis scriptoribus tradita sunt; praesertim cum nonnisi biennio post Benedictus ad summum pontificatum assumptus fuerit. Porro quid aliud peregrinationes illae nobis ostendunt, nisi saeculo Christi XI. imo decimo etiam, persuasum vel remotissimis gentibus fuisse, S. Marci corpus Alexandria Venetias transvectum, ibidem requiescere, nec eius translationem ullo modo in dubium esse revocandam? Quod si huiusmodi peregrinationum nullum extat vestigium saeculo IX. quo haec ipsa translatio peracta est; id fortasse vel temporum iniuria effectum, quae nobis illius aetatis monumenta praeripuit, vel ipsius rei naturae et barbari saeculi ingenio tribuendum: cum, gentium commerciis non ita, ut nunc sunt, multiplicatis, haud exiguo temporis spatio opus esset, ut rei fama tota qua late patet Europa diffunderetur. Attamen anno Christi DCCCLVI. Ludovicum II. cum Angilberga coniuge Venetias adventasse, tradit Dandulus (9); ac licet non ideo venisse dicat, ut S. Marci corpus inviserent, illius tamen aetatis more, et piissimi Imperatoris religione perspecta (10), haud incredibile videri potest, hac etiam de causa, ut ad urbem nostram accederet, inductum fuisse.

VII. Addam et alia, quae, licet leviora, silentio tamen haud sunt praetereunda. Extat in marciana basilica tabula aurea quaedam, gemmis et margaritis distincta, ac arae maximae imposita, quae solemnibus quidem diebus omnium oculis exponi solet; ceteris vero tabula altera obtegitur plurimis sanctorum iconibus decorata. Constat tabula illa multis aureis tabellis, quarum unaquaeque aut angeli aut divi alicuius effigiem exhibet, graecanico opere elaboratam: universae vero miro ordine distributae, atque lapillis unionibusque distinctae miro prorsus fulgore intuentium aciem oculosque perstringunt. Praeclarum sane venetae magnificentiae monumentum, ac dignum prorsus, quod a situ et squa-

---

(1) Ad diem XXV. April. — (2) Vide supr. n. III. — (3) Loc. cit. pag. 16. — (4) Supr. n. III. — (5) Ibid. pag. 46. 47. — (6) Vide Gallicioli. Memor. Venet. lib. II. n. 938. Dandul. ad an. 853. etc. — (7) Diss. citat. cap. XIII. pag. 102. — (8) Ibid. — (9) Vide etiam Sagorn. pag. 38. — (10) Murat. Ann. d'Ital. ad ann. DCCCLXXV.

lore, quem longa aetas induxit, paullo accuratior diligentia vindicaret. Tabulam illam Petrus I. Urseolus, Venetorum olim dux, nunc vero inter caelites receptus patronus, Byzantii aere suo faciendam curavit anno Christi CMLXXVI. quam deinde Ordelaphus Phaledro anno MCV. Petrus Ziani anno MCCIX. et omnium postremus anno MCCCXLV. Andreas Dandulus, Venetorum duces, novis additis gemmarum ac margaritarum ornamentis, instaurarunt. Illam tamen, licet Petri Urseoli ducis iussu Constantinopoli confectam, Venetias tamen non ante annum Christi MCV. advectam fuisse suspicantur nonnulli (1), sed perperam. Nam nec id ex appositis eidem inscriptionibus elicitur, quae illam restauratam quidem eo anno dicunt, non confectam ex integro: nec ea sententia cum chronico sagornino conciliari potest (2), ubi auctor, qui circa annum MXL. floruit, de tabella illa tamquam Venetiis iam extante manifeste loquitur, quod facit et auctor chronici veneti vaticanus (3), nisi fortasse chronicon illud idem est cum chronico, quod Sagornino tribuitur. Est autem tabulae illi, qua parte in *cornu Epistolae* vergit, tabella triplex inserta. Superior sepulcrum exhibet, impositumque sepulcro mortui cadaver, adstantibus hinc inde viris geminis, additaque romanis litteris epigraphe: TOLLITVR . B. MARCVS . DE . ALEXANDRIA. In altera tabella, priori supposita, navim videre est plenis velis per mare delatam, nautis interim ipsi regendae intentis, apposita hac nota: HIC . DEFERTVR . CORPVS . S. MARCI. Tertia denique templi latus conspiciendum offert, clericosque, erectis crucibus, sacrum corpus feretro inclusum humerisque delatum excipientes: quod et adiecta inscriptio significat: HIC . SVSCIPITVR . ETIAM . B. MARCVS. Eadem historia, musivo opere expressa, extat in fornice maximo, qui altari S. Clementis imminet, ad australem Ecclesiae partem. Ibi enim Venetos Marci corpus furantes videre est, barbaro versiculo subiecto: MARCVM FVRANTVR KANZIR (4) HII (hi) VOCIFERANTVR; tum eosdem Venetos sacrum pignus suilla carne superiecta abscondentes, addito versiculo: CARNIBVS ABSCONSVM QVAERVNT FVGIVNTQVE RETRORSVM. Adest etiam navis, ut in altaris tabula, plenis velis acta, quae cum in eo iam esset ut in scopulos incurreret, D. Marco revelante, servata est. Hinc illa nota: TELLVS ADEST, NAVTAE DIC, VELVM PONITE CAVTE. Denique corpus Venetias advectum videre est, episcopis, duce ac proceribus ipsum excipientibus, quod hoc disticho innuitur:

PONTIFICES, CLERVS, POPVLVS, DVX MENTE SERENVS
LAVDIBVS ATQVE CHORIS EXCIPIVNT DVLCE CANORIS.

Musivum hoc, ut ex quadam inscriptione deducit Zanettus (5), sub Vitale Michaele duce confectum, ad extremum saeculum Christi XI. pertinet, vel ad initium sequentis; siquidem anno MCII. Michael e vivis excessit, ac proinde non leve ex ipso argumentum deduci potest, non modo ad venetam S. Marci translationem confirmandam, verum etiam ad Actorum, quibus ipsa refertur,

---

(1) Vide Cicogna *Diss. sullo scoprimento del Corpo di S. Marco*. Ven. 1811. pag. 19.— (2) Pag. 70. — (3) Apud Guid. Grandium in vita S. Petri Urseoli pag. 9. not. 8. et cap. VI. num. 3. — (4) Vide infr. cap. seq. num. XIII. et in eum locum notas. — (5) Pag. 563. Pict. Venet.

fidem tuendam, quod nobis infra faciendum erit (1). Quod et de aurea altaris tabula dictum volo.

VIII. Sed quod, mea quidem sententia, rem conficit, nec ulla prorsus vi labefactari potest, ipsa est venetae civitatis et reipublicae in D. Marcum effusa veneratio atque pietas, cuius innumera ab ipso IX. aerae christianae saeculo monumenta proferri possunt, quae non aliunde profecto originem accepit, nisi ex ea ipsa, qua de loquimur, sanctissimi corporis possessione. Nam qua alia de causa factum dicamus, ut Veneti circa medium saeculum nonum sanctissimum Evangelistam in patronum sibi repente ac protectorem eligerent; beati vero martyris Theodori, cui ad ea usque tempora urbis tutela credita erat (2), ipsum paene nomen obliviscerentur? undenam factum, ut sumptuosissimum B. Marco templum Iustinianus dux testamento suo erigendum statuerit, ac in illo extruendo exornandoque tam ingentem auri vim universa civitas impenderit, nec quicquam praetermiserit, quo inter celeberrima ac magnificentissima totius orbis aedificia censeretur? undenam factum, ut cum ante saeculum Christi IX. nonnisi Christi Salvatoris nostri effigie veneta moneta insculpta esset (3), ea deinde S. Marci typo et nomine insigniretur? Quid vero memorem S. Marci nomen ipsi venetae communitati et reipublicae tributum, aut victis hostibus vectigalia imposita, quae quotannis Ecclesiae S. Marci persolverent? Extant apud Cornelium (4) *Iuramenta fidelitatis civitatum Istriae*, nempe Polae, Ruigni, Parentiae, Civitatis novae et Humagi anni MCLI. ubi illarum urbium cives singillatim *Iurant super sancta Dei quattuor Evangelia, fidelitatem B. Marco apostolo et evangelistae, et domino Dominico Mauroceno inclyto duci etc.* sequo *per unumquemque annum* vel *duo millia* (5) *de oleo*, vel *quinque*, aut *quattuor*, aut *duos romanatos* (6), *ad operam S. Marci, vel XV. libras olei ad illuminaria* (7) soluturos promittunt. Extat etiam apud eundem (8) *pactum Fani* anni MCXLI. indictione IV. in quo *consules fanenses, et cunctus fanensis populus fidelitatem promittunt Deo, beato Marco apostolo et evangelistae, et vobis domino nostro Petro Polano gloriosissimo Venetiae, Dalmatiae atque Croatiae duci, etc.* spondentque, se *omni anno usque in perpetuum per illuminatione* (sic) *Ecclesiae beatissimi Marci apostoli et evangelistae unum milliarium olei persoluturos*. Extat denique Pontii comitis tripolitani charta (9), qua *donat, concedit, et tradit Deo, et B. Marco evangelistae quandam domum, quae in Tripolum* (sic) *prope portum maris tripolitani sita est.* Adde Pontium comitem tripolitanum anno MCXVII. domum quandam urbis suae Ecclesiae S. Marci offerentem (10). Adde Balduinum primum Hierosolymorum regem, Ecclesias geminas S. Marci, tyrensem et achonensem, sub exordiis saeculi XII. *beato Marco, et duci Venetiae conferentem* (11): adde Alexandrum III. rom. pontificem (12), Ec-

(1) Cap seq. — (2) Gallic. Mem. Ven. lib. I. n. 431. — (3) Ibid. n. 431. n. 460. — (4) Decad. XIII. part. 1. in S. Marci append. mon. A. pag. 215. — (5) Venet. *due miri*. — (6) Nummos aureos constantinopolitanos Vid. Du Cange. — (7) In Canonem. Venetis *la luminaria*. — (8) Ibid. Monum. B. pag. 218. — (9) Ibidem. — (10) Corn. loc. cit. pag. 218. — (11) Ibid. Monum. C. pag. 219. — (12) Ibid.

clesias illas *omnesque etiam terras, quas in hierosolymitana, tripolitana, antiochena et cayphas civitatibus Dux et commune Venetiae, a rege Hierosolymorum sibi concessas, operi B. Marci legitime contulerant,* privilegio suo anni MCLXVI. confirmantem: adde Alexium I. Comnenum constantinopolitanum imperatorem, qui circa annum Christi MLXXXII. Anna Comnena teste (1), Venetis gratificaturus, qui Rupertum Guiscardum prope Buthrotum fregerant, *Ecclesiae sancti Marci apostoli et evangelistae nuncupatae vectigales fecit amalphitanos universos, qui officinas haberent in urbe constantinopolitana, ac praeterea officinas universas donavit, quae ab veteri Hebraeorum scala* (sive portu) *ad Biglam sic dictam pertinent, imo et scalas ipsas* (portus), *quae toto illo spatio continentur.* Adde denique Iohannem et Emmanuelem Comnenos et Isacium Angelum augg. Alexii Comneni privilegium *chrysobullis* suis confirmantes (2) saeculo XII. et quam certa, aetate illa, haberetur veneta S. Marci translatio animadverte; ita ut mihi mirum sane et incredibile videatur, fuisse qui historiam, tot ac tantis antiquitatis testimoniis munitam, in dubium revocare superiori aetate potuerint.

IX. Atqui videamus modo quaenam ea sint, quae adversus certissimam hanc Venetorum sententiam afferantur. Ac primum obiicit Tillemontius (3) Actorum translationis illius, quae Baronius et Bollandiani evulgarunt, νοθείαν et novitatem: *Nulla illis,* inquit, *antiquitatis nota, ac tam inepte rem universam describunt, ut suspicari liceat historiam esse confictam pro lubito, aut ex popularibus rumoribus et traditionibus multos post annos conflatam.* Nollem, praeclarissimo critico tam praeceps iudicium excidisset. Nam, ut infra ostendam (4), tantum abest, ut Acta illa, simplicitate ipsa sua, nova se atque malae fraudi subiecta se prodant, ut potius candor ille ipse, ac rudis dicendi ratio magni argumenti loco ad ipsorum αὐθεντίαν ostendendam habenda sint. Quae tamen, etsi non interpolata modo et inepta, sed falsa etiam et pro arbitrio conficta omnino esse constaret, quid inde tamen adversus venetam translationem deduci posset, quam tot aliorum scriptorum testimonia confirmant? Certe traditioni huic asserendae nequaquam hactenus Actis illis usi sumus: eam tamen in controversiam adducere, iis inspectis, quae attulimus, ecquis, modo sanus sit, unquam audebit? Ac rei ipsius, prout in Actis refertur, ordinem et adiuncta in dubium revocare fortasse quis posset; at de summa rei nemo profecto dubitabit, nisi insaniat. Obiicient fortasse Agii cuiusdam presbyteri apud Ecchardum auctoritatem, qui

---

(1) Alex. lib. VI. pag. 161. edit. Paris. Τῇ ἐπ' ὀνόματι τοῦ εὐαγγελιστοῦ ἀποστόλου Μάρκου ἐκκλησίᾳ ὑποφόρους ἅπαντας τοὺς ἐκ Μέλφης ἐν Κωνσταντινουπόλει ἐργαστήρια ἔχοντας πεποίηκεν· καὶ τὰ ἀπὸ τῆς παλαιᾶς ἑβραϊκῆς σκάλας μέχρι τῆς καλουμένης βίγλας διήκοντα ἐργαστήρια· καὶ τὰς ἐντὸς τοῦ διαστήματος τούτου ἐμπεριεχομένας σκάλας ἐδωρήσατο. Vide Du Cange Constantinop. Christ. lib. I. n. XVIII. — (2) Apud Cornel. loc. cit. pag. 92. et seqq. — (3) In Marco not. XIII. *Cette pièce n'a aucun caractère d'antiquité, et qui décrit les choses d'une manière si pitoyable, qu'on a grand sujet de croire, que c'est une histoire faite à plaisir, ou au moins composée long-temps après sur des traditions populaires.* — (4) Infra cap. IV. in notis.

in dialogo metrico *de obitu S. Hathumodae abbatissae,* quae obiit anno Christi DCCCLXXIV. cecinit (1):

> *Corpus* (Ioannis Baptistae) *Sebaste, caput Alexandria sanctum*
> *Cum Marci sacris continet exuviis.*

At quid mirum, Agium in extremis Germaniae finibus commorantem, venetam S. Marci translationem, quae paucis ante annis contigerat, latuisse; eique veterem de alexandrino sepulcro traditionem tantum innotuisse? atqui Ecchardo, Agium nobis obiicienti (2), Bernardum monachum antiquiorem et oculatum testem opponimus (3), qui Alexandriae sepulcrum quidem S. Apostoli conspexit, corpus non item, eo quod illud Veneti *furtim a custode tulissent, et deportassent ad suam insulam:* tum alios etiam opponimus, quos superius memoravimus. Obiicient denique veterum et recentium scriptorum in translationis anno statuendo dissidium. At quot et quanta sunt in historiis, quorum certus annus designari nequaquam potest, quae tamen vera esse et indubitata nemo unquam negavit? Nonne dominicae passionis annus omnino incertus, quin de ipsa tamen nemo unquam dubitaverit? Nonne R. Nahasson (4) christianae aerae exordium in annum mundi 3740. coniicit, Regiomontanus et Alphonsus rex ad annum 6984. protrahit; ceteri omnes chronologi aliquem ex interiectis annis sequuntur? Attamen, licet abnormis illa 3244. annorum differentia habeatur, ecquis unquam auditus est in controversiam adducere, utrum Christus aliquando fuerit, a cuius nativitate aerae illius exordium ut plurimum duci solet? Equidem ubi de re ancipiti agitur, cuius aetas quoque incerta sit, neque ullo modo cum chronologiae rationibus possit conciliari, argumentum inde deductum ad rem ipsam labefactandam nonnihil valere, non denegabo. At ubi de re ipsa constat, argumentum ex temporis incertitudine ductum nihil conficere, critici omnes fatentur. Atqui de translationis tempore statim agemus; ostendemusque, non tantam esse veterum inter se discordiam, ut non facile sit eos inter se conciliare: si qui vero ab aliis ita dissentiunt, ut conciliari non possint, eos hallucinatos fuisse demonstrare non est operosum.

---

(1) Apud Ecchardum Vet. Monum. pag. 19. Vide Cornel. loc. cit. pag. 15. — (2) Loc. cit. — (3) Vide supr. n. IV. — (4) Vide Tournemin. tab. chronol. sacr. apud Du-Hamel. Bibl. sac. tom. II. ad calcem tab. I.

CAPUT III.

QUO ANNO VENETA S. MARCI TRANSLATIO CONTIGERIT.

I. *Scriptorum dissidium in anno translationis statuendo. Potior sententia, quae annum assignat DCCCXXVIII. vel DCCCXXIX.* II. *Ostenditur ex Actis anno DCCCXXVIII. sacrum corpus Venetias fuisse delatum.* III. *Solvitur difficultas ex Actis deducta.* IV. *Nihil refert, utrum anno DCCCXXVIII. an. DCCCXXIX. translatio peracta dicatur. Nam annus Christi DCCCXXIX. usque ad VIII. kal. April. erat Venetis annus DCCCXXVIII.*

I. Ac ut ab antiquioribus exordiar, Sigibertus, ut diximus (1), ad annum Christi CDLXXI. hanc translationem refert, immani prorsus ἀναχρονισμῷ, quique nulla prorsus egeat refutatione; Sicardus vero episcopus cremonensis (2) ad annum DCCCXXIII. quam tamen temporis notam cum ipse nullo auctore solus exhibeat, vix puto quemquam futurum, qui ipsam sequatur. Nec maior fides adhibenda Vincentio bellovacensi, Iacobo de Voragine et Paullino episcopo puteolano a Dandulo (3) productis, qui illam alligant anno Christi CDLXXI. quos omnes Sigiberti gemblacensis auctoritas decepit; neque enim *epocha* illa cum recte institutae chronologiae rationibus ullo modo potest conciliari. At chronicon Sagornini, Dandulus, ac venetorum chronicorum mss. turba ingens ad annum Christi DCCCXXVIII. sive XXIX. refert; quae, ut mihi quidem videtur, certissima translati corporis *epocha* est, nec ullis omnino rationibus convelli potest. Iuverit tam Sagornini quam Danduli verba proferre. Ac prior quidem de Iustiniano Particiaco loquens, ita habet (4): *Ultimo vitae suae anno sanctissimi Marci evangelistae corpus, de Alexandria a Veneticis allatum, recipere promeruit.* Haec Sagorninus sub anno Christi DCCCXXIII. collocare videtur; siquidem ait (5), Angelum, sive ut ipse appellat Agnellum Particiacum, Iustiniani patrem, obiisse anno eius saeculi XXII., Iustinianum vero unico anno post patris mortem solum ducatum tenuisse: sed cum ex ipsius Iustiniani testamento a nobis superius allato (6) constet, illum non ante eius saeculi annum XXIX. mortuum esse, fatendum est, corpus S. Marci iuxta Sagorninum anno Christi DCCCXXVIII. aut XXIX. Venetias fuisse delatum: chronici vero illius auctorem in annis Agnelli designandis lapsum fuisse; vel amanuensium oscitantia XXII. pro XXVII. fuisse scriptum. Pari modo Dandulus in chronico (7): *Iustinianus Particiacus dux, genitore* (Angelo) *defuncto, solus ducavit anno Domini DCCCXXVII.* Deinde paullo post (8): *Secundo Ducis anno corpus S. Marci evangelistae de Alexandria translatum est Venetias:* h. e. DCCCXXIX.

---

(1) Cap. praec. n. III. — (2) Apud Murat. Script. Rer. Italic. tom. VII. pag. 580. — (3) Lib. V. cap. V. p. 28. — (4) Pag. 30. — (5) Ibid. — (6) Cap. praec. num. IV. — (7) Lib. VIII. cap. II. init. — (8) Ibid. n. V.

secundo Iustiniani anno inchoante. Addam etiam testimonium lectionum, quae in festo translationis S. Marci olim in marciana basilica legebantur, quae licet saeculo XIV. antiquiores non sint, tamen ex antiquis legendariis saeculi XII. quae in marciana bibliotheca asservantur, et eidem basilicae usui fuere, sunt descriptae. Sic itaque exorditur lectio I. secundi nocturni: *Post passionem beatissimi Marci evangelistae, transactis septingentorum septuaginta, aut circiter, annorum curriculis, anno videlicet Domini octingentesimo vigesimo octavo, Iustiniano Participatio Venetorum duce etc.* Idem vero annus DCCCXXVIII. et in responsorio ad II. lectionem tertii nocturni, et in antiphona V. ad laudes inculcatur, barbare quidem et incompte; sed ipsa barbaries antiquitatem praesefert. At ad recentiores quod attinet, Baronius in notis ad Martyrologium Romanum (1) translationem illam refert ad annum DCCCXXXI. quem Iustiniani ducis secundum existimat: ipse tamen, mutata sententia in Annalibus (2), sub anno DCCCXX. collocat, alio errore deceptus, quod Iustiniani annum secundum, Leone V. armeno Constantinopoli imperante, incidisse arbitretur. Cornelius (3) inter XIII. et XX. eiusdem saeculi annum illam ponit; nam sub Leone armeno contigisse illam pro certo habet, qui ab anno Christi DCCCXIII. ad DCCCXX. imperavit. Adhuc latius sibi tempus assumit Carlius (4), ac annos Leonis cum annis Iustiniani se nequaquam componere posse professus, illam ante medium saeculum IX. contigisse confitetur: caute ille quidem; neque enim ulla promptior suppetere potuit via, qua se ex omnibus chronologicis ambagibus expediret. At venetarum rerum scriptores Petrus et Bernardus Iustiniani (5), Sabellicus (6), Verius (7) aliique (8); Platina (9) praeterea, Sigonius (10), Pagius (11), Sagornino Danduloque subscribunt: optime illi quidem, siquidem in illo anno asserendo mirifice omnia conspirant.

II. Id autem quam verum sit, facile intelliget quicumque Acta illa, quae capite sequenti afferemus, ac certa esse ac genuina demonstrabimus, vel leviter excurrerit. Afferamus modo nonnulla ac potiora; cetera, cum Acta ipsa expendemus, suo loco allaturi. Aiunt Acta (12), id Iustiniani ducis tempore contigisse, adduntque (13): *Iustinianum ducem, cum supra beatum corpus Ecclesiam vellet construere, morte praeventum fuisse, cuius germanus Iohannes, vir Dei dilectus, ducatum suscipiens, vicem eius explevit.* Haec certe innuunt, postremo Iustiniani ducis tempore sacrum pignus advenisse Venetias; nam cum Iustinianus obierit anno Christi DCCCXXIX. si illud iam decennio ante perlatum fuisset, qui dici potuit, ducem *morte praeventum fuisse,* ne templum extrueret, cui condendo integrum decennium suppetiisset? Nec tamdiu templi illius aedificandi consilium Iustinianus distulisse putandus est; siquidem auctor Chronici Sagornini testa-

---

(1) Ad diem XXXI. Ianuarii. — (2) Ad an. Christi DCCCXX. n. XXIX. et XXX. — (3) Eccl. Ven. dec. XIII. p. I. in S. Marco pag. 21. 23. — (4) Diss. sul corpo di S. Marco cap. I. pag. 24. — (5) Apud Cornel loc. cit. — (6) Dec. I. lib. II. ad calc. — (7) Lib. I. ad ann. DCCCXXVII. — (8) Laugier lib. III. Murat. Ann. d'Ital. ad ann. 828. etc. — (9) In Greg. Pp. IV. num. CIII. — (10) De Regn. Ital. lib. IV. ad. ann. DCCCXXVIII. — (11) Ad ann. DCCCXX. n. IX. — (12) Num. I. — (13) Num. XIX.

tur (1), illum, statim ac *tantus thesaurus* Venetias delatus est, *in sui palatii angulo peragere fecisse capellam, ubi reconditus posset reservari, interimque esset Ecclesia expleta, quam idem dompnus* (sic) *inchoavit: sed praeventus morte, Iohannes, suus videlicet frater, ad finem perduxit.* Ex quibus verbis colligitur, Iustinianum, sacro pignore suscepto, statim de Ecclesia extruenda cogitasse, eique condendae manum admovisse; sed morte praeventum eandem Iohanni fratri suo perficiendam reliquisse. Porro Galliciolius ex antiquo chronico ostendit (2), Iustinianum ducem anno DCCCXXIX. *tabulas obsignasse, quibus aream Ecclesiae illi aedificandae opportunam a monialibus S. Zachariae certo pretio acquisivit, eiusque fratrem Iohannem aedificium anno sequenti explevisse, atque consecrandum curasse.* Expletum vero tam brevi temporis spatio fuisse, eo quod pro illius aetatis more (3) non iam lapideo aut latericio opere extructum esset, sed asseribus tantum magna ex parte trabibusque constaret. Si itaque nonnisi anno DCCCXXIX. Ecclesia illa extrui coepit, et tamen vix recepto corpore de illa extruenda cogitavit Iustinianus, apertum est, illud anno Christi DCCCXXVIII. Venetias allatum fuisse. Aliud vero eiusdem rei argumentum Acta ipsa exhibent, eo ipso quod ubique solum Iustinianum commemorant; nec ullam unquam Angeli Particiaci patris eius mentionem iniiciunt. Sic (numero X.) Bonus et Rusticus Stauratium et Theodorum, sacri pignoris custodes alexandrinos, alloquentes, aiunt, se, ubi Venetias appulerint, *adducturos se illos ad dominum nostrum Iustinianum, egregium ducem, virum illustrem, sanctorumque amatorem etc.* Iterum iidem (num. XVIII.) cum Humacum Histriae urbem adventassent, scientes, *quia Iustinianus dux eorum vehementissime contra illos erat iratus, pro eo quod iussionem suam repudiantes, ad Alexandriam ire praesumpserant,* legationem ad ipsum veniam rogaturi mittunt; totumque negotium transigunt cum ipso solo. Accepta venia, urbem ingrediuntur; nec praeter Iustinianum dux alter in tota illa narratione memoratur. Haec porro quid indicant, nisi Iustinianum solum per ea tempora ducalem thronum tenuisse? Nam si id tunc contigisset, cum Iustinianus in eius dignitatis societate a patre susceptus, cum illo dominabatur, ecquis putet, potiorem filii quam patris auctoritatem fuisse, ita ut solus filius, non item pater in Actis recenseretur? Nonne utriusque nomen commemorari oportuit, aut si alterum silentio erat praetereundum, filium potius praetermittere decuit quam parentem? quis itaque non videat, haec omnia, Angelo iam e vivis sublato, ac Iustiniano solo ducatum tenente, evenisse? atqui, ut diximus, obiit Angelus anno Christi DCCCXXVII. Iustinianus vero anno DCCCXXIX.; fit inde, ut nonnisi anno DCCCXXVIII. aut XXIX. translationem illam peractam fuisse arbitremur. Nam ne id anno ipso emortuali Angeli ducis, hoc est XXVII. evenisse credamus, facit ipsa Actorum auctoritas, ex quibus constat, venetos mercatores, qui sanctum corpus attulere Venetias, post Angeli mortem discessisse; nam, ut vidimus, nonnisi Iustinianum ducem, aegyptios custodes alloquentes, commemorant; quorum itineri

(1) Pag. 31. — (2) Mem. Venet. lib. II. cap. XI. n. 923. Vide etiam n. 936. 937. et lib. II. n. 104. — (3) Gallic. loc. cit. lib. I. n. 278. lib. II. n. 104.

cum satis amplum temporis spatium tribuendum sit; iam pronum est intelligere, non ante annum DCCCXXVIII. reverti potuisse. Addunt eadem Acta (1): *Ursum olivolensem episcopum* sacris lipsanis urbem intrantibus obvium ivisse etc. Porro Ursus Ioannis Particiaci filius olivolensem cathedram tenuit, Dandulo et Sagornino testibus, annis XXXII. ac anno Domini DCCCLV. e vivis excessit; quo fit ut non ante annum DCCCXXIII. consecratus fuerit, ac proinde Cornelii hypothesis corruat, qui ante annum eiusdem saeculi XX. sanctum Marci corpus Venetias allatum tuetur; nam eo tempore non iam Ursus, sed Christophorus quidam graecus olivolensem cathedram obtinebat (2). Si autem post annum eius saeculi XXIII. S. Marci translatio necessario differenda est, iam nihil causae est cur receptam anni DCCCXXVIII. *epocham* relinquamus. Quod enim Cornelium ceterosque movit, ut annum illum reiicerent, id ipsum cuilibet Ursi anno et Iustiniani ducis aptari potest.

III. Nam idcirco a recepta ceterorum traditione recessit Cornelius, quod annus ille cum Leonis V. armenii imperio nequeat conciliari; quo regnante corpus S. Marci Venetias advectum Acta ipsa translationis persuadere videntur. Ita enim habent: *Cum Saraceni universam Aegyptum et Alexandriam invasissent, Leo deinde romanum adeptus imperium per diversas partes regni sui iussit, ut nullus omnino ad terram Aegypti negotii causa pertingeret. Cuius videlicet iussio, dum circumquaque pervolitans, Veneticis quoque delata fuisset, Iustinianus, qui eo tempore dux Venetiae erat, Imperatoris statuta confirmans, idipsum omnimodo suis praecepit. Sed cum, ut solitum erat Veneticis loca mercationis frequenter exquirere, quidam ex eis etc.* Cum itaque ex his verbis erueret Cornelius, translationem Leone imperante factam fuisse, idcirco illam ante annum DCCCXX. retraxit, quo anno Leonem a Michaele Balbo interfectum tradunt historici (3). At si Cornelius universa Acta paullo attentius excussisset, profecto animadvertisset, reliqua omnia, quae in illis exhibentur, huic hypothesi repugnare; nec iam Dandulum et Chronicon Sagorninum vel invitos in suas partes trahere conatus esset; sed Acta illa et cum semetipsis et cum Sagornino et Dandulo conciliare adlaborasset. Hos enim inter se in anno DCCCXXVIII. adsignando convenire, dubitari non potest. Uterque enim (4) corpus sub Iustiniano Venetias translatum dicit, nulla facta Angeli ducis mentione, qui tamen, si res sub Leone peracta fuisset, nullo modo erat praetermittendus: uterque rem narrat post relatam Angeli mortem; quod in chronico opere, quale ab utroque exaratur, magnopere est animadvertendum; cum nonnisi imperitissimi chronologi esse possit, ita rerum ordinem permiscere, ut quae sub aliquo principe evenere, ea post eius obitum sub eius successore referantur. Quin imo Sagorninus aperte docet, id evenisse *ultimo Iustiniani ducis anno*, non iam Leone, sed *Michaele imperante*. Dandulus vero cum ait, *secundo Iustiniani anno corpus san-*

(1) Num. XVIII. — (2) Vide Ughell. Ital. Sacr. tom. V. in Patriarch. Venet. n. III. et IV. — (3) Zonar. et alii apud Le-Beau lib. LXVIII. n. XXII. — (4) Sagorn. pag. 30. Dandul. lib. VIII. cap. II. n. 6.

cti Marci evangelistae de Alexandria fuisse translatum, non iam intelligit, *annum secundum* Iustiniani cum Angelo patre regnantis; id enim si voluisset, annos etiam Angeli posuisset; sed *annum secundum*, ex quo solus regnare coeperat, qui omnino est Christi DCCCXXVIII. aut XXIX. Cum itaque translati corporis annum Dandulus et Dandulo longe vetustior Sagornini Chronici auctor tam aperte constituant; illis vero Acta ipsa consentiant, ut ostendimus, quae, dum Ursum episcopum commemorant, translationem illam post Leonis interitum peractam fuisse demonstrant; profecto fatendum est, nullam prorsus esse causam cur a recepta venetorum historicorum sententia in anno illo assignando recedamus. Quod si illum ipsum Actorum locum, qui Cornelium tam vehementer commovit, expendamus; videbimus nihil in illo esse, quo id quod Cornelio tantopere placuit, confici possit: siquidem aiunt: *Leonem imperatorem iussisse, ut nullus omnino ad terram Aegypti negotii causa pertingeret; Iustinianum vero imperatoris statuta confirmasse.* Iusserit id Leo ante annum DCCCXX. per me licet; confirmarint hoc Angelus et Iustinianus, qui per ea tempora Venetorum rempublicam communi ducatu administrabant; non inde tamen sequitur, statim post decretum illud promulgatum Venetorum naves Alexandriam appulisse; nec id ut existimemus, cogunt auctorum verba quae sequuntur. Itaque Iustinianus et Angelus, Leone adhuc vivente, legem illam constituere; naves vero venetae, Leone et Angelo e vivis sublatis, sacrum thesaurum advexere. Quod si nullam Angeli mentionem iniiciunt Acta, id ex eo repetendum, quod cum rei gestae series universa sub Iustiniano contigerit, nihil attinebat Angelum commemorare, cum lex illa tam ab Angelo quam a Iustiniano esset promulgata. Nil porro mirum, legem illam tot annos in suo robore perstitisse, cum quae causae Leonem impulere ut ipsam ferret, eaedem Michaelem Balbum et Theophilum Leonis successores permovere potuerint, ut eandem confirmarent. Nam Leo grammaticus refert sub Michaele (1): *Cretam, Siciliam et insulas Cycladas a romano imperio rescissas ab Afris Arabibusque fuisse;* ac quamvis Cedrenus (2), Zonaras (3), Georgius monachus (4), Simeon magister (5) et Constantinus porphyrogenneta (6) id *Agarenis* ex Hispania profectis tribuant, quia tamen praeter Leonem grammaticum, Georgius quoque, Simeon et Zonaras Agarenis adiiciunt *Arabes*, videntur et hi profecto in illa Hispanorum expeditione consociatis armis militasse. Quod idcirco etiam probabile existimo, quod certum est, per ea tempora Arabas ipsos et Aegyptios mahumedanos adversus Michaelem bellum gessisse, cuius rei testes iidem prorsus scriptores afferri possunt (7). Narrant siquidem, cum Thomas quidam adversus imperatorem rebellasset, ac imperii insignia suscepisset, *ingentem ex Agarenis exercitum collegisse, nec ex illis dumtaxat qui ro-*

---

(1) Ἀσχολουμένου δὲ τοῦ Μιχαήλ..... Κρῆτη καὶ Σικελία, καὶ αἱ καλουμέναι Κυκλάδες νῆσοι τῆς τῶν Ρωμαίων ἀρχῆς περιηρέθησαν ἐξ Ἀφρῶν τε καὶ Ἀράβων κ. τ. λ. Leo gram. Chronog. pag. 448. Ed. Par. — (2) Tom. II. pag. 508. — (3) Tom. II. pag. 139. 140. — (4) Pag. 613. — (5) Pag. 413. 414. — (6) De admin. imp. cap. XXII. pag. 75. — (7) Zonar. tom. II. pag. 136. Contin. Const. porphyrog. lib. II. n. 12. Simeon. magist. pag. 412. Leo gram. pag. 448. etc.

mano imperio finitimi erant, sed etiam ex remotioribus, Aegyptiis scilicet, Indis, Persis, Assyriis, Armeniis, Chaldaeis, Iberis, Zechis, Cabiris etc. ita ut nugari dicendus sit Carlius, qui (1) rem omnem permiscens conatur ostendere, ab anno Christi DCCCXIII. ad annum DCCCXXXII. nullum inter Graecos Imperatores et orientales Mahumedanos belli dissidium intercidisse. Quid igitur mirum, legem a Leone latam, a Michaele et Theophilo imperatoribus fuisse firmatam, eandemque ad annum usque eiusdem saeculi XXIX. viguisse etiam apud Venetos, qui ut plurimum Graecis Imperatoribus in rebus huiusmodi gratificari consuevere? Nihil igitur contra receptam Venetorum sententiam deduci ex Actis potest, quae non iam S. Marci corpus Venetias Leonis imperatoris tempore translatum tradunt, sed legem tantum sub Leone editam de mercibus Alexandriam minime convehendis. Quae tamen etsi id, quod Cornelius existimat, aperte traderent, nihil nobis tamen officerent, cum quod initio de Leone docuissent, id deinde tam evidenter convellerent. Cum autem, hoc posito, necesse esset illa in alterutro errare, in quo potius mentiri putanda essent? in eo ne quod Iustiniano duce, Urso vero episcopo, translationem factam dicerent, Sagornino et Dandulo consentientibus, an in eo potius quod illam sub Leone peractam docerent? Certe in hoc postremo falli dicenda essent, cum de Iustiniano data opera loquerentur, et quae de ipso dicerent ex recenti Venetorum traditione docerent; cum ex adverso de Leone nonnisi obiter agerent, eique fortasse per errorem legem illam tribuerent, quam primum quidem Leo ipse promulgarat, sed Iustiniani ducis tempore Michaelis et Theophili imperatorum auctoritate firmata erat.

IV. Stat igitur, S. Marci corpus anno Christi DCCCXXVIII. sive DCCCXXIX. Venetias fuisse translatum; neque enim utri ex duobus anno adscribi debeat omnino constat. Si quid tamen hoc loco coniecturae tribuendum est, illam potius vigesimo nono, quam vigesimo octavo assignarem. Nam licet vigesimum octavum praeseferant, ut plurimum, antiqua monumenta, animadvertendum est, Venetos tunc temporis annum a die XXV. Martii inchoasse, quod anni exordium *ab Incarnatione Domini* appellari consuevit. Itaque licet annus communis a kalendis Ianuarii inciperet, apud Venetos tamen Ianuarius ipse, Februarius et maxima Martii pars anno praecedenti accensebatur, ac proinde dies XXXI. Ianuarii, quo translatio illa peracta est (2), apud ceteros quidem ad annum DCCCXXIX. referebatur, apud Venetos vero ad annum DCCCXXVIII. quibus alter ille annus nondum inceperat. Morem hunc, qui usque ad reipublicae excidium perduravit, et apud alias etiam gentes obtinuit (3), viguisse apud Venetos saeculo IX. pluribus ostendit Galliciolus (4), ac rei testem profert Ursum ipsum olivolensem episcopum, quo de superius locuti sumus, qui illa anni forma utitur in testamento suo, quod anno Domini DCCCLIII. kalendis Februarii obsi-

(1) Diss. sul corpo di S. Marco cap. I. pag. 17. et seqq. — (2) Vide Acta n. XIX. — (3) Vide Du Cange Gloss. Med. et Infim. Latin. Voc. *Annus*. — (4) Memor Ven. lib. I. cap. XI. n. 434.

gnavit, Michaelis imperatoris anno XIII. qui revera annus est Christi DCCCLIV. Quare cum historici nostri translationem colloçant sub anno DCCCXXVIII. de anno *ab Incarnatione* veneto more loquuntur, cum tamen more communi XXIX. eius saeculi annus iam incepisset.

CAPUT IV.

ACTA TRANSLATIONIS CORPORIS S. MARCI.

I. *Praefatio in Acta, quae ipsa adversus Tillemontium tuemur.*
II. *Acta ipsa afferuntur.*

I. Quae modo exhibemus Acta translationis corporis S. Marci, ea omnium primus, ut diximus, Baronius vulgavit (1) ex codice vaticano, iterumque ex eodem codice ad diem XXV. Aprilis bollandiani socii edidere. Codicem illum saeculo XI. exaratum Fontaninus (2) asseruit; cuius auctoritas, utpote oculati testis et rei antiquariae peritissimi, ipsa per se Tillemontii coniecturam evertit (3), qui nonnisi saeculo XIII. Acta illa conflata esse suspicatur. Sed quia coniecturae suae momenta nonnulla proponit laudatus auctor, iuverit illa breviter expendere, ut Actorum ipsorum sinceritatem et antiquitatem tueamur. Duo igitur opponit: primum (4), Acta illa *nullum antiquitatis indicium praeseferre; sed tam inepte et illepide esse conscripta, ut historiolam pro arbitrio confictam exhibere videantur.* Alterum (5), *videri ipsa partem esse alterius historiae, quae incipit:* In ipsa Ecclesia etc. *ubi cum FF. Praedicatorum mentio occurrat, ante saeculum Christi XIII. exarari non potuere.* Verum ad primam difficultatem quod attinet, tantum abest, ut nullam Acta illa antiquitatis speciem exhibeant, ut ipsa illa incondita scribendi simplicitas, quam tantopere vellicat Tillemontius, rude atque inconditum illius aetatis ingenium sapiat, qua illa scripta arbitramur; saeculi scilicet Christi IX. Id cum pluribus indiciis ostendemus in adnotationibus, tum ex eo etiam patet, quod de aegyptiae Ecclesiae per ea tempora conditione et moribus, de alexandrino S. Marci sepulcro, aliisque huiusmodi rebus ita loquuntur, ut nunquam ab historiae veritate discedant: quod quidem in tanta orientalium rerum ignoratione ab eo tantum praestari potuit, qui vel ipse quae refert suismet oculis usurpasset, vel ab oculatis testibus accepisset. Nam saeculo XII. aut XIII. quotus quisque inter latinos fuit, qui sciret S. Marci Ecclesiam Alexandriae iuxta mare fuisse (6); Arabes saeculo Christi nono palatia atque domos splendidissimas apparatu regio sibi extruere, atque ablatis chri-

---

(1) Ad ann. DCCCXX. n. XXX. — (2) Cicogn. Diss. sullo scopr. del Corpo di S. Marco p. 17. — (3) In S. Marco nota XIII. — (4) Vid. eius verba supr. cap. II. n. IX. — (5) *Il semble mesme qu'elle fasse partie d'une autre histoire, qui parle des Jacobins:* In ipsa Ecclesia etc. *et ainsi elle n'aura pas esté écrite avant le XIII. siècle.* — (6) Act. n. II.

stianorum templorum marmoribus exornare consuevisse (1); templum S. Marci tunc temporis non iam apud Coptitas, quibus illud deinde cessit (2); sed apud Graecos orthodoxos fuisse; eius sepulcrum quadrato marmore compactum, lapidibus invicem insertis (3), aliaque huiusmodi? Haec certe latinum hominem fabulam suam saeculo Christi XII., aut XIII. cudentem nequaquam produnt, qui pro ea, quae semper fuit huiusmodi veteratorum, imperitia rem universam ad latinae Ecclesiae et aetatis suae mores accomodasset, ac minuta haec rei adiuncta omnino ignorasset; sed hominem potius ab iis edoctum, qui ipsi rei interfuissent: neque enim qui haec nosset, praeter illos, quispiam fortasse apud latinos tempestate illa fuisset. Itaque genuina profecto et antiqua Acta illa habenda sunt; cum nullo modo per illam aetatem tam accurate et sapienter confingi possent. Quod si Cornelius (4) interpolata aliqua ex parte illa arbitratur, *ac ex scriptorum arbitrio additiones et variationes in decursu passa fuisse;* haud me profecto habet suffragatorem. Nihil enim in illis occurrit quod non cum ceteris partibus omnino cohaereat, nihil quod non nativum illum candorem aureamque simplicitatem referat, quae saeculum illud maxime sapit; ipsaque mutua venetorum mercatorum et alexandrinorum custodum colloquia, quamvis aliqua ex parte fortasse ab Actorum scriptore pro historicorum more amplificata, nihil habent quod non eius aetatis ingenio apprime conveniat. Quod vero ad alteram Tillemontii difficultatem attinet, fallitur ille quidem basilice, si Acta illa priorem partem fuisse existimat alterius historiae, illius nempe quae incipit: *In ipsa Ecclesia etc.:* quae cum ordinis FF. Praedicatorum mentionem iniiciat, non ante saeculum XIII. quo ordo ille ortus est, conscribi potuit; siquidem in hac sua coniectura magnus alioquin criticus multa peccat. Nam primum Bollandiani, qui historiam illam: *In ipsa Ecclesia etc.* edidere (5), cuinam ipsa tribuenda esset optime monuere, praemisso titulo: *Ex libro ms. Petri Calo,* qui titulus nescio quo fato Tillemontium fugit. Fuit autem Petrus Calo dominicanae familiae alumnus, floruitque circa annum MCCCXXX. ita ut historia illa non iam ad XIII. saeculum, sed ad XIV. referenda sit. Scripsit autem Calo ingens opus *De Vitis Sanctorum,* cuius exemplar in marciana bibliotheca (6) servatum sex magnae molis volumina complectitur, in quae omnia, quae ex variis legendis et antiquis scriptoribus de hac re hinc inde corrasit, nullo delectu atque iudicio congessit. Quae itaque de inventione corporis S. Marci in historia illa: *In ipsa Ecclesia etc.* Bollandiani dedere (7), ea ex vita S. Evangelistae ab eodem Calo concinnata, deducta sunt; ubi cum etiam eius translationem retulisset, aedificatamque a Venetis eius nomine Ecclesiam longe magnificentissimam; tum ad inventionem sacri corporis, quod iamdiu latuerat, gradum faciens: *In ipsa,* inquit (8), *Ecclesia pulcro schemate, auro et marmoribus decorata,* et cetera, quae apud Bollandianos sequuntur.

---

(1) Ibid. n. III. — (2) Ibid. n. IV. vide supr. cap. I. n. VIII. — (3) Act. n. XI. vid. supr. cap. I. n. II. — (4) Dec. XIII. in S. Marco pag. 11. — (5) Ad diem XXV. Aprilis. — (6) Class. IX. Codd. Latin. n. XVI. et seqq. — (7) Vide Cornel. Dissert. Epist. de Corpore. — (8) Inter Codd. mss. latinos Marcianae Bibl. Clas. IX. cod. XVII. pag. XIX. terg. col. 2.

Quid igitur huic laciniae commune cum Actis translationis a Baronio et Bollandianis vulgatis? Quamquam etsi nomen Petri Calo non apposuissent Bollandiani, ex ipso illarum scriptionum stilo id perspicere debuisset Tillemontius. Nam Acta quidem simplici quodam nitore atque ingenuo scriptorem exhibent longe antiquiorem: ex adverso ipsa Petri Calo ubertas, et rudis quidem, sed tamen sese efferens ac paene exultans oratio, hominem prodit recentiorem, ac mira quaeque et stupenda nimio studio sectantem. Adde, Acta ipsa apud Baronium et Bollandianos ita concludi, ut plane constet, nihil illis deesse; nec laciniam illam tam abrupte incipientem, ullo modo adsui illis posse: quod Tillemontium non pervidisse, maxime mirabitur quicumque quanta eius in hisce rebus peritia fuerit non ignorabit.

II. Nunc vero, magni illius critici momentis elevatis, Acta ipsa afferamus; ubi lectores humanissimos monitos volo, numerales notas, quas identidem sparsas invenient, adnotationum numeros respicere, quas capite sequenti in eadem Acta trademus; nam ne illas ad paginae oram apponerem, nonnullarum prolixitas in causa fuit.

I. Cum Saraceni universam Aegyptum et Alexandriam invasissent (1), *Leo deinde Romanum adeptus Imperium* (2), *per diversas partes regni sui iussit, ut nullus omnino ad terram Aegypti negotii causa pertingeret* (3). *Cuius videlicet iussio cum circumquaque pervolitans, Veneticis quoque delata fuisset* (4), *Iustinianus, qui eo tempore dux Venetiae erat* (5), *Imperatoris statuta confirmans, idipsum omnimodo suis praecepit* (6). *Sed cum, ut solitum erat Veneticis* (7) *loca mercationis frequenter exquirere, quidam ex eis, navibus oneratis, cum trans mare pergere vellent, profundaque pelagi navigantes incederent, divino factum est nutu, ut flante congruo vento, quod sponte agere propter metum Principis* (8) *non audebant, veluti inviti ad Alexandriam ducerentur.*

II. In diebus autem illis regulus (9) *quidam nefandae gentis Saracenorum, dum ad urbem, quae ex nomine civitatis antiquae Babylonia* (10) *vocitatur, palatium sibi construere vellet* (11), *Deo sibi contrario, iussit, ut ubicumque in terra Aegypti columnae marmoreae, sive tabulae, tam in Ecclesiis* (12), *quam in vulgaribus* (13) *essent repertae, ob pompam fabricae, quam parabat, ad eum ducerentur. Unde factum est, ut dato impietatis decreto, etiam de alexandrinis Ecclesiis lapides tollerentur. Cumque Venetici apud eandem urbem negotiis insudarent, moramque aliquandiu facerent; consuetudinem sibi fecerunt, ut beatissimi Marci corpus quotidianis orationibus frequentarent* (14); *muneribusque sive oblationibus eum pro suis delictis intercessorem expeterent. Locus enim ipse in proximo erat* (15).

III. Porro Veneticorum naves, quae Deo trahente advenerant, decem erant, in quibus erant pariter omnes nobiles viri, inter quos erant clarissimi Bonus Tribunus (16) *metamaucensis et Rusticus torcellensis. Isti dum causa quotidianae orationis apud custodes Ecclesiae B. Marci locum familiaritatis sibi adesse inspicerent, quadam die videntes eos tristes, primum quidem compati, et condolere eis coeperunt de saraceni reguli iussu, qui marmoreas tabulas vel columnas auferri praeceperat. Nam et custodes propterea tristes erant, quia timebant ne ministri illius impii reguli illud B. Marci Ecclesiae facerent, quod locis ceteris faciebant. Deinde*

vero inter eadem verba compassionis, Domino inspirante, Bonus et Rusticus dixerunt (17): *Quare in tantum tristamini Christi servi? quare plus solito animus vester affligitur? Ecce videmus, quod impii reguli persecutio etiam sacratissimis locis infesta est, quae non solum vobis, sed cunctis in Christo credentibus magni doloris tristitiam generat. Sed quid contra haec agere possumus, cum Dominus ipse praedixerit fidelibus, persecutiones innumeras esse futuras? Unde si secretum possetis custodire, aut placeret vobis consilium nostrum, hortaremur utique illud vos facere, per quod securi a perfida ista gente essetis, et in honoribus maximis viveretis.*

IV. Erant sane duo custodes isti, cum quibus loquebantur haec; quorum unus, Stauratius nomine (18), *monachus erat* (19); *alter vero Theodorus sacerdotii fungebatur honore. Porro et alii eiusdem Ecclesiae erant custodes, sed isti plus ceteris eminebant. Et quia ambo ex Graecorum genere erant, Theodorus presbyter uxorem habebat et filios, quem etiam Bonus Tribunus compatrem* (20) *fecerat ob eam maxime causam, ut verba quae suadebat, in eius aures facilius intromitteret. Respondentes itaque ambo Stauratius et Theodorus dixerunt: Secretum erit in corde nostro; tantum dicite quod vultis, et si gratissimum esse probaverimus, plane quia faciemus. Qui dixerunt: Tollite corpus B. Marci, et ascendentes occulte navim, venite nobiscum ad terram nostram.*

V. At illi primum dure accipientes dixerunt: Quid est quod dicitis? numquid super angustiam, quam habemus, mortem nobis inducere quaeritis? Quis etenim ex nobis vel cogitare audeat, ut faciat rem istam grandem, et illud reverentissimum corpus, quod veneratur in terra Aegypti, alienis hominibus tradatur? An forsitan nobis incognitum manet, quod idem B. Marcus Evangelium, quod Petro dictante scripserat, ipso quoque iubente in hac provincia praedicaverit (21), *alexandrinosque cives, qui idolis serviebant, per fontem baptismi Iesu Christi Domini nostri adoptionis filios fecerit? unde et merito tamquam revera sanctissimus Pater* (22) *ab omnibus veneratur. Et quomodo fieri poterit, ut urbem Alexandriam, quae propter eum toto in orbe praeclara est, tanto quis audeat privare patrono? Sed etsi faceremus adversus animam nostram audacter, nequaquam hoc plebem latere potuisset* (forte *posset*); *et tunc apprehensi, per multorum generum poenas occideremur, et essemus in opprobrium omnium.*

VI. Bonus et Rusticus dixerunt: Si de praedicatione eius tractandum est, scimus quia primum Aquileiam (23) *civitatem Italiae duxit ad fidem, quae sita est in provincia illa, quae ex antiquo Venetia nuncupatur, de qua nos orti sumus. Ergo nos sumus primogeniti filii eius* (24), *qui primum ab eo per Evangelium geniti sumus. Unde et credi potest, ut filios suos, quos alios acquisiturus reliquerat, multa post tempora vel mortuus videns gaudeat; et forsitan, ut speramus, ideo nos Dominus huc velut invitos adduxit, ut nobis eundem nostrum sanctissimum Patrem restituat; nam certe ad aliam regionem ire voluimus.*

VII. Stauratius et Theodorus dixerunt: Sufficiat vobis, quod sedem eius habetis (25): *ceterum autem rem difficilem postulatis. Quis enim sciat, si placet Domino istud quod dicitis? vel quis dicere poterit, quod suum corpus B. Marcus vel tangere dimittat? Unde cessate iam talia dicere, quae scimus nullo modo fieri posse. Et tamen dicamus, ut fieri potuisset; de nobis quid ageretur? Si dato corpore hic re-*

maneremus, diversis poenis a plebe occideremur: sin autem vobiscum in navim ascenderemus, haberemur utique tamquam captivi ad terram, quam ignoramus. Quapropter multo magis nobis melius est hic manere, et persecutionem sufferre, quam novis rursus angustiis subiacere. Nam et Dominus dicit (a): *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam; et iterum* (b): *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.*

VIII. Bonus et Rusticus dixerunt: Ista quae dicitis vera sunt; sed tamen in alio loco Dominus item dicit (c): *Cum persecuti fuerint vos in civitate una, fugite in aliam. Quam admonitionem multi Sanctorum secuti sunt, etiam, sicut audivimus, hic beatissimus Marcus implevit* (26), *quando, persecutione fervente, ab Alexandria exivit, et secessit Pentapolim. Unde quia Deo omnipotenti et ipsi beato Evangelistae hoc credimus complacere; humanus timor vos non terreat, quia ubi Deus adiutor est, humana temeritas nihil potest.*

IX. Stauratius et Theodorus dixerunt: Temeritas ista, quamvis nobis angustiosa sit propter Ecclesiae lapides, qui tolluntur; tamen portari potest; quia in nostris membris Pagani isti aliquam laesionem non inferunt. Haec et his similia illis per aliquot dies occulte loquentibus; tandem divina gratia respirante (scil. *inspirante,* vel *adspirante*) *Stauratius et Theodorus, quod verbis audierant, animo conceperunt. Cumque ab invicem recessissent, ecce Stauratio nuntiatum est, quod ministri illius pagani reguli, cuius memoriam fecimus, unum ex custodibus eiusdem Ecclesiae crudeliter flagellassent. Siquidem fuerat in eadem Ecclesia tabula marmorea nimis pretiosa, et timens custos ne tolleretur a Saracenis, abiit et confregit eam in loco ubi stabat. Quod cum ministri reguli comperissent, apprehensum custodem flagellis condemnaverunt. Haec igitur audientes Stauratius et Theodorus, timore perterriti miserunt et vocaverunt Bonum Tribunum et Rusticum, dicentes: Pertractavimus inter nos de causa quam expetistis; et licet nesciamus uti Domino placeat, tamen intravit in cor nostrum, ut illud sanctissimum corpus tollentes egrediamur vobiscum. Nunc ergo volumus scire, quid erit nobis, dum ad vestram provinciam venientes, magnum thesaurum adduxerimus.*

X. Bonus et Rusticus dixerunt: Cum, Deo auxiliante, illuc pervenerimus, vita comitante, perducemus vos ad dominum nostrum Iustinianum, egregium ducem, virum illustrem, Sanctorumque amatorem. Cui dum fuerit nuntiatum, protinus mente gavisus venerabile corpus suscipiet, et Ecclesiam construens, cum honore dedicabit; vosque eritis in oculis eius ultra quam credi potest dilecti, et primi in ordine sacerdotum, quemadmodum hic fuistis in ordine ministrorum. Custodes dixerunt: Quomodo credere possumus? Bonus et Rusticus dixerunt: Dominus testis sit. Tunc statuerunt diem, in qua advenientes sanctissimum corpus susciperent.

XI. Cumque statuta dies venisset, euntes praedicti custodes aperuerunt occulte sepulcrum, quod erat ex marmore (27), *habens veluti incrustaturas* (forte *incastraturas*) *per latera in modum capsellae, per quas tabula desuper erat inducta. Iacebat autem*

(a) Matth. V. 10. — (b) Matth. X. 22. — (c) Matth. X. 23.

beatum corpus undique circumdatum chlamyde serica (28), *et positum resupinum, habens a capite usque ad pedes sigilla imposita per ea loca, quibus orae eiusdem chlamydis desuper iungebantur. Cumque quid agerent ignorarent, tandem praecipuum invenerunt consilium. Vertentes igitur corpus, sciderunt a dorso chlamydem, ut salva signa quae fuerant remanerent, et adducentes B. Claudiae* (29) *corpus, quod erat in proximo tumulatum, in loco B. Marci reposuerunt simili modo supinum, et chlamyde circumdantes, sigillorum quoque impressiones in pectore statuerunt, ut si fortuito diceret aliquis, quod corpus B. Marci furatum esset; chlamydis signa, quae ibi remanserant, verum non esse ostenderent.*

XII. Tanta igitur, sublato corpore (30), *odoris fragrantia emanavit* (31), *ut non solum Ecclesia, vel circuitus eius, sed etiam tota civitas Alexandria repleretur. Commoti cives christiani ac pagani dicebant: Quid est hoc? alii dicebant: Nescimus. Alii vero dicebant: Videamus ne forte a nautis illis veneticis corpus B. Marci furetur. Concurrentes ergo ex urbe, ad eandem Ecclesiam pervenerunt, et aperientes sarcophagum, viderunt corpus B. Claudiae chlamyde involutum, signaque salva. Quod cum vidissent, creduli facti quod B. Marci corpus ibi iaceret, sedato tumultu ad propria remearunt.*

XIII. Porro Venetici, quorum iam saepe memoriam fecimus, cum ibi laterent, tulerunt corpus, et submittentes in sportam (32), *operuerunt illud ex foliis olerum, ac desuper carnes porcinas imposuerunt. Cumque ad navim pergentes incederent, accedebant Saraceni, qui obviabant, ut cernerent quod portabant. Sed cum viderunt carnem porcinam, quam ipsi abominantur* (33), *clamabant dicentes:* Canzir, Canzir, *id est* Porcus, Porcus; *et expuentes elongabantur. At vero illi pertranseuntes venerunt ad rupem, quae proxima mari erat* (34), *et doponentes cum funiculis sportam, miserunt in scapham, et perduxerunt ad navim* (35); *quam cum intrassent, extrahentes beatum corpus de sporta, absconderunt illud in pannis velorum; timebant enim ne perscrutata navi ab Alexandrinis inveniretur* (36). *Cumque venisset dies egressionis eorum, Stauratius monachus occulte abscedit cum illis. Theodorus vero timebat; timens plebem, quae stabat ad littus, remansit ibi, habens iam supellectilem suam navi impositam. Erat etiam quidam monachus ibi, Dominicus nomine* (37), *cumaclensis; qui fultus amore divino eodem tempore fuerat Hierosolymis, qui et ipse ascendit cum illis. Cum ergo ab Alexandria recessissent, tulerunt Venetici sanctum corpus de velis, in quibus illud absconderant, et sub solario navis dignissime locaverunt, accendentes lucernas, et thymiama assidue inferentes. Dominicus vero monachus cum Stauratio diuturnis officiis iugiter insudabat. Multa inter haec signa per S. Marcum Dominus, dum adducitur, operatus est.*

XIV. Quadam etenim die dum omnes pariter illorum Veneticorum naves velificantes incederent, et causam reliqui ignorarent, dixerunt nautae B. Marci ad quosdam, qui erant in alia navi: Nescitis quod est factum? qui dixerunt: Quid? aiunt illi: Vere nos corpus B. Marci portamus. At illi dixerunt: Et quomodo istud fieri potuit? Cumque illi exponerent ordinem rei, quidam ex illis irridens ait: Forsitan alicuius aegyptii corpus vobis datum est (38), *et dicitis quia S. Marcum portamus. Quod cum dixisset, protinus navis illa, in qua beatum corpus iacebat, tanta celeritate conversa, quanta nullus hominum vertere potest, insurrexit adversus eam, in qua*

vir ille erat, partemque lateris eius confregit, nec prius ab illa recessit, quamdiu omnes confiterentur, beatum ibidem Marcum iacere.

XV. Deinde cum nocte quadam tempestas adesset (39), *navesque illae cursu velocissimo ducerentur, ac nautae nescirent quo pergerent propter tenebras noctis; venit beatus Marcus in somnis Dominico monacho, dicens: Surge, et dic hominibus istis, ut citius vela deponant, ne patiantur naufragium, quoniam terra non longe est. Quod cum monachus surgens dixisset, illico velis depositis, cum iam aurorae instaret crepusculum, ecce apparuit insula quaedam, Stroalia* (40) *nomine, quam beatissimus Marcus adesse praedixerat. Tunc omnes pariter fidem dantes, reverentissime eius corpus solertiori studio venerari coeperunt, creduli facti et congaudentes, quod Marcum evangelistam habere meruerunt. Erat tamen apud illos occultum, atque decreverant, ne ullus omnino cuiuslibet regionis rem istam cognosceret. Timebant enim, ne illis beatum corpus per vim tolleretur ab aliquo* (41).

XVI. Sed quia Dominus tantum suae lucernae lumen lucere voluit coram hominibus; multis per proxima maris loca degentibus, qui causam penitus nesciebant, dignatus est revelare, quod sui Martyris intra navim luciflua membra quiescerent. Qui ex diversis locis advenientes, dum navis ad portum vel littora regionum accederet, postulabant dicentes: Revelatum est nobis a Domino, quod B. Marci evangelistae corpus habetis; unde divino amore precamur, ut nos ad eum orare sinatis. Qui cum ingrederentur, fusis ad eum orationibus, positisque muneribus, cum timore revertebantur, dantes gloriam Deo, atque dicentes Veneticis: O quam beati estis, qui talem Sanctum habere meruistis!

XVII. Sed cum (ut plerique stultorum ex tali re dubitare diutius solent) quidam ex nautis nequaquam B. Marci, sed cuiuslibet alius corpus portare se diceret; volens omnipotens Deus ipsius duritiam coarguere, eumque illico credulum facere, digna continuo illum damnavit sententia. Nam arreptus vir ille a daemonio, tamdiu vexatus est, quousque ad sanctum corpus deductus (42), *spumans et stridens dentibus, beatum ibidem Marcum iacere confiteretur, ac munus pro suis delictis offerret. Qui statim a daemonio liberatus, et Domino gloriam dedit, et nihil se iam de corpore sacro dubitaturum professus est. Verum quia multa sunt, quae de virtutibus per eum a Domino Deo factis dicuntur, qualiter ad Venetiam venerit explicemus.*

XVIII. Cum igitur nautae ad Istriam pervenissent, diverterunt ad urbem quandam, quae appellatur Humacus (43): *timebant enim redire ad sua, quia Iustinianus dux eorum vehementissime contra illos erat iratus* (44), *pro eo quod iussionem suam repudiantes, ad Alexandriam ire praesumpserunt. Qui tamen missa ad eum legatione dixerunt: Confitemur peccatum nostrum et erubescimus, quia sumus tamquam rebelles inventi; sed Dominus testis est quomodo magis inviti quam sponte hoc fecimus. Ecce enim habemus corpus B. Marci evangelistae. Si dominus noster, gratiam suam nobis reddens, promittat nequaquam inferre molestiam, nec in corporibus nec in rebus nostris, adducimus eum illi. Sin autem aliter, divertemus in aliam regionem. Ad haec Iustinianus dux, valde gavisus, ait: Si istud, quod asserunt, verum est, revertantur in pace: quia si talem thesaurum adducunt, non solum illis malum non inferam, sed etiam filios meos vo-*

cabo. Accepto igitur nautae verbo, Venetiam redeunt; cumque ad portum olivolensem (45) *venissent, egressus cum crucibus Ursus episcopus loci illius* (46), *et omnibus ministrorum ordinibus, indutis sacerdotalibus tunicis, reverentissime corpori obviant, suscipientesque illud, duxerunt ad palatium ducis: ubi dum per coenaculi scalam ascenderent, tanta agilitate pallium, quo corpus erat opertum, cum esset tranquillitas, movebatur, quanta vix aura venti movere poterat. Sed et ministris, qui eum portabant, fiebat subito pondus gravissimum et immobile; et iterum subito tantum leve, ut nihil sentire se dicerent. Accepto igitur corpore Dux, reposuit illud in coenaculi loco* (47), *qui apud eius palatium usque ad praesens tempus monstratur* (48), *ordinatis cantoribus ac ministris, qui ibidem Deo laudes referrent* (49); *inter quos custos ille Stauratius primus erat* (50). *Sed et Theodorus presbyter anno sequenti cum suis advenit: porro Dominicus ille monachus ad propria remeavit.*

XIX. At vero Iustinianus dux, cum supra beatum corpus Ecclesiam vellet construere, morte praeventus est: cuius germanus Ioannes (51), *vir Deo dilectus* (52), *ducatum suspiciens, vicem eius explevit. Construxit namque iuxta palatium elegantissimae formae basilicam ad eam similitudinem, quam supra Domini tumulum Hierosolymis viderat* (53): *quam etiam multis ac variis iussit depingi coloribus, ubi et aromatibus venerabile corpus conditum honore dignissimo posuit. In eo efflorescunt orationes ipsius* (54), *et multa beneficia praestantur Christo credentibus, maxime autem et plurimi a daemoniis liberantur. Cuius gloriosa translatio celebratur pridie kalendas Februarii; regnante Domino nostro Iesu Christo, cui est honor et gloria in saecula saeculorum. Amen.*

Hactenus Acta, in quibus illud animadversione maxima dignum est, nihil occurrere omnino, quod non IX. saeculi ingenio conveniat, nihil quod sequiorem aetatem sapiat: plurima vero, ut ostendemus in notis, quae saeculum illud ipsum omnino reddant. Maximum certe atque invictum ad ostendendam Actorum ipsorum sinceritatem et fidem argumentum.

CAPUT V.

ANIMADVERSIONES IN HISTORIAM TRANSLATIONIS CORPORIS S. MARCI.

1. Saraceni, sive Mahumedani Aegyptum occuparunt anno Christi DCXXXIV. vel DCXXXV. Heraclii vero imp. XXV. Vide Cedrenum, Theophanem, etc. ad hunc annum; tum Rahebum in patriarchis alexandrinis num. XXXVIII.

2. Leo V. armenius, constantinopolitanus imperator, eiecto Michaele I. Curopalate, imperio potitus est anno Christi DCCCXIII. Interfectus est IX. kalendas Ianuarias anni DCCCXX. cui Michael II. cognomento Balbus successit, qui paullo post Theophilum filium in imperii societatem admisit. Vide Leonem grammaticum, Zonaram, Simeonem magistrum etc. (1).

3. Decreti huius satis probabilem causam affert in chronico (2) Dandulus: *Hoc tempore*, inquit, *cum contigisset, loca sancta, quae erant Hierosolymis, profanari; Leo cum filio imperatores augusti edictum proposuerunt, ne quis in Syriam vel Aegyptum accedere auderent; quod catholici duces Venetiarum approbantes, subditis suis pariter inhibuerunt.* Filium Leonis, *Sabbatium* vel *Symbatium* intelligit, quem ad imperii societatem adscitum, mutato nomine, *Constantinum* appellavit Leo; et, Leone interfecto, Michael Balbus eviravit, ac in Proten insulam cum fratribus relegavit (3). Enimvero iis, quae Dandulus refert, fidem facit S. Theophanes in chronico (4), qui narrat quo anno Leo imperator est inauguratus, cum Saraceni in ἀναρχίαν incidissent, *ab infanda illa gente per Syriam, Aegyptum, Africam omnemque ipsorum ditionem tam in urbibus quam in vicis homicidia, rapinas, stupra, adulteria perpetrata fuisse, et quaecumque alia huiusmodi Deus aversatur. Tum in sancta Christi Dei nostri civitate, sanctum Sepulcrum et Calvarium et alia huiusmodi veneranda loca fuisse profanata; celebresque illas deserti Lauras S. Charitonis et S. Sabbae et monasteria cetera et Ecclesias fuisse desolatas; Christianos vero partim interfectos, partim dispersos etc.* Haec apud Zonaram (5) et Anonymum Constantini porphyrogennetae iussu scribentem (6), totidem fere verbis leguntur; quae licet sub Michaele Rhancabe sive Curopalate contigerint, quia tamen paullo post, adhuc persecutione illa durante, Leo imperium adeptus est, optime ab ipso Leone severissima illa lege sunt

---

(1) In Michaele Balbo.'— (2) Libro VIII. cap. I. pag. 27. — (3) Vide Anonym. Contin. Theoph. pag. 441. edit. parisiensis. Continuat. Const. Porphyrogen. lib. II. num. 1. Cedren. pag. 495. etc. — (4) Ad an. mundi VIMCCCV. Ἀναρχίας καθολικῆς κατασχούσης Συρίαν, καὶ Αἴγυπτον, καὶ Ἀφρικὴν καὶ πᾶσαν τὴν ὑπ' αὐτῶν ἀρχὴν, φόνοι τε καὶ ἁρπαγαὶ, καὶ μοιχεῖαι, ἀσελγειαῖ τε καὶ πᾶσαι πράξεις θεοστυγεῖς ἐν κώμαις τε καὶ πόλεσι ὑπὸ τοῦ θεολέστου αὐτῶν ἔθνους ἐπράττετο. Οἵ τε κατὰ τὴν ἁγίαν Χριστοῦ τοῦ θεοῦ ἡμῶν πόλιν σεβάσμιοι τόποι τῆς ἁγίας ἀναστάσεως, τοῦ κρανίου, καὶ τῶν λοιπῶν ἐβεβελώθησαν. κ. τ. λ. — (5) Lib. XV. cap. XXII. — (6) Lib. II. cap. XII.

vindicata. Hinc Annalista caesareus a Lambecio editus, aqud Pagium (1), refert, Ludovicum imperatorem anno imperii I. hoc est Christi DCCCXIV. *placitum habuisse,* cui Leonis V. armenii legati interfuere, qui *auxilium petebant ab eo contra Bulgares, et ceteras barbaras gentes. Eo tempore Hierosolyma vastata est a Persis,* hoc est a Saracenis in Perside sub bagdadensi calipha degentibus, *et persecutionem magnam in orientalibus partibus Christiani habebant.* Quare vides quam inepte Carlius (2) conetur ostendere, nullum bellum inter Graecos et Saracenos seviisse ab anno Christi DCCCXIII. ad annum DCCCXXXII. ut inde deducat, nullam Leoni legis huius promulgandae causam fuisse; cum longe aliam eiusdem ferendae occasionem afferat Dandulus, cui probatissimus quisque historicorum adstipulatur. Quamvis et quod de pace illa XX. annorum inter Graecos et Saracenos asserit Carlius, falsum esse, superius ostendimus (3).

4. *Delata fuisset.* Fortasse post ipsam Leonis imperatoris mortem.

5. *Iustinianus etc.* Dux erat eo tempore Iustinianus, non quidem solus, sed cum patre Angelo Particiaco; ita ut ab utroque lex illa lata fuerit oporteat. Attamen quia Angelo mortuo eandem legem Iustinianus servavit, et sub illo sacrum Marci corpus Venetias delatum est, idcirco solius Iustiniani Acta meminerunt (4). Obiter nota *Venetiae* nomen singulari numero usurpatum, quod haud leve est antiquitatis horum Actorum indicium. Quamvis enim Galliciolius (5) asserat, se *Venetiarum* nomen plurali numero ante annum Christi MCCLX. nunquam usurpatum reperisse; occurrit illud tamen in charta quadam anni CMXXIII. apud Lünig (6), in qua conditiones pacis inter Wintherum Histriae comitem, et *d. Petrum* (scil. Candiani II.) *gloriosum ducem Venetiarum* statuuntur; tum in privilegio Agnelli et Iustiniani ducum Ioanni abbati S. Hilarii concesso anno DCCCXIV. (7); itemque in altero privilegio Balduini regis Hierosolymorum anni MXXX. (8), quo nescio quas Ecclesias et bona a Venetis in regno suo possessa, regia auctoritate confirmat. Occurrit etiam idem *Venetiarum* nomen plurali numero in charta foederis inter Venetos et Iustinopolitanos (9) firmati anno CMLXXVII. *Ottonis imp. IV. indict. V.* et alibi etiam (10); imo post initium saeculi XII. vix charta ulla est, ubi *Venetiae* nomen singulari numero legatur, nisi fortasse de *Venetiae* provincia sermo sit. Ex quo sequitur, *Venetiae* vocem Actis nostris appositam, eorum antiquitatem ostendere; ac unum esse ex *ineptis illis dicendi modis,* quos carpit Tillemontius, qui tamen haud leve sunt vetustatis indicium.

6. *Idipsum omnimodo suis praecepit.* Ut Leonis edictum firmarent Venetorum duces, nihil necesse fuit, ut perperam asserit Carlius (11), illos, icto cum graecis impp. foedere, bellum per ea tempora gerere contra Moslemos. Id enim

---

(1) Ad an. DCCCXIV. n. XXVI. — (2) Diss. sul Corpo di S. Marco cap. I. n. 20.— (3) Supr. cap. III. n. III.— (4) Vide caput praec. in prooemio. — (5) Memorie Venet. lib. I. cap. V. n. 160. — (6) Cod. diplomat. Italiae tom. II. pag. 1946. — (7) Ibid. tom. IV. pag. 1515. — (8) Ibid. pag. 1530. — (9) Ibid. pag. 1527. — (10) Ibid. pag. 1535. 1539. etc.— (11) Diss. sul Corpo di S. Marco n. I. pag. 20. 21.

ut statuerent, suasit tum antiqua illa in graecos impp. observantia, qua illis perpetuo gratificari consuevere, utpote a quibus privilegia bene multa acceperant maritimis ipsorum negotiationibus necessaria: tum insita quaedam ipsorum in Christum pietas ac amor religionis; ut hac ipsa scilicet interrupti commercii poena Mahumedanos sacrorum locorum violatores plecterent, ac ad saniora consilia revocarent. Quam quidem poenam haud exiguam fuisse intelliget, qui meminerit universas Orientis merces ea tempestate Alexandriam convehi consuevisse, nondum *Bonae Spei* promontorio detecto; Venetos vero fere solos eo appellere, mercesque illas numerata pecunia emere assuevisse, quas ceteris Europae gentibus distribuerent: ita ut regiorum vectigalium iacturam ingentem ex Angeli et Iustiniani decreto Saraceni experirentur. Quin imo animadvertendum erat Carlio, ex ipsa lege patere, nullum tunc temporis inter Mahumedanos et Venetos bellum fuisse. Si enim bellum ferbuisset, quid necesse erat legem illam statuere? Adeo ne incautos venetos fuisse mercatores existimat, ut, bello exardescente apud infensissimos christiani nominis hostes, commercia exercere vellent, seque ultro efferatae genti depraedandos iugulandosque exhiberent? profecto suspiciosum atque acre et omnia circumspiciens mercatorum ingenium est; illudque ignoret oportet, quicumque hoc non videat. Quamvis autem praeter allata Danduli et Actorum loca, nulla extat, quod ipse noverim, legis huius ab Angelo et Iustiniano latae apud antiquos scriptores memoria; attamen plures adhuc supersunt venetorum ducum constitutiones saeculis IX. et X. editae, quibus identidem commercia cum Mahumedanis prohibentur; praesertim in quibus arma aut christiana mancipia barbaris venderentur, cuius criminis infamia venetos mercatores nonnumquam laborasse saeculo VIII. et IX. Anastasius bibliothecarius in vita Zachariae papae (1) et Dandulus (2) testes sunt completissimi. Huiusmodi est Ursi I. Particiaci, quem perperam cum Urso Hypato, qui sesqui saeculo antea imperaverat, confundit Carlius (3); Ursi, inquam, Particiaci statutum a Dandulo relatum (4), *ne quis de mancipiis commercium faciat, vel in navibus accipiat;* gravissimis in contumaces poenis decretis: tum statutum Petri Candiani IV. (5) circa annum CMLXI. (non vero, ut habet Carlius (6), CMXXXVIII.) quo Ursi Particiaci decretum firmatur, Venetique mancipia et epistolas ad Saracenos et Graecos ferre prohibentur: tum denique eiusdem Petri Candiani statutum alterum (7) anni CMLXXI. in concilio rivoaltino, *ut nullus audeat arma in Saracenorum terras ad venumdandum, aut donandum portare, aut lignamen ad naves faciendas, etc.* Haec omnia nullo fere bello cum Moslemis fervente statuta, satis ostendunt, nihil bello opus fuisse, ut a venetis ducibus subditis suis commercia cum Mahumedanis pro lubito interdicerentur.

7. *Veneticis* pro *Venetis:* vox saeculis VIII. IX. et X. plerumque usurpata, quae et ipsa, leve licet, aliquod tamen est indicium antiquitatis horum Actorum.

---

(1) Anast. Lib. Pontif. n. XCII. — (2) Ad ann. DCCCLXVII. in cod. nostro mss. — (3) Diss. citata n. XII. pag. 92. — (4) Loc. cit. — (5) Apud Lünig. tom. IV. pag. 1521. Dandul. ad an. CMLX. lib. VIII. cap. XIV. part. X. — (6) Loc. cit. pag. 938. — (7) Apud Lünig. loc. cit. pag. 1525. tum apud Ughell. in Patriarch. Venet. n. XVI.

Progressu temporis *Venetici* dicti sunt antiquo more Veneti illi, qui occidentales Galliae oras ad oceanum incolunt; nunc *Vannes*.

8. *Propter metum Principis*. Animadverte in hisce Actis veneti tantum ducis aut principis nomen occurrere. Decretum statuit dux Iustinianus: ducis metu deterriti (1) mercatores aegyptiae orae appellere refugiunt: custodes sacri pignoris ut alliciant, pollicentur *adducturos se illos ad dominum nostrum Iustinianum, egregium ducem, virum illustrem, Sanctorumque amatorem*, a quo magna allati muneris praemia relaturi sint. Iidem in Italiam reversi (2) apud Humacum consistunt, missaque ad Iustinianum legatione, ab ipso violatae legis veniam precantur: ab ipso *salvumconductum*, ut nunc aiunt, accipiunt, ipsique venetam urbem ingressi corpus tradunt: ipse vero corpus (3) suscipit, in palatium suum infert, primicerium, cantores et ministros instituit, templumque longe magnificentissimum erigendum decernit. Nullus hic senatus occurrit, magistratus nullus, nullum consilium. Haec omnia Iustiniani saeculo apprime congruunt: cum universam rempublicam solus dux, potestate paene regia, moderaretur. At si haec Acta veterator aliquis pro arbitrio finxit, ut putat Tillemontius, qui fieri potuit, ut saeculi illius mores tam expresse ac fideliter repraesentaret, ut nihil prorsus esset, quod saeculi illius quo ipse scripsit ingenium prodat; nulla vox, quae sycophantae se pro antiquo scriptore venditantis fallaciam aperiat? Et tamen, ut ostendit Sandius (4), iam ab ipso saeculi undecimi exordio reipublicae forma immutari, et ducum potestas imminui coeperat; ita ut mirum videri possit, in tanta eius aetatis barbarie tam sagacis ingenii hominem existere potuisse, qui saeculi IX. stilum et mores ita adamussim redderet, ut ne verbo quidem uno laberetur. Equidem cum plurimi fuerint, iique etiam *orti melioribus annis*, qui veterum scriptorum ingenium et nomen simulare conati sunt; nemini tamen hucusque tam felici esse contigit: verum ipsorum vestigia scrutati critici, subdititias merces serius ocius deprehenderunt: neque enim in tanta artis criticae luce fieri potest, ut mala haec veteratorum fraus in tuto posita delitescat.

9. *Regulus quidam etc.* Ostendere conatur Carlius (5), Aegyptum, ex quo sub Saracenorum potestatem redacta est, usque ad saeculum Christi X. nunquam proprios caliphas habuisse, sed bagdadensibus caliphis obtemperasse. Anno demum CMIX. Obeidollah Mahadi phatemitarum calipharum dinastiam in Aegypto fundasse. Addit deinde, Achmetem filium Tolonis Aegypti praefectum anno Christi DCCCLXXIX. adversus bagdadensem calipham rebellasse et Tolo-

---

(1) Actorum n. X. — (2) Ibid. n. XVIII. — (3) Ibid. n. XIX. — (4) Stor. civile di Venez. lib. III. cap. I. et seqq. — (5) Diss. cit. pag. 17. 18. *Questa doviziosa provincia non fu mai staccata dal Califfato d'Asia, sino a Moctafi-Billa XXXVI. Califfo* (in Chronico Orientali dicitur XXXVIII.) *morto l'anno* 908. *Il primo Califfo d'Egitto è Obeidollah I. Mahadi* (Chron. Orient. habet Abdalla Mohadi) *l'anno* 909., *che pretendea discendere da Alì e da Fatima. Anzi l'Egitto non cominciò ad essere usurpato che l'Anno* 879. *da Ahmed figlio di Tolone, ch' essendone governatore per i Califfi di Bagdad, s' impadronì della provincia, e vi fondò la dinastia de' Toloniti, che durò soltanto fin all' anno* 905.

nitarum in eadem provincia dinastiam statuisse, quae ad annum usque CMV. perduravit. Haec quomodo inter se cohaereant viderit Carlius: certe delio egent natatore. At non pari modo obscurum, quod inde deduci vult; nempe mentiri Acta et Dandulum (1), qui Saracenorum regem anno Christi DCCCXXVIII. in Aegypto comminiscuntur. Enimvero si Carlius Actorum verba legisset, quae ignorasse omnino videtur, cum non ad ea ipsa sed ad breviarii S. Marci lectiones perpetuo provocet; animadvertisset, non *regem* sed *regulum* hunc Aegypti principem appellari. Quae profecto vox non imperatori aut caliphae designando usurpatur, sed Aegypti praefecto, sive *Viziro*, cuius tamen maxima esset potestas ac paene regia: qualis profecto a bagdadensibus caliphis Aegypti praefectis concedi consuevit. Et sane talem fuisse ea aetate aegyptiorum praefectorum auctoritatem, constat ex orientalibus scriptoribus, et praesertim ex Severo aschmoninensi, qui refert, anno Christi DCCCXXV. (2) Abdalla Ebn Taheri ab Almamone calipha *in Aegyptum cum summa potestate missum fuisse*, qui anno insequenti, fractis rebellibus qui regionem illam tenebant, et *Andalusenis* (3), sive hispanis Mahumedanis, qui Alexandriam occupaverant, pluribus praeliis attritis, *Misre* sive Alcairi consedit; cui deinde Ibraim et Muhatecim Billa (4), Almamonis fratres successere, qui praefecturam illam tenuere usque ad annum Christi DCCCXXXIII. quo anno mortuo Almamone supremum Moslemorum caliphatum Muhatecim adeptus est. Porro quid mirum, caliphae fratres, a Bagdade Almamonis regia tam ingenti terrarum tractu remotos, sese regali prorsus dignitate et auctoritate gessisse, ita ut etiam *reguli* ab Actorum scriptore appellari potuerint?

10. *Ad urbem, quae Babylonia vocitatur.* Cave *Babylonis* nomine Bagdadem accipias hoc loco, quamvis et ipsa (5) nonnunquam *Babylon* vocari soleat: sed intellige *Babylonem Aegypti*, cuius apud Iosephum (6), Strabonem (7), Ptolemaeum (8) et Diodorum (9) mentio habetur. Est autem *Babylon aegyptia* idem atque *Alcairo*, aegyptiorum praefectorum sub Mahumedanis, deinde etiam calipharum sedes. Nam Alcairo eo loco conditam, quo aegyptia Babylonia fuerat, imo antiquam illam urbem Alcairi ambitu contineri, ex ipsis Coptitarum testimoniis Baudrandus (10) et Martinierius (11) ostendunt: imo ipsi Coptitae eam urbem φωστάτι βαβυλώνος appellare consuevere. Sed et Bernardus monachus, qui anno Christi DCCCLXX. Aegyptum peragravit (12), ut alibi diximus (13), urbem illam *Babyloniam* appellat, quod profecto haud leve indicium est, illam huiusmodi nomen adhuc saeculo IX. retinuisse. Porro id ipse Actorum textus indicare videtur, cum ait, urbem illam *ex nomine civitatis antiquae*

---

(1) Lib. VIII. cap. II. part. VI. — (2) Apud Renaud. Hist. Patriarch. Alex. n. L. pag. 270. Vide etiam pag. 168. — (3) Vide Renaud. loc. cit. n. XLIX. pag. 251. Rahebum Hist. Patriarch. Alex. n. XLIX. Soller. Hist. Patriarch. Alex. n. XLIX. etc. — (4) Renaud. loc. cit. pag. 276. et 280. — (5) Vide Martinière, Baudrand etc. in Bagdad. — (6) Antiquit. lib. II. cap. V. — (7) Lib. XVII. pag. 765. edit. Basil. an. MDXLIX. — (8) Lib. IV. cap. V. — (9) Biblioth. lib. I. — (10) Diction. voc. Babyl. — (11) Voce Cairo et Babyl. — (12) Apud Mabil. Act. Sanctor. ord. S. Bened. saec. III. part. II. — (13) Supr. cap. II. n. 4.

Babyloniam vocitari; quod perinde est ac si diceret, illam quidem appellari *Alcairo* sive *Kairam;* sed cum veterem Babyloniam ambitu suo concludat, ex antiquae illius urbis nomine *Babylonem* adhuc nuncupari. Mirum profecto, veteratorem, qui Acta haec, ut putat Tillemontius, saeculo XIII. subiecit, tanta aegyptiae antiquitatis eruditione praeditum fuisse, ut haec etiam tam minuta memorare potuerit, quae ea aetate universi ignorabant.

11. *Palatium sibi construere vellet.* Mahumedanos per ea tempora aedificiis longe splendidissimis construendis deditos fuisse, innumeris eius aetatis monumentis pervinci potest. Refert, qui Leonis V. armeni et nonnullorum post Leonem imperatorum, iussu Constantini porphyrogennetae, historiam conscripsit (1), Ioannem Syncellum, cum ad bagdadensem calipham, iussu Theophili imp. legatus missus fuisset, ita regalium aedium splendore atque apparatu perculsum fuisse, ut Constantinopolim reversus, Theophilo ipsi auctor fuerit, ut palatium sibi bagdadensi prorsus simile aedificaret, quod ille regio sumptu atque impensis tanta magnificentia construxit, ut inde sibi *splendidissimi principis nomen et admirationem* compararet. Eadem et Zonaras affirmat (2); neque ab Almamonis caliphae ingenio abhorret, principis longe splendidissimi (3), sub quo Mosleminorum res maxime floruere. Quin imo narrat auctor Chronici Orientalis (4), Giápharum, qui Aaroni Rascido Almamonis patri a secretis fuit, *amplissimas aedes aedificasse XX. aureorum millibus impensis,* additis villis et hortis; ita ut Rascidus Giápharum ipsum, quo praeclaris aedibus potire tur, interfici iusserit; quamvis alias alii eius caedis causas producant. Sed et Severus aschmoninensis (5), cuius locum in sequenti adnotatione expendemus, idipsum confirmat.

12. *Iussit, ut ubicumque etc.* Hanc marmorearum columnarum ac tabularum hinc inde in aedium suarum constructionem auferendarum licentiam apud aegyptios Mahumedanos obtinuisse, aliquando testatur Severus. Nam in vita Alexandri II. alexandrini patriarchae narrat (6), Korahum Aegypti praefectum sub VIII. saeculi exordiis iussisse, columnas omnes porphyreticas et marmoreas ab Ecclesiis auferri: et iterum, regnante Almamone, idipsum Ibraimum Almamonis fratrem imperasse (7), ac eius iussu Lazarum quendam nestorianum Ecclesias universas marmoribus expoliasse, iis praesertim, quae pretiosiora et rariora esse videbantur. Ibraimum hunc, illum ipsum *regulum,* quem Acta commemorant, esse non dubito. Negat quidem Renaudotius (8), ullam unquam Ibraimo in Aegypto auctoritatem fuisse; sed memoria lapsus est in hac re vir alioquin diligentissimus: siquidem ipse ex Severo paullo ante (9) retulerat, illum praefecturam in ea provincia sub Almamone gessisse. Porro cum Almamon, Aegypto anno DCCCXXV. potitus (10), ei statim Abdalla Ebn Taheri praefecerit: anno vero DCCCXXXIII. quo Almamon mortuus est, provinciae illi praeesset Muha-

---

(1) Lib. III. cap. IX. — (2) Lib. XV. cap. XXVI. — (3) Vid. Renaud. Hist. Patr. Alex. n. LI. — (4) In Kaliph. n. XXVI. etc. — (5) Apud Renaud. loc. cit. n. LII. pag. 288. — (6) Apud Renaud. num. XLIII. pag. 197. — (7) Ibid. pag. 288. — (8) Ibid. — (9) Ibid. pag. 280. — (10) Vide supr. num. IX.

tecim Billa, iam certum est, Ibraimi praefecturam inter utrumque esse collocandam, ac proinde non inepte a nobis existimari, illam in an. Christi DCCCXXVIII. incidere, quo anno S. Marci corpus Alexandria Veneti mercatores abstulere; ipsumque illum esse, quem aiunt Acta, cum sibi palatium construere vellet, auferenda ab Christianorum Ecclesiis pretiosa quaeque marmora praecepisse.

13. *Quam in vulgaribus*, hoc est in locis non sacris, sive publicis, sive privatis. Vox haec Carlii difficultatem evertit, qui existimat (1), calipham, siquidem marmoribus coacervandis inhiabat, *pretiosa atque ingentia corruentium ethnicorum templorum marmora anteferre debuisse parvis illis fragmentis, quae christianis Ecclesiis utcumque construendis adhibita fuerant;* nam utrinque marmora avulsa fuisse testatur. Ceterum a christianis templis ablata marmora, diserte, ut vidimus, asserit Severus; nec eius narrationem Carlii coniectura unquam subvertet. Christiana autem templa non adeo contemnenda fuisse, ea ostendunt, quae de illis passim eorumque magnificentia apud eundem historicum legere est. Quin imo nonnulla adhuc veteris huius christianarum Ecclesiarum splendoris apud Aegyptios vestigia superesse, videre potes apud auctores a Martinierio (2) laudatos.

14. *Consuetudinem sibi fecerunt, etc.* Optime haec cum iis conveniunt, quae superius (3) de Ecclesia S. Marci, sive de *Angelio* tradidimus. Ita enim Acta loquuntur (4), ut Graecos catholicos, sive Melchitas, non vero Coptos, sive Iacobitas, tenuisse per ea tempora illam Ecclesiam ostendant. Itaque illam orationis causa frequenter Veneti invisunt, donaria offerunt, cum eiusdem ministris non familiaritatem modo, sed et spiritalem affinitatem libere contrahunt: imo Venetias adductos ad ecclesiasticas etiam dignitates (5) provehunt. Haec omnia cum iis apprime cohaerent, quae alibi diximus, *Angelium* scilicet anno Christi circiter DCCXCVI. Coptitis ereptum iussu Aaronis Rascidae caliphae, Melchitis, sive Orthodoxis fuisse traditum; nec Iacobitis, nisi saeculo IX. satis adulto, restitutum. Qua re animadversa, sic mihi liceat ratiocinari. Acta haec ab homine scripta fuisse, qui aut ipsamet illa loca suis oculis inspexerit, aut ab iis acceperit, qui ea lustraverint, cum ea quae statim sequetur, tum aliae passim adnotationes nostrae demonstrabunt. Porro si scriptor huiusmodi saeculo aut X. aut XI. multoque magis XII. aut XIII. floruit, profecto ignorare non potuit, aetate sua non iam Melchitas graecos, sed Coptos haereticos Ecclesiam illam tenuisse; ac proinde si translationis Acta pro lubito commentus est, ita fabulam universam debuit accommodare, ut corpus S. Marci abstulisse Venetos Coptitis appareret, quin tamen ulla cum illis necessitudo, sive communio intercederet. Id vero ad Venetorum etiam famam apud posteros vindicandam opportunum accidisset, qui non tam sacrum illud pignus ab amicis fraude

---

(1) Diss. cit. p. 19. *Questo probabilmente avrebbe preferito i preziosi e grandi pezzi di rovinose fabbriche degl' idolatri tempj di Egitto, al poco che fosse stato congegnato per una Chiesa Cristiana.* — (2) Voc. *Cairo. Alexandrie.* — (3) Supr. cap. I. n. VIII. — (4) Vide Acta ipsa n. IV. — (5) Act. num. X. et XVIII.

abstulisse, sed ab inimicorum ac perditissimorum haereticorum potestate eripuisse viderentur. Quis itaque historicum docuit, non iam Iacobitas, sed Orthodoxos Ecclesiae illi initio IX. saeculi praefulsse? Equidem in tanta illorum temporum barbarie, in tanta orientalium rerum ignoratione, qualis post X. Christi saeculum in latina Ecclesia habebatur, hominem fuisse, qui aegyptiae Ecclesiae antiquitates tam apprime calleret, id mihi sin minus ἀδύνατον, saltem prodigio simile prorsus videtur.

15. *Locus enim ipse in proximo erat.* Id est prope mare, ubi Venetorum naves in statione constiterant. Et haec apprime cum iis consentiunt, quae de alexandrino S. Marci sepulcro superius tradita sunt. Nam locum extra urbem fuisse, ac proinde prope mare, quod urbem magna ex parte ambit, ex allatis a nobis Bedae (1), Adamnani (2), Abulbircati (3), Bernardi monachi (4), chronici Slavorum (5) testimoniis apertum est.

16. *Bonus Tribunus metamaucensis, et Rusticus torcellensis.* Mira prorsus in nominibus hisce venetorum historicorum consensio. Nam praeter Dandulum (6), qui haec ipsa Acta fere ad verbum exscripsit, et in compendium redegit, eadem apud universos chronographos nostros mss. occurrunt. In musiva etiam S. Marci pictura saeculi, ut creditur, XI. quam superius descripsi (7), inscripta sunt. Sunt autem Metamaucus et Torcellum insulae duae, altera ad meridiem, altera ad septentrionem urbis nostrae, utrinque V. fere passuum M. discretae, quae tum maxime opibus et frequentia civium florebant, episcopali etiam dignitate insignitae. Utrum vero Bonus cognomine, an dignitate *Tribunus* dicatur, cum adhuc illa dignitas in nostris insulis perseveraret (8), id aliis discutiendum relinquo.

17. *Bonus et Rusticus dixerunt, etc.* Haud me quis verborum omnium, quae inter Venetos et templi custodes iactantur, vadem postulet. Nonnulla pro lubito immiscuit fortasse Actorum scriptor colloquiis hisce, quorum tamen summa vera est, nec in dubium revocanda. Datur haec historicis venia, ut quae ab iis dicta sunt, de quibus memorant, ea verbis satis illustribus et sententiis expoliant; quod et historicum nostrum permisisse sibi, licet suspicari. Inest tamen hisce colloquiis candor nescio quis ac veluti veritatis color ingenuus, qui me vehementer afficit atque commovet, ita ut facile mihi persuadeam, pauca illum ex suo penu praeter verba attulisse: sensa vero non aliunde plerumque, nisi ab iis, a quibus negotium gestum fuerat, accepisse; quae ille verbis, prout tamen aetas illa ferebat, paullo ornatioribus, sed bona fide tamen et aurea quadam simplicitate repraesentavit.

18. *Stauratius et Theodorus.* Eadem in hisce nominibus, ac in *Bono et Rustico,* venetorum historicorum concordia. In laudato musivo (9) opere marciani fornicis uterque exhibetur, apposito nomine: Stauratius quidem mona-

---

(1) Supr. cap. I. n. II. — (2) Ibid. — (3) Ibid. n. IV. et cap. II. n. V. — (4) Supr. cap. II. n. IV. — (5) Ibid. n. V. — (6) Libr. VIII. cap. II. parte VI. — (7) Supr. cap. II. n. VII. — (8) Vide Gallic. Memor. Venet. lib. I. cap. IX. n. 397. — (9) Vide supr. n. 16.

stico habitu in *calogeri* morem : Theodorus vero veste presbyterali, qualis adhuc apud Graecos usurpari solet.

19. *Monachus*. Ecclesiam S. Marci alexandrinam ea tempestate monachos tenuisse, colligitur ex verbis Bernardi monachi a nobis superius allatis (1). A monachis nunc quoque teneri, sed Iacobitis, docet Martinierius in lexico (2).

20. *Compatrem fecerat*. Hoc est, filium eius Bonus e baptismo susceperat. Cave hanc vocem recentiorem existimes. Saeculo VIII. usurpatam ostendunt exempla, quae profert in glossario Du Cangius (3).

21. *In hac provincia praedicaverit, etc.* De alexandrina S. Marci missione vide quae nos superius disputavimus libro I. capite XVII.

22. *Sanctissimus Pater*. Alexandrinam Ecclesiam *Patris* nomine S. Marcum appellare solere, ex ipsius libris liturgicis alias (4) ostendimus. Mirum certe, Actorum scriptorem, quem obscurum quendam veteratorum existimant, ne hoc quidem ignorasse.

23. *Aquileiam etc.* De aquileiensi S. Marci apostolatu luculenter egimus libro I. cap. XIV. eamque verissimam esse demonstravimus. Quae tamen utcumque esset falsa, nihilominus Actorum, quae nunc illustramus, antiquitati nequaquam officeret; cum illam ante IX. saeculum, quo haec Acta conscripta credimus, iam celebris fuerit et pervulgata. Vide quae in numeris V. VI. et VII. eiusdem capitis disputavimus.

24. *Nos sumus primogeniti filii eius*. Falluntur in hac re Bonus et Rusticus, sive potius Actorum scriptor, qui illos ita loquentes inducit. Nam bis Alexandriam Marcum advenisse, tum ante aquileiensem missionem, tum post illam, haud ineptis coniecturis alibi (5) coniecimus. At non ea aetate aut Veneti illi mercatores, aut historicus noster vixere, qua ad chronologicos canones haec ita exigi possent, ut nullus in ipsis digerendis error obreperet.

25. *Sedem eius habetis*. De Marci sede Venetias delata, dictum est superius (6). Ceterum hunc unum ex illis locis esse putaverim, ubi de suo aliquid Actorum scriptor adiecit; quamquam ne illud absurdum, Bonum et Rusticum de sede illa cum Stauratio et Theodoro locutos, hoc ab ipsis responsum tulisse: attamen, ut verum fatear, nescio quid περιεργὸν et quaesitum mihi videtur subesse. Rem incertam in incerto relinquo.

26. *Quando persecutione fervente etc.* De pentapolitano Marci secessu vide supra libro I. cap. XXI. num. 2.

27. *Aperuerunt occulte sepulcrum, etc.* Sepulcri huius descriptio, quam exhibent Acta, iis omnino respondet, quae antiqui scriptores et oculati eius inspectores VIII. et IX. saeculo tradidere. Aiunt Acta, fuisse illud *marmoreum*. Et Beda (7) illud *de quadrato marmore* fuisse docet. Adamnanus (8) *memoriam illi superpositam marmoreis lapidibus constructam* commemorat, ut Armeniorum

---

(1) Supr. cap. II. n. IV. — (2) Voc. *Alexandrie*. — (3) Voc. *Compater*. — (4) Supr. lib. I. cap. XVII. n. I. — (5) Supr. lib. I. cap. XV. n. II. — (6) Supr. lib. I. cap. XIX. — (7) De locis sanctis cap. XIX. — (8) Vid. supr. cap. I. n. 2.

legendarium (1) et acta Marci tam latina (2) quam graeca (3) a Bollandianis (4) edita praetermittam, ubi statim post mortem conditus a discipulis traditur ἐν τόπῳ λελατομημένῳ *in loculo lapidis excisi.* Aiunt Acta, *sepulcrum illud habuisse incrustaturas,* seu potius *incastraturas, per latera in modum capsellae:* idque Bedae (5) testimonio respondet tradentis, corpori fuisse *memoriam superpositam de quadrato marmore factam,* hoc est in arcae formam, quod et ex alibi (6) allatis Adamnani verbis haud aegre deducitur. Aiunt Acta, corpus integrum in eo sepulcro fuisse repertum, integrumque illud fuisse probat ex antiqua traditione Anonymus apud Renaudotium (7); qui Iacobitarum sententiam refutat, qui se adhuc saeculo XIII. caput S. Marci a Venetis relictum possidere existimabant. Aiunt Acta paullo infra (8), Ecclesiam, ubi sacrum corpus quiescebat, extra urbem iuxta littus fuisse; quod quam apprime veterum testimoniis conveniat, superius (9) ostendimus. Haec omnia tam minuta atque περίεργα indicia ne sunt inepti fabulatoris pro arbitrio narrationem cudentis, an historici ea, quae ab oculatis testibus acceperat, optima fide referentis?

28. *Undique circumdatum chlamyde serica.* Morem obvolvendi Sanctorum corpora sericis velis antiquissimum apud Aegyptios fuisse constat ex Athanasio (10); imo toti Ecclesiae fuisse communem ostendit in disquisitione de corpore S. Augustini Fontaninus; eiusque meminere Hincmarus rhemensis aliique apud Du Cangium (11). Vocabantur huiusmodi tegumenta *Bradea* vel *Brandia,* tum etiam *Sudaria, Oraria, Pallae, Pallia,* cumque inter cetera ea de causa apponerentur, ut integris servandis sacrorum corporum thesauris inservirent, nil mirum sigillis fuisse ex omni parte munita. Ceterum ex Actorum verbis videtur colligi posse, Marci corpus integrum et incorruptum repertum fuisse, quod nulla causa est cur prodigio tribuamus. Notum siquidem, Aegyptios in corporibus sepeliendis magna diligentia et sollicitudine curare ea consuevisse, ut diu integra atque incorrupta servari possent. Eius moris non modo in sacris litteris mentio occurrit (12), sed apud profanos etiam auctores frequentissima est (13), eamque communem admodum consuetudinem apud Aegyptios fuisse primis Ecclesiae saeculis ostendunt, quae in vita S. Antonii abbatis apud Athanasium leguntur (14), ubi sanctissimus ille monachorum pater discipulos enixe deprecatur, ne hunc erga se morem servare vellent, sed corpus suum quam occultissimo loco terrae mandarent. Eo autem pollincturae genere utebantur Aegyptii, quo nihil aut exquisitius, aut admirabilius possit excogitari; quod vel ex iis corporibus exsiccatis, (*Mummias* vocant recentiores) quae ex ea regione identidem ad nos deferuntur, deprehendi potest. Fuisse vero Marci corpus hac ratione procuratum, tum sub

---

(1) Supr. cap. I. n. 4. — (2) Num. XI. — (3) Num. XI. — (4) Ad diem XXV. Apr. et in App. ad eund. diem. — (5) Loc. cit. — (6) Supr. cap. I. num. II. — (7) Hist. Patr. Alex. num. LXXV. — (8) Num. XII. — (9) Num. 16. — (10) In Vita S. Anton. abb. n. XC. — (11) Gloss. Voc. *Brandeum.* Vid. etiam Marci Hierolex. ad eand. voc. — (12) Gen. cap. L. vers. 2. et 25. — (13) Herod. lib. II. Diod. Sic. lib. II. cap. V. Strab. lib. ult. Pompon. Mel. lib. I. cap. IX. Stobaeus serm. CXX alias CXXII. Vid. Alex. ab Alex. Genial. dier. lib. III. cap. II. — (14) Num. XC. et seqq.

finem prioris libri (1), tum initio libri huius iam diximus (2), ubi verba illa graecorum Actorum ἐκήδευσαν αὐτὸν καθὼς ἔθος τῇ πόλει, *curaverunt ipsum pro more civitatis*, de hac ipsa pollinctura sumus interpretati. Id ipsum et historia venetae prioris inventionis ostendit, quae Marcum tradit integrum incorruptumque fuisse repertum (3), tum etiam feretri forma, in qua Marci ossa anno M. DCCC. XI. inventa sunt. Ita enim erat constructa, ut non iam solis ossibus asservandis, sed integro corpore excipiendo comparata fuisse videatur; quamvis acri salsi humoris vi pervadente, iam in cineres corpus illud dissolutum fuisset, vixque ossa pauca, eaque potissimum quae in humano corpore firmissima sunt, suam formam servarent. Vide quae de hac re infra dicemus cap. XI. num. IV.

29. *Beatae Claudiae corpus, quod in proximo erat tumulatum etc.* Pro *Claudia* legunt alii *Claudianum*, qui etiam *Claudius* a nonnullis vocatur. Monent autem Bollandiani (4), fuisse in Aegypto huius nominis martyrem celeberrimum, quem sub Numeriano passum tradit Romanum Martyrologium (5): sed cum Dandulus etiam (6) legat *Claudiam*, nihil hoc loco movendum. Quod vero iidem Bollandiani (7), haec Claudia quaenam fuerit, quaerendum non putant, sapienter faciunt. Nam in tanta alexandrinorum martyrum multitudine, quorum plerumque nomina intercidere, quis certi aliquid de ipsa proferre poterit, aut quis martyrem aliquam hoc nomine fuisse audeat denegare?

30. *Sublato corpore etc.* Emmanuel Cicogna, venetus iuvenis supra aetatem eruditissimus, in dissertatione, quam de *Inventione ultima corporis S. Marci* Venetiis edidit anno MDCCCXI. (8), eorum difficultatem praevertit, qui suspicari fortasse poterant, aegyptios custodes non iam ipsum S. Marci corpus, sed alterius alicuius Marci, qui alexandrinam cathedram tenuerit, Venetis fraude mala tradidisse. Animadvertit primum, post Marcum evangelistam duos tantum fuisse alexandrinos episcopos, qui Marci nomine appellarentur; alterum quidem saeculo Christi II. qui anno CXLIV. Eumenio patriarchae successit, ac anno CLVI. seu potius, ut habet Severus (9), CLIII. ad superos evolavit: alterum saeculo IX. qui ab anno DCCXCIX. ad annum DCCCXIX. pontificatum gessit. At ad priorem illum quod attinet, licet *Marcus* ab Eusebio tam in chronico (10) latino (nam ab armenia versione excidit nescio quo pacto) quam in historia (11) vocetur, constat tamen, inquit, *Marcianum* fuisse nuncupatum, quo nomine illum et Rahebus (12) appellat, et appellandum Sollerius (13) contendit. Addere poterat, Arabes et Coptitas universos, teste Renaudotio (14), illi perpetuo *Marciani* nomen tribuere, non secus ac Syncellum (15) et S. Nicephorum (16), qui cum Eusebium, ut pluri-

---

(1) Lib. I. cap. XXI. n. V. — (2) Lib. II. cap. I. n. II. — (3) Infr. cap. IX. n. XI. XII. XIII. — (4) Vide Bolland. in addit. ad diem XXV. April. — (5) Ad diem XXV. Februar. — (6) Lib. VIII. cap. II. n. VI. — (7) In notis ad h. l. — (8) Pag. 15. — (9) Apud Renaud. Hist. Patriarch. Alex. n. VIII. — (10) Ad annum Abrahae 2158. — (11) Lib. IV. cap. XI. — (12) Num. VIII. — (13) Hist. Chron. Patriarch. Alex. n. VIII. — (14) Loc. cit. — (15) Ad an. mundi 5630. — (16) In Chronogr. pag. 416. edit. paris.

mum, fere ad verbum exscripserit, non iam *Marcum*, sed *Marcianum* in suis codicibus reperisse putandi sunt. Addit Emmanuel non constare, utrum Alexandriae, an alibi obierit; nec utrum in S. Marci Ecclesia sepultus fuerit. De altero vero *Marco* notat, non potuisse venetos mercatores ita hallucinari, ut hominis corpus recens sepultum (vix enim IX. anni ab eius obitu lapsi fuerant) pro alterius hominis corpore, qui iam ante annos DCCL. occubuerat, acciperent; nec ullam satis probabilem causam afferri posse, cur Stauratius et Theodorus fraudem hanc venetis mercatoribus facerent, quibus deceptis nullum sibi commodum compararent. Haec ille; quibus etiam addere poterat, cum S. Marci Ecclesia, ut diximus (1), iam ab anno DCCXCVI. in Melchitarum potestatem venisset, eamque adhuc Melchitae obtinerent, nullo modo fieri potuisse, ut Marcus haereticus, Iacobitarum antistes, in illa conderetur. Sed quod omnem fraudis huius suspicionem evertit illud est, quod S. Marci sepulcrum tota urbe, imo toto orbe celeberrimum Veneti ignorare non poterant, qui ad illud longe ante, orationis gratia toties accesserant, cum nullum adhuc de sacro illo pignore auferendo consilium initum esset. Quomodo autem custodes unum pro altero corpus obtrudere potuissent, cum, Venetis inspectantibus, imo opem etiam ferentibus, tumulum aperire, marmora sepulcri auferre primum, ac, S. Claudiae corpore loco alterius subiecto, reponere debuerint? Nam haec cum non tam facile a duobus tantum hominibus praestari possent, sed plurium manibus expediri deberent; res autem silentio ac paucis consciis expedienda esset; quos furti illius administros et adiutores assumptos fuisse existimabimus, nisi Venetos ipsos, quos eiusdem periculi societas secreti tenacissimos reddere debebat? Adde, Aegyptios ipsos, ut ostendimus (2), non dubitasse, corpus S. Marci a Venetis sublatum fuisse, vacuumque sepulcrum subsecutis temporibus advenis ostendisse; quae quidem confessio tanti facienda est, ut ipsa per se satis sit ad difficultatem, a clarissimo iuvene excitatam, omnino tollendam atque profligandam.

31. *Odoris fragrantia, etc.* Id prodigio ne adscribi debeat, an secus, statuere non ausim. Si enim, ut ostendimus (3), aromatibus sanctum corpus conditum fuit, profecto fieri potest, ut sarcophago repente patefacto, odor ille sine miraculo circumquaque diffunderetur. Sed cum ille ipse odor universam civitatem perflavisse paullo post dicatur, sane, nisi rem plus nimio ab historico amplificatam quis putet, dicendum erit, nullo modo sine prodigio id evenire potuisse.

32. *Submittentes in sportam etc.* Rem ita gestam exhibent etiam antiquissimae picturae fornicis Ecclesiae S. Marci, de quibus vide quae diximus capite libri huius II. numero VII.

33. *Carnem porcinam, quam ipsi abominantur.* Notum est vel pueris, Mahumedanos a suilla carne abstinere, eandemque veluti immundam abominari, idque ex Mahometi lege, quam in Alcorano surata V. legere est. Quod vero additur, Saracenos, inspectis illis carnibus, *Canzir, Canzir* exclamasse, hominem

(1) Supr. n. 11. — (2) Supr. cap. II. n. IV. et V. — (3) Supr. lib. I. cap. XXI. n. V.

prodit cum ipsis Saracenis aliquando versatum, ac eorum linguam aliquantisper callentem; nec alia de causa ipsam prorsus ipsorum exclamationem afferentem, nisi ut veritatis fidem faciat. Vix enim, nisi oculato testi, id in mentem venire poterat, praesertim cum apud Latinos nulla esset ea aetate arabicae linguae notitia. Hinc ex hisce ipsis Actis puto versiculum illum deductum, qui in summo marciani templi fornice legitur, ubi sacri pignoris translatio musivo opere picta est (1):

MARCVM . FVRANTVR . KANZIR . HII . VOCIFERANTVR .

خنزير *Kanzir* autem Arabibus est *Porcus*.

34. *Venerunt ad rupem, quae proxima mari erat.* Angelium haud longo intervallo a Bucoliis distare, imo in Bucoliis fuisse, ex historia martyrii S. Evangelistae deprehendimus (2); Bucolia vero prope mare fuisse, ac rupibus praeruptis atque confragrosis aspera, productis Hieronymi verbis, demonstravimus (3). Mirum certe, ne hoc quidem felicissimum horum Actorum subiectorem latuisse.

35. *Funiculis sportam miserunt in scapham etc.* Puto Venetos devio tramite ad mare venisse, ut saracenorum portitorum occursum devitarent, qui forte sportam explorantes, sacrum illud pignus reperire potuissent: quod tamen animadvertisse horum Actorum scriptorem, siquidem ea ex suo cerebro procudit, singulare profecto est.

36. *Ne ab Alexandrinis inveniretur;* qui optimo iure ablatum sibi thesaurum a Venetis repoposcissent. Actorum scriptorem vehementer sugillat Tillemontius (4), qui ita rei gestae seriem universam confinxerit, ut *nonnisi sacrilegum latrocinium, insignisque perfidiae facinus* a Venetis peractum exhibeat. Tillemontio occurrunt Flaminius Cornelius (5), et postremi Venetorum principis nepos, Leonardus Maninus (6), Venetosque ab iniecta furti ac perfidiae nota purgare nituntur: imo quod tantopere reprehendit Tillemontius, id omni commendatione atque laude prosequendum arbitrantur. Ego vero, licet eruditissimorum virorum eximiam in patriam caritatem maxime commendem, non illi tamen adeo tribuendum esse putaverim, ut quae etiam aliquo modo reprehendenda sunt, ea omni ex parte laudaverim. Itaque distinctione in hac re utendum existimo; et facti ipsius naturam atque speciem, ab hominum, a quibus peractum est, ingenio et sententia secernendum. Et ad rem ipsam quod attinet, furtum quidem sub ipsa latere ac fraudem non ibo inficias: perfidiae tamen et sacrilegii Venetos insimulandos nego atque pernego. Nam qua ratione sacrilegi haberi possunt, qui non ut sacro illi pignori illuderent, aut illo aliquo modo abuterentur, sed tantum, ut ab impiorum manibus eriperent, abstulerunt; eo transferendum ubi maiori, et (quod sperare nobis Venetis licet) perpetuo honore

---

(1) Vide supr. cap. II. n. VII. — (2) Supr. lib. I. cap. XXI. n. V. — (3) Ibid. n. II. — (4) In Marco not. XIII. *Selon la quelle* Relation *le corps de ce Saint a esté enlevé par un vol sacrilège, et une insigne perfidie.* — (5) Loc. cit. pag. 26. — (6) Mem. Stor. Crit. sulla Vita, Translazione etc. di S. Marco cap. II.

atque reverentia coleretur? Perfidia vero, cum nihil aliud sit nisi datae fidei violatio, quaenam in hoc furto inveniri potest? quid Alexandrinis veneti mercatores spoponderant, quid monachis sacri corporis custodibus, cui cum non steterint, haec perfidiae nota ipsis possit inuri? Equidem pretiosissimum thesaurum callide furati sunt; at non idcirco quis perfidus dicendus, quia fur; nec omne furtum perfidia; praesertim si, ut Venetis accidit, eorum consensus liber et spontaneus accedat, quibus non modo servandi thesauri cura commissa sit, sed ius etiam aliquod in rem ipsam accedat. Nec tamen furtum abnuo: at non ideo Bonus et Rusticus, imo ne Stauratius quidem et Theodorus culpandi, qui id sibi omnino licere sine noxa, inspecta temporum conditione, arbitrabantur. Perperam illi quidem, sed eo tamen errore, qui in tanta illius temporis barbarie ignoscendus prorsus videbatur: siquidem obtinuerat illa aetate, ut huiusmodi sacrorum pignorum rapinae nulli genti probro aut crimini, sed honori potius et laudi tribuerentur; ita ut frequentissima per ea tempora apud ecclesiasticos historicos haec sanctorum corporum furta occurrant (1); cum christianae gentes universae sacris hisce thesauris ditari avidissime cuperent; Galli praesertim, qui plurima sanctorum corpora, non iam e provinciis Saracenorum tyrannidi subiectis, sed ex ipsa Italia asportaverant; ita ut nihil mirum, venetos etiam mercatores, corporisque custodes, homines rudes et simplices, id sine piaculo sibi etiam licere fuisse arbitratos. Nonne nostra etiam aetate multis adhuc persuasum est, reliquias sanctorum sine crimine furari licere? Adde in beati Marci translatione fuisse multa, quae homines illos permoverent, quae vix, aut ne vix quidem, in aliis occurrant. Siquidem et Mahumedanorum impietati eripere sacrum illud corpus, pium esse putabant, quorum manus et ludibria vix alia ratione effugere posset; et nonnisi ipsorum saevitia permoti eo devenere custodes, ut auferendum permitterent; et iterum eius dignitati et honori consulere videbantur, tum universae Ecclesiae commodo et utilitati, si in urbem illam transferretur, quae cum iam opibus, commerciis et advenarum frequentia prae ceteris polleret, ac in ipso quasi christianae reipublicae meditullio posita esset; facilem iis omnibus aditum patefaceret, qui illud veneraturi ab universis christiani orbis partibus ventitarent. Quod deinde ipso rerum eventu probatum est (2); cum ipso nono saeculo, et iis quae secuta sunt, frequentissimi undecumque peregrini voti causa Venetias appulerint, illosque inter viri longe plurimi vitae sanctimonia ac dignitate praestantissimi; quos profecto ab alexandrina peregrinatione, non itineris modo longinquitas, sed Saracenorum etiam immanitas, eaque vel maxime, removisset. Haec vero cum mercatores illi animadverterent, quae fortasse ipsa in patriam caritas atque amor amplificabat, quid mirum eo errore abreptos fuisse, ut id sibi licere arbitrarentur, quod alioquin exequi sine fraude non possent? Fuerit quidem, per me licet, furtum illud aliquo modo improbandum; at non item damnandi Veneti, quorum in errore ipso pietas atque

(1) Vide Baron. ad ann. DCCCXX. num. 1. Cornel. loc. cit. etc. — (2) Supr. lib. II. cap. II. num. V.

religio maxime elucet. Certe praeter Abulbircatum, cuius verba superius attulimus (1), nemo unquam ante Tillemontium repertus est, qui Venetos hac de re maledictis proscinderet; cum ex adverso non defuerint (2) viri longe sanctissimi, qui tantam urbis nostrae felicitatem gratulati, id omne *Deo misericorditer disponente* (3) evenisse dicerent; nec alia de causa Marci corpus Venetias advectum existimarint, nisi quia ipsemet sanctus Evangelista urbem illam (4) *ad hoc, ut pretiosum corporis sui thesaurum illi commendaret, elegit.*

37. *Comaclensis.* Comaclum, nota urbs in ditione pontificia. Dandulus in editis habet *Tomadensis* errore librarii. In mss. *Clomacensis, Comaclensis,* vel *Cumaclensis.*

38. *Forsitan alicuius Aegyptii etc.* Vide quae adversus hanc difficultatem attulimus supra, numero 30. Ceterum ad hoc prodigium, ac alia quae sequuntur, quod attinet, constat ex ecclesiastica historia, in sanctorum corporum translationibus plurima miracula contingere plerumque consuevisse; ita ut nil mirum sit, et in veneta S. Marci idem omnino evenisse; praesertim cum prodigia in Actis nostris relata ex iis sint, quae catholici hominis fidem minime excedant; non vero ex illis, quae plerumque a nugatoribus in huiusmodi narrationibus excogitari solent; monstris potius, quam portentis similia.

39. *Deinde cum nocte quadam tempestas etc.* Et hoc prodigium pictum extat in laudato musivo saeculi XI. sub fornice aedis marcianae (5), appositis, epigraphes loco, Marci ipsius ad Dominicum verbis:

TELLVS . ADEST . NAVTAE . DIC . VELVM . PONITE . CAVTE .

40. *Stroalia.* Insulam hanc Dandulus quoque *Stroaliam* vocat in manuscriptis, quamvis in editis habeat *Artalia. Stroaliam* Bollandiani (6) putant unam ex Strophadibus; Strophades autem corrupta voce *Strivali* nunc appellantur: insulae geminae, quas graeci monachi incolunt ad occasum Peloponnesi, qua Venetis Alexandria redeuntibus transeundum erat. Si quis vero quaerat, quomodo ex voce *Strophades* orta sit *Stroalia;* quaeram et ipse, quomodo ex eadem voce *Strivali* formatum fuerit. Certe inter *Strivali* et *Strophades,* seu potius singulari numero *Strophada,* medium nescio quid, nisi omnia me ludunt, sonat *Stroalia;* ita ut ipsa nondum perfecta vocis corruptio horum Actorum antiquitatem confirmare videatur.

41. *Timebant enim, ne illis beatum corpus per vim tolleretur ab aliquo.* Nec erat Venetorum timor sine causa. Siquidem testatur Baronius (7), ea tempestate *Francos, penes quos erat in Occidente summa vis atque potentia, sanctorum corporum cupidissimos, venari ea* consuevisse etc. Porro, Eginardo teste (8), eo ipso tempore, quo sacrum pignus advehebatur, Francorum classis, duce Bonifacio comite, Saracenos quaerens, qui Siciliam invaserant, vicina Italiae maria obsidebat; quam ne fortasse obviam haberent, Veneti magnopere formidabant.

---

(1) Supr. cap. II. n. V. — (2) Supr. cap. II. n. III. — (3) Petr. Damian. Serm. XV. — (4) Idem Serm. XVI. — (5) Supr. cap. II. n. VII. — (6) In Notis ad h. l. — (7) Ad ann. DCCCXX. num. L. — (8) Ad ann. DCCCXXVIII.

42. *Quousque ad sanctum corpus est deductus, etc.* Simile fere contigit Patavii anno MDCCCVI. (ni fallor) dum ipse in urbe illa versarer. Cum enim die XV. Februarii, quo die translatio S. Antonii celebrari solet, et incorrupta eius lingua fidelium venerationi videnda proponi, scholaris nescio quis totam illam solemnitatem irrisisset, ac linguam illam non iam S. Antonii esse dixisset, sed pecudis recenter mactatae, quam monachi antoniani quotannis fraude mala subiicerent; subito, a diabolo nescio an a morbo correptus, in terram prostratus, linguam ipse suam exerere coepit, quae ita repente intumuit, ut nec ipse illam retrahere ullo modo, nec medici quodnam hoc morbi monstrum esset, ne divinando quidem, assequi possent. Sed cum ancilla, quae impias eius voces sola audierat, rem gestam narraret, Deique ultionem agnosceret, idque ipse etiam nutibus confirmaret; vocati statim iuvenis parentes (aberant enim decimo circiter ab urbe milliario) voto sese adstrinxerunt, adducturos se illum ad S. Antonium, ac ad eius aram sacram Eucharistiam suscepturos; quibus cum se quoque consentire iuvenis ostendisset, lingua statim detumescente convaluit, votique reus S. Confessoris aedem nudipes cum parentibus invisit. Rem non gravissimorum tantum hominum, quos recitare possem, sed totius etiam eruditissimae civitatis testimonio firmatam, proferre volui; ne cui incredibile videri possit, id ipsum et in S. Marci translatione contigisse.

43. *Humacus* Histriae urbs maritima, nunc *Umago,* olim *Mingum,* sive *Ningum,* de qua vide geographos.

44. *Iustinianus . . . . . vehementer contra illos erat iratus.* Cum venetae naves diu Alexandriae constitissent: haud incredibile est, antequam illae reversae essent, id Iustinianum cognovisse: praesertim cum frequens mercatorum turba Venetias ea tempestate ventitaret.

45. *Portum olivolensem,* nunc *Porto di Venezia.* Olivolus vero insula est ex his, quibus urbs nostra conflatur, ad Orientem posita; ubi episcopi et patriarchae ad nostra usque tempora morari consueverunt. Nunc *Castello,* sive ex nomine Ecclesiae metropolitanae *S. Pietro di Castello.* Docet Cornelius (1), Henricum Contarenum olivolensem episcopum, quem obiisse tradit anno MCVIII. *dimisso olibolense titulo, primo castellanum episcopum se inscripsisse,* anno scilicet MXCI. ac deinde venetos praesules castellanos fuisse appellatos *ob congruentiam loci, in quo fundata visitur Ecclesia cathedralis;* cum non iam amplius *Olivolus* veteri nomine, sed *Castrum* sive *Castellum* appellaretur. Hoc posito, aliquid pro horum Actorum antiquitate hinc etiam concludi posse mihi videtur. Quia tamen in publicis monumentis etiam posteriori aetate *Olivoli* (2) nomen nonnunquam occurrit, nihil inde certi deducere ausim.

46. *Loci illius.* Cum haec Acta a veneto scriptore exarata esse non dubitem, mirari subit, cur hac forma dicendi auctor utatur, quae hominem innuere videtur alibi natum, aut saltem commorantem. Sed omnem difficultatem eximit

---

(1) Eccl. Ven. Dec. XVI. part. II. pag. 20. — (2) Corn. ibid. pag. 219.

Galliciolius (1), qui ex Lotharii et Caroli Crassi diplomatibus ostendit, circa finem saeculi IX. Olivolenses veluti plebem quandam a reliquo urbis populo diversam haberi consuevisse. Habes hic iterum non leve indicium vetustatis horum Actorum.

47. *In coenaculi loco. Coenaculum* vocat superiorem aedium partem; nam et paullo ante scalae meminit, per quam sacrum corpus *coenaculo* illatum est. Quin imo certum est, veteres Latinos (2) supremam domus partem *coenaculum* appellasse, eo quod ibidem coenare olim consueverant. Locus hic a Sagornino (3) et Dandulo (4) *capella* dicitur, eandemque *in palatii angulo factam* principis iussu hac occasione, *donec expleta esset Ecclesia,* idem Sagorninus affirmat. Ac videtur in hac re hallucinari antiquus ille scriptor; nam *palatii capellam* antiquiorem esse infra (5) ostendemus; nisi forte Iustinianus dux hac occasione novam aliam capaciorem et ornatiorem erexerit.

48. *Qui apud eius palatium usque ad praesens tempus monstratur.* Ex hoc loco evidentissime constat, auctorem vel saeculo IX. vel ante medium saeculum X. scripsisse: siquidem anno CMLXXVI. ut ait Dandulus (6), cum populus seditione facta Petrum Candianum vellet interficere, nec stipatum palatium fortissimorum militum custodia penetrare posset, iniecto vicinis aedibus igne, ducem palatio extrudere conatus est; quo incendio palatium ipsum, aedem S. Marci, et CCC. domos conflagrasse tradunt historici; ita ut, occiso Candiano, S. Petrus Urseolus, qui illi in ducatu successit, *combustum palatium et S. Marci Ecclesiam honorifice propriis sumptibus redintegrare studuerit* (7). Porro palatio combusto, certe etiam *coenaculum* in summa contignatione positum conflagravit: ac proinde Actorum auctor, qui coenaculo illo adhuc manente scribebat, ante medium saeculum X. floruisse dicendus est. Nec te moveat quod auctor chronici sagornini (8) asserat, palatium ab Angelo Particiaco erectum ad sua usque tempora perdurasse; *qui,* inquit, *palatii huc usque manentis fuerat fabricator;* nam ibi vel de palatii loco loquitur, cum antea alio loco situm esset, vel de solidioribus aedificii partibus, muris puta aut fundamentis, quae flammae pervia esse non potuere. Ceterum non modo incendium illud chronici auctor describit (9), sed, ut diximus, *combustum palatium, propriis sumptibus redintegratum* a S. Petro Urseolo fuisse tradit. Quod si conflagravit palatium, nonne ante omnia in tectum ascendere debuit flamma, et *coenaculum* illud de quo loquimur devastare?

49. *Ordinatis cantoribus, etc.* Puto a Iustiniano auctum cantorum et ministrorum numerum, qui etiam ante sacrum illud corpus translatum capellae palatii sui addicti erant. Nam in diplomate (10) Angeli et Iustiniani anni DCCCXIX. quo duces illi Ioanni abbati S. Servuli Ecclesiam S. Hilarii cum suo territo-

---

(1) Mem. Venete lib. I. cap. V. n. 133. — (2) Vide Varr. de Ling. Lat. lib. IV. Vitruv. lib. II. cap. VIII. Cicer. de Leg. Agrar. Orat. II. cap. XXXV. — (3) Pag. 31. — (4) Lib. VIII. cap. II. part. VI. — (5) Infra n. 48. — (6) Ad h. an. in ms. nostro. Vide etiam Sagornin. pag. 69. et S. Petr. Damiani in Vita S. Romualdi cap. V. Vide etiam Gallic. Memor Venet. lib. II. n. 939. — (7) Chronic. Sagornin. pag. 71. 72. Dand. loc. cit. — (8) Pag. 26. — (9) Pag. 69. — (10) Extat apud Lunig. tom. IV. pag. 1515. et apud Dandulum ad an. 819. sive lib. VIII. cap. I. Vid. etiam. Gallic. loc. cit. n. 925. Corn. Eccl. Ven. dec. XIII. part. I. pag. 179.

rio concedunt, haec ad calcem apponuntur: *Quem privilegii textum scribere praecepimus Dimitrium Tribunum notarium, nostraeque capellae primicerium.* Et antiquus chronographus apud Galliciolium (1) *Henricum* quendam primicerium commemorat anno DCCCXXI. Si itaque ante advectum S. Marci corpus Venetorum duces *capellam* et *primicerium* habebant, profecto nec deerant *capellani* sive *ministri*, quibus primicerius praeesset, nec Ioannes Particiacus capellam ipsam instituit, sed amplificavit; nec denique Stauratius monachus, quem ad primicerii honorem promotum sequenti nota ostendemus, primus omnium in primiceriorum serie habendus est, quod inepte nonnulli faciunt (2).

50. *Inter quos custos ille Stauratius primus erat.* Hinc constat Stauratium, mortuo fortasse *Henrico*, quem superius commemoravimus, primicerium a duce fuisse constitutum; quam dignitatem quamdiu tenuerit non constat. Videtur tamen usque ad annum DCCCXXXII. quo Ioannes Particiacus dux *Riccium* quendam *primicerium instituit* (3). Nec mireris hominem graecum, et illiteratum fortasse, ad illam dignitatem evectum esse, cum nondum dissidio inter graecam et latinam Ecclesiam exorto, aut saltem crudescente, Graecis ad latina sacra transire, et ecclesiasticas dignitates adipisci fas erat. Hinc apud Ughellum (4) videre potes, Christophoros geminos olivolenses episcopos, quorum alter anno DCCXCVII. alter DCCCIX. dignitatem illam adeptus est, graecos natione fuisse. Imo posteriorem hunc, antequam ad episcopatum proveheretur, Ecclesiae parochiali S. Moysis praefuisse Sagorninus (5) et Dandulus (6) tradidere. Nec refert illiteratum fuisse Stauratium (quod tamen nullo certo argumento pervinci potest): nam nequaquam necesse erat primicerium sacerdotio insigniri, cum, ut optime monent Cornelius (7) et Galliciolius (8), Ioannes, qui anno Christi MCVII. dignitatem illam obtinuit, nonnisi diaconi officio fungeretur.

51. *Cuius germanus Ioannes etc.* Ioannem, Iustiniano defuncto, Ecclesiam condidisse, Sagorninus (9) et Dandulus (10) aperte testantur.

52. *Vir Deo dilectus.* Haec verba, nisi omnia me ludunt, hominis sunt Ioanni duci apprime addicti; ac proinde vel ipso vivente scribentis, vel ipsius, quem aliquando praesentem viderat, memoriam recolentis. Coniecturam hanc, levem licet, aequi aestimet optimus lector.

53. *Ad eam similitudinem, quam supra Domini tumulum Hierosolymis viderat.* Hoc est rotundam; nam talem fuisse *Anastasin* sive Ecclesiam S. Sepulcri a Constantino erectam, tradunt Paschasius Radbertus (11), Adamnanus (12), Beda (13), Bernardus monachus (14) aliique (15). Ecclesia illa ad annum Christi MXI. perduravit, quo anno, iubente Hachemo aegyptio calipha, funditus subversa est,

---

(1) Ibid. — (2) Ughell. tom. V. in Primic. S. Marci. — (3) Galliciol. loc. cit. — (4) Ital. Sacr. Tom. V. in Venet. Patriarch. n. II. et III. — (5) Pag. 23. — (6) Apud Ughell. loc. cit. — (7) Dec. XIII. pag. 180. — (8) Mem. Ven. lib. II. num. 924. — (9) Loc. cit. — (10) Loc. cit. — (11) In Matth. lib. XII. in cap. XXVII. v. 60. — (12) Itiner. lib. I. cap. II. — (13) De loc. sanct. n. II. — (14) Itiner. n. 10. — (15) Vide Anton. Aug. Touttée ad calcem adnot. in S. Cyrill. Hierosolym. Descript. Templi S. Sepulchri. Sirmond de triplici nummo antiq. oper. tom. 4. pag. 437. edit. Paris.

ut Gullielmus Tyrius testatur (1). Itaque Ioannes dux constantinianam illam Ecclesiam imitatus est, ubi columnis XII. in gyrum dispositis tholus suspendebatur, ac supra sacrum μνῆμα incurvabatur. Quod autem aiunt Acta, Ioannem hierosolymitanam Ecclesiam vidisse, id fortasse factum est quo tempore, Agnello patre iubente, ab urbe exulabat (2). Quamvis non tam ipsam Ecclesiam, quam Ecclesiae delineatum schema a Ioanne visum coniectare quis posset; quale et Adamnano ab Arculpho oblatum est (3): siquidem Phocas testatur (4), templi illius formam aetate sua notissimam et pervulgatissimam fuisse; ita ut ab ipsius descriptione sibi, licet de locis sanctis scribenti, abstinendum existimet.

54. *In eo autem efflorescunt etc.* Cum nullam novi templi ab Urseolo conditi mentionem iniiciat Actorum auctor, imo ita loquatur, ut primum illud a Ioanne duce excitatum extare adhuc ostendat, hinc quoque colligere licet, Acta haec ante medium fere saeculum X. conscripta fuisse; vide supra numero 48.

Haec scripseram, cum mihi repente Franciscum Mariam Milesium patriarcham ex hac luce migrasse nuntiatum est. Antistitis optimi, a quo tot beneficiis cumulatus fueram, quo auctore atque auspice opus hoc fueram aggressus, mortem vehementer dolui; utpote quae non mihi tantum, verum urbi universae lacrymabilis prorsus acciderat. Scilicet pastorem ac patrem longe amantissimum amisimus, cuius benefacta, natumque ad grandia animum nulla unquam apud Venetos oblivio abolebit, nulla aetas conticescet. Siquidem, sin minus amplissima, ditissima tamen domo ortus, dum sua omnia aliorum commodis impendit, obiit ipse paene pauper: hoc unum sub vitae exitum conqueri auditus, quod liberalitate sua id demum effecisset, ne in ipsa morte liberalis esse posset. Optimi profecto ingenii praesul; quemque et christianae catecheseos scholae certis legibus constitutae, et domicilium hospitale universis urbis pauperibus excipiendis institutum, et clericorum seminarium erectum, et alia multa brevissimi patriarchatus tempore beneficia urbi praestita, posteritati commendabunt; et cui similes successores universos optabit posteritas, paucos assequetur.

HAVE . ANTISTES . OPTIME . ATQVE . VALE
NOS . TE . QVO . ORDINE . DEVS . IVSSERIT
ITERVM . IN . COELO . AMPLECTEMVR

---

(1) Belli sacr. lib. I. cap. IV. — (2) Sagorn. pag. 27. Dandul. lib. VIII. cap. II. — (3) Adamn. loc. cit. — (4) De locis sanctis n. XIV.

CAPUT VI.

DE COMMENTITIA CORPORIS S. MARCI AD AUGIAM DIVITEM TRANSLATIONE.

I. *Cur agendum nobis de augiensi fabula existimemus.* II. *Fabula ipsa breviter refertur; tum auctores producuntur, unde ipsa deducta est.* III. *Auctorum eorundem loca afferuntur atque expenduntur.* IV. *Ipsa translationis historia expenditur.* V. *Reginaldi Carlii de ea re suspicio convellitur.* VI. *Quaesitum de Ratoldo. Augiensium de illo commenta.* VII. *De translatis cum S. Marco SS. Senesii et Theopempti corporibus. Iterum de Ratoldo.* VIII. *De Valente, sub cuius nomine Marcum delituisse tradunt Augienses.* IX. *Adducuntur testimonia IV. Kalendariorum antiquissimorum adversus Augienses.* X. *Martyrologii Vaticani aetas. Saeculo X. vel XI. exaratum constat.* XI. *Stabulense Kalendarium ad saeculum XI. pertinere ostenditur.* XII. *Rhinoviense ad saeculum X.* XIII. *Tum Richenoviense ad saeculum XI. et fortasse XII.* XIV. *Ex hisce Martyrologiis deducitur, fabulam augiensem saeculo XIII. invaluisse.* XV. *Aliorum scriptorum silentium augiense delirium evertit.* XVI. *Hermanni Contracti locus excutitur, ac posteriori manu additus demonstratur.* XVII. *Conclusio. Munsteri calumnia reiecta.*

I. Diu haesi anceps, utrum de augiensi corporis S. Marci translatione, seu potius de absurda augiensis translationis fabula agendum mihi esset, nec ne; cum varia hinc inde momenta animum in diversa distraherent, nec quid potissimum agendum esset, satis intelligerem. Nam nec putidum commentum, nullo vetustatis testimonio munitum, viro critico curandum esse videbatur, praesertim cum nonnisi longa oratione refelli posset, et id ante nos vir eruditissimus Flaminius Cornelius (1) aliique (2) luculenter praestitissent; nec iterum indicta omnino controversia illa praetermittenda esset, quam viri longe eruditissimi diligenter esse expendendam existimassent; quaque sublata, pretiosissimi thesauri possessio extra omnem dubitationis aleam Venetis assereretur. Ac brevior quidem et expeditior totius quaestionis dissolvendae via mihi offerebatur, si ipsa paucis verbis commemorata, ad eos scriptores, qui de illa ex professo egissent, lectores ablegassem: praesertim cum ita ipsi, ac praecipue Cornelius, disputassent, ut nullus prorsus adhuc dubitandi aditus relinqueretur. Verum cum diu in ambiguo versatus essem, re tamen diligenter expensa, demum in eam sententiam descendi, ut hanc quoque quaestionem eventilandam susciperem; tum

(1) Eccl. Ven. Dec. XIII. part. I. pag. 29. etc. — (2) Dorscheus Relat. Anonymi etc. edita Argentor. in 12. an. 1645. Manin Memor. Storic. Critic. sopra S. Marco cap. IV. pag. 22. Cigogna Diss. sullo scoprim. del corpo di S. Marco pag. 29. Carli Diss. sul corpo di S. Marco n. XII. pag. 86.

ne quid mihi praetermissum esse videretur, homini, qui quaecumque ad S. Marcum referuntur expendenda esse decreveram; tum ut lectori, fortasse illorum auctorum copiam minime habenti, constaret apertissime, quam levibus, imo inanibus argumentis nitantur quicumque sanctissimi corporis possessionem urbi nostrae ausi sunt denegare. Nemo itaque mihi succenseat, si absurdissimum commentum, quodque contemptu potius excipiendum quis dixerit, quam serio refutandum, operosius atque prolixius expendam. Totum hoc meae in patriam mihi carissimam pietati tribuat; quae cum innumera, quibus olim ceteris gentibus invidenda videbatur, ornamenta amiserit; hoc uno tamen, quod aeternum sibi fore confidit, expoliari nullo modo patienter ferre poterit.

II. Tota vero rei summa in hoc sita est. Aiunt augienses monachi anno aerae christianae DCCCXXX. Ratoldum, sive Rotaldum, sive Radoltum, sive Ratholphum, sive Catolphum (neque enim satis convenit de nomine) veronensem episcopum, corpus S. Marci, pecunia numerata, a Veneto quodam accepisse, idemque sub Valentis nomine in augiensis monasterii Ecclesia condidisse; obiisse deinde vero, Evangelistae nomine minime vulgato; sed processu temporis, revelatione facta Gebardo episcopo constantiensi, qui obiit circa annum Christi DCCCLXXXV. ipsummet S. Marcum nomen suum indicasse: Gebardum id augiensi abbati aperuisse; sed cum secretum diu apud abbatem ac monachos servatum fuisset, demum circa annum CMXXX. sub Notingo episcopo constantiensi fuisse propalatum. Est autem Augia, sive Richenaw, insula quaedam prope occidentalem constantiensis sive Acronii lacus oram, quo loco Rhenus a lacu illo egrediens, in alterum, nempe venetum (vulgo *Cellerzee*) influit. Ibi anno Christi DCCXXIV. cum S. Pirminius abbas monasterium fundasset sub regula S. Benedicti (1), ita processu temporis opibus atque fama auctum est, ut inter celeberrima Germaniae universae haberetur; donec anno Domini MDXXXVI. instante constantiensi episcopo apud Pontificem (2), monasterium ipsum constantiensis episcopatus mensae coniunctum est. Ad hanc itaque insulam ac monasterium S. Evangelistae corpus translatum tradunt. Verum rem tam levibus, imo absurdis rationum momentis confirmant, ut ipsis vel obiter inspectis, de tota huius fabulae vanitate apertissime constet. Nam nec synchronum ullum, aut saltem suppar monumentum afferre possunt; nec Acta ulla proferunt, quae fidem aliquam mereantur. Ac de Actis deinde: interim ad auctores quod attinet, quos veluti testes producunt, hi fere sunt: Andreas ratisbonensis, Ioannes Egon, Anonymus ab Urstitio productus, Hermannus Consterus, Eggardus, Martyrologium richenoviense, sive augiense, Martyrologium alterum pragense, aliique recentiores. Sed nullius magis auctoritatem praetendunt ac Hermanni Contracti augiensis monachi, viri sanctissimi atque eruditissimi; qui in chronico quod ad annum Christi MLIII. producit, translationem illam diserte commemorat: ut nihil dicam de Bucelino aliisque

---

(1) Vide Ioann. Egonem de Vir. illustr. Aug. Divit. part. I. num. 1. apud. Pez. Anecd. tom. I. Andreae Ratisb. Chron. ad annum 718. apud eundem tom. IV. Hermann. Contract. Chronic. ad annum. 724. etc. — (2) Vide la-Martiniere Dict. Geog. Voc. *Rychenaw*.

ex Germania recentioribus scriptoribus, quorum ut nimis sera aetas est, ita nulla prorsus rei antiquissimae asserendae ac confirmandae esse potest auctoritas. Quos omnes si ea quae referunt ex incertis traditionibus hausisse demonstravero, aut ex Hermanno exscripsisse; Hermannum vero, quo loco fabellam hanc exhibet, aliena manu interpolatum atque corruptum; iam nihil amplius supererit, quod Augiensium traditioni possit suffragari. His tamen haud ipse contentus, et ex aliorum scriptorum silentio quos tamen de translatione illa omnino loqui decebat, et aliunde etiam argumenta adversus Augienses haud contemnenda proponam; ostendamque nonnisi omnibus criticis legibus, et communi hominum sensu amandato, tam absurdum commentum posse defendi. Accedent coronidis loco Acta ipsa, quae a nonnullis circumferuntur, quaeque perpetuo commentario expendemus, in quibus absurda multa et putida, nonnulla blasphema atque impia, omnia inepta atque futilia esse demonstrabimus; ita ut mirum videri possit, fuisse aliquando qui Actis illis tribuendum esse aliquid existimaverint. Facem autem nobis in praesenti disputatione praeferet vir longe eruditissimus Flaminius Cornelius (1), qui, alio licet ordine, de tota hac augiensi fabella disertissime disputavit; additis tamen multis, quae viri ceteroquin pervidentissimi aciem effugere.

III. Ac ut de auctoribus primum dicam, quinam illi sint videamus. Proferunt Andream ratisbonensem, cuius chronicon inter anecdota edidit Pezius (2). At Andreas chronicon suum profert ad annum Christi MCCCCXXII., ac tardus nimis testis advenit saeculo XV. eorum, quae saeculo IX. incipiente gesta traduntur. Quid ille tamen? *Corpus*, inquit ad annum DCCCXV. *S. Marci evangelistae sub nomine Valentis martyris Radoltus turonensis episcopus a duce Venetiae impetravit, et cum corpore Genesii martyris in Augiam insulam attulit.* Proferunt Ioannem Egonem, ab eodem Pezio vulgatum (3), scriptorem saeculi XVII. narrantem (4): *Ratoldum veronensem episcopum a familiari sibi Iustiniano quodam, Venetorum duce, data aliqua pecuniae summa, impetrasse, ut sibi de insigni alicuius Sancti corpore circumspiceret. Fecisse ita Venetum, et statuto die sacrosancta Marci evangelistae lipsana episcopo attulisse, ac rogavisse, ut tacito aliquandiu S. Marci nomine, S. Valentis martyris et episcopi ossa dicerentur. Ea vero Ratoldum Augiam attulisse V. idus Aprilis anno DCCCXXX. Tum anno DCCCLXXIV. obiisse, atque in templo a se condito et Ratoldi cella appellato conditum fuisse;* quae historiola quot ἀναχολούθοις et ἀναχρονισμοῖς referta sit, infra videbimus. Proferunt Anonymum ab Urstitio (5) productum, cuius mihi aetas incomperta; sed quem tamen sero nimis scripsisse Cornelius (6) testatur; quique asserit: *Corpus S. Marci evangelistae sub nomine Valentis martyris Ratholdum veronensem episcopum a duce Venetiarum impetrasse, et cum corpore S. Genesii martyris ad Augiam insulam attulisse.* Proferunt Hermannum Consterum, scriptorem et ipsum

(1) Loc. cit. — (2) Pez. Anecd. tom. IV. part. III. pag. 273. — (3) Ibid. tom. I. part. III. pag. 629. — (4) De Vir. Ill. Augiae lib. I. cap. VI. — (5) Parte II. ad ann. 819. — (6) Loc. cit. pag. 58. ad calcem.

saeculi XVII. *Eggardi* auctoritatem praeseferentem, hoc est, ni fallor, *Eggehardi*, sive *Eckardi*, aut *Ekkehardi* scriptoris saeculi XII. qui refert: *Radulphum episcopum veronensem corpus S. Marci evangelistae sub nomine Valentis martyris a duce Venetiarum impetrasse, et cum corpore Genesii martyris in Agram* (lege Augiam) *insulam intulisse*. Proferunt Martyrologium richenoviense, id est augiense (1) saeculi XII. ubi ad diem V. idus Apriles legitur: *Translatio corporum S. Marci evangelistae, et S. Senesii martyris in Augiam anno DCCCXXX.*; quae tamen verba cum recentiori manu apposita sint, pertinent fortasse ad saeculum Christi XIII. aut XIV. Proferunt denique Martyrologium pragense (2), ubi narratur, Carolum IV. imp. aug., qui saeculo Christi XIV. floruit, a monachis augiensibus *magnam partem corporis S. Marci multis precibus obtinuisse*; quam in cathedrali pragensi Ecclesia reposuit. Memorat etiam Egon (3) *iucundum poema in antiquo libro contra negantes corpus S. Marci in Augia haberi, quod sic incipit:*

Exit ut in mundum fons horti deliciarum:

verum poematis huius aetatem tacet, quam tamen non ita esse remotam ostendit ipsius carminis argumentum; siquidem eodem spectat ac Acta ipsa, quae, ut ostendemus (4), adversus eosdem *negantes* non ante saeculum XIII. exarata sunt. Missos facio Ioannem Georgium Tibianum, Bruschium, Spiegelium, Munsterum, Ohemium aliosque recentiores a Dorscheo (5) productos: neque enim quicquam tam sero venientibus tribuendum. Verum ad priores illos quod attinet, quae porro auctoritas esse potest scriptorum, qui tot post rem gestam saeculis ipsam nobis obtrudunt, quos inter qui antiquissimus haberi potest, is nonnisi saeculo XII. floruit, hoc est CCC. annorum spatio inter ipsum et supposititiam illam translationem interiecto? quae potest esse auctoritas scriptorum, qui sibi invicem in multis adversantur, nec in episcopi nomine, nec in ipsius rei gestae ordine inter sese conveniunt? Episcopum Andreas ratisbonensis *Radoltum* appellat, et *turonensi* Ecclesiae praefuisse dicit: *veronensem* dicunt Egon, Anonymus urstitianus et Eggehardus; at Egon augiensis monachus, qui augiensia manuscripta diu evolvit, illique subscribens Anonymus, *Ratoldum* nuncupat: Eggehardus vero omnium antiquior *Radulphum*. Egon corpus illud, *pecunia aliqua data* Venetorum duci, a Ratoldo turpissimo mercimonio acquisitum docet: ceteri *impetratum* dicunt, hoc est precibus postulatum, et ducis largitione concessum. Traditum praeterea a duce *sub Valentis nomine* omnes docent, at quomodo qui *Valens* prius dicebatur, in *Marcum* evaserit, altum apud omnes silentium. Nonne haec omnia satis aperta indicia sunt ineptae fabellae, nulla sibi ex parte constantis? Adde Egonem, quae refert, ex Actis, quae deinde afferemus, omnino accepisse; ea enim se in augiensi bibliotheca legisse manuscripta, diserte te-

(1) Apud Bollandian. in Proleg. ad tom. VI. Iunii. — (2) Apud Cornel. loc. cit. — (3) De Viris Illust. Augiae lib. II. cap. XXXI. — (4) Infr. cap. VIII. n. 1. 10. 51. 79. etc. — (5) Nota prima in hist. transl. augiensis etc.

statur (1): ac proinde nihil ex eius testimonio posse concludi; quod et de pragensi Martyrologio et de Andrea ratisbonensi dicendum est, qui hoc quod narrant ab Augiensibus accepere: quamvis Andreas id etiam ex interpolato Hermanni chronico, aut ex richenoviano Martyrologio itidem interpolato hausisse potuerit; imo ex populari etiam traditione satis saeculo XV. per Germaniam vulgata, quod innuere videtur illa nominum transmutatio *Ratoldi* in *Radoltum* et *veronensis* in *turonensem*. Ex quo fit, ut si quid ex auctoribus, quos afferunt Augienses, colligi posset, totum id ex Anonymo Urstitii et Eggardo deducendum est, qui tamen et ipsi, ut diximus, sero nimis floruere.

IV. Verum quod ab iisdem traditur parumper expendamus. Aiunt *an. DCCCXXX. Ratoldum veronensem episcopum corpus S. Marci a Iustiniano duce Venetiarum impetrasse.* Anno Christi DCCCXXX. Venetiarum dux erat, non iam Iustinianus Particiacus, ut inepte tradit Egon, sed Ioannes Iustiniani frater, ut apud Dandulum (2) et Sanutum (3) videre est. Verum Iustinianus ne tunc temporis, an Ioannes dux fuerit, mea nihil interest: unum quaero, qui fieri potuerit, ut Venetorum dux, cuius haud contemnenda erat tunc temporis dignitas atque potentia, tanta familiaritate cum Ratoldo sive Rotaldo coniungeretur, ut episcopus ille non modo ingentem illum thesaurum postulare auderet, quo nihil pretiosum magis urbs nostra possidebat; sed ab eodem etiam obtinere potuerit? Nam quod de numerata pecunia tradit Egon, vix eget refutatione. Quid enim illi pecuniae inhiarent aut Iustinianus aut Ioannes, hominum sua aetate ditissimi, quorum alter S. Zachariae et S. Hilarii monasteria condidit, praediis atque possessionibus auxit (4); alter ex sua et fratris pecunia splendidissimam S. Marco aedem per haec ipsa tempora aedificavit (5)? Hoscine homines *aliqua* illa *pecuniae summa,* a Ratoldo promissa, ad tam nefarium facinus allicere posset? Quid quod utrumque ducem piissimum fuisse laudati auctores testantur (6)? Quid autem aut scelestius, aut probrosius religiosissimis principibus affingi potest turpi illo mercimonio, quod ab ipsorum alterutro peractum Augienses comminiscuntur? Adde, constare ex Iustiniani testamento (7), sacratissimum illud corpus, quod *suis diebus recipere promeruerat,* ab eo nunquam aut divenditum aut donatum fuisse. Neque enim, qui sacra illa lipsana aliis in Germaniam usque transferenda tradidisset, is, ingenti pecuniae summa legata, *Ecclesiam fieri pro repositione beati corporis devotissime disposuisset,* quod ex authentico eius testamento, a se haud semel inspecto, tradit Dandulus (8). Quod et de Ioanne Iustiniani fratre ac successore dicendum. Nam qui unquam magnificentissimam Ecclesiam corpori illi recondendo tanta cura erexisset, qui corpus illud iam Ratoldo veronensi donasset? Ita ne ineptire homines putandi sunt? At cur donavit? gra-

(1) De Viris Ill. Aug. Divit. lib. II. cap. XXII. lib. III. cap. X. XII. et XIV. — (2) Lib. VIII. cap. III. — (3) Ad ann. DCCCXXIX. — (4) Chron. Sagorn. pag. 30. Dand. lib. VIII. cap. II. part. X. Vide supr. cap. V. num. 48. — (5) Vide supr. cap. II. n. IV. cap. IV. n. XIX. cap. V. n. 52. Sagornin. pag. 34. Dand. lib. VIII. cap. III. part. I. — (6) LL. cc. — (7) Supr. cap. II. num. IV — (8) Vide supr. loc. cit.

tis ne, an pretio numerato? occulte ne, an manifeste? Si manifeste, cur deinde Ecclesiam construxit, ac in ea sacra lipsana se recondere simulavit? cur *Valentis* nomine latere pretiosissimi muneris veritatem voluit? Si occulte, quid ipsum movit cur donaret? an Ratoldi amor et preces? at quis iste Ratoldus, cuius tanta sit apud piissimum principem gratia, ut patriam suam, quae ipsum ad regnum evexerat, tanto thesauro fraudulenter privare voluerit, eandemque deinde, simulata eiusdem corporis in templum a se extructum translatione, decipere? An oblato pretio? Non ea erat particiacae domus aut inopia aut avaritia, ut exiguo illo pretio, quod veronensis episcopus exhibere posset, in huiusmodi scelera pelliceretur. Adde, non adeo exiguam rem venetam tunc fuisse, ut multo maiora, parvo aliquo adiecto vectigali, sibi Ioannes (siquidem pecuniae inhiabat) non posset comparare.

V. Verum haud praetereunda Ioannis Reginaldi Carlii v. cl. (1) coniectura, quae magnum nobis negotium facessere posset, nisi illam Augustinus (2), Reginaldi ipsius filius, subductis temporum rationibus, satis sollerter dissolvisset. Siquidem animadvertit Reginaldus: *Ratoldum* (3) *vixisse anno DCCCXXX. quo anno, populari tumultu Venetiis oborto, adversus Ioannem Particiacum Carosus quidam tribunus ducatum occupavit, quem tamen non ultra sex menses tenuit: siquidem ab adversae partis hominibus captus, atque oculis orbatus est, Ioanne revocato atque restituto. Porro haud omnino absurdum, Carosum ceteris sceleribus hoc etiam addidisse, ut S. Marci corpus Ratoldo vendiderit.* Haec Carlius pater: at filius animadvertit, perperam Carosi tyrannidem ad annum Christi DCCCXXX. referri, quae nonnisi anno eiusdem saeculi XXXVI. alliganda sit. Refert siquidem Dandulus (4), Ioannem ab Caroso eiectum ad Ludovicum Pium confugisse, ab eodemque *de favore sibi exhibendo satis gratum sibi responsum habuisse;* idque evenisse postquam idem Ludovicus (5) *iam relaxatus arma, imperium et uxorem receperat, filium Lothartum in Italiam redire coegerat, statueratque, ut in Gallia et in Italia festum omnium Sanctorum celebraretur, sicut et Romae.* Porro cum constet ex Sigiberto, non ante an. DCCCXXXV. (6) in Germania et Gallia solemnitatem illam celebratam fuisse, *monente Gregorio papa, assentientibus omnibus episcopis, statuente Ludovico imperatore;* eaque festivitas sub exitu anni, hoc est kal. Novembris celebrari soleat; certum est nonnisi extremo anno DCCCXXXV. sive potius anno DCCCXXXVI. Ioannem ad Ludovicum confugere potuisse. Quo loco obiter animadverto, totam illam Danduli periocham, quam attulimus, ex Sigiberto exscriptam fuisse, qui ad annum DCCCXXXIV.: *Ludovicus*, inquit, *imperator relaxatur, arma et imperium*

---

(1) Ant. Ital. tom. IV. pag. 23. edit. II. — (2) Diss. sul corpo di S. Marco pag. 94. — (3) *Ratoldo vivea nell'* 830. *ed in detto anno nata una sollevazione contro Giovanni doge, fu usurpato il ducato da Caroso tribuno, che lo tenne soltanto sei mesi; perchè dal contrario partito fu preso ed abbacinato, e quindi richiamato Giovanni. Chi sa che fra le iniquità commesse da Caroso non si debba contare anche la vendita del corpo di S. Marco?* Carl. loc. cit. — (4) Chronic. Sagornin. pag. 33. Dandul. Chronic. lib. VIII. cap. III. part. IX. — (5) Loc. cit. parte VII. et IX. — (6) Ad an. 835. Vide Baronium in not. ad Martyr. ad diem 1. Nov. et ad an. 835. n. LXXIII. et seqq.

et uxorem accipit, ac filium Lotharium in Italiam redire coegit. Equidem pro *Ludovico* chronicon sagorninum habet *Carolum:* perperam tamen, nam Carolus Magnus obiit anno Christi DCCCXIV. (1); Carolus vero Calvus anno tantum DCCCXL. (2) regnum capessivit, ita ut neutrius auxilium postulare Ioannes potuerit, qui ab anno DCCCXXIX. ad DCCCXXXVII. (3) ducatum gessit. Stat igitur, Carosum tyrannidem nonnisi anno eius saeculi XXXV. aut XXXVI. arripuisse, ac proinde nullo modo Ratoldum ab ipso S. Marci corpus accepisse; cum id omnes, qui augiensi fabulae subscribunt, anno DCCCXXX. factum fuisse confirment. Quid quod, etiam si daremus in anno translationis assignando hallucinatos fuisse, adhuc tamen constaret, tam nefarium facinus nequaquam a Caroso perpetrari potuisse? Mitto ex iis quae referunt Acta (4) et Egon supra laudatus, ducem ad condictum locum venisse, ut Ratoldo sacra lipsana afferret; quod profecto a Caroso praestari nequaquam potuit: mitto inter promissionem et allata a Veneto lipsana (5) integrum fere annum transiisse, quod ne fieri potuerit, brevissima Carosi tyrannis prohibuit; at quaero, quomodo tam scelestum facinus Venetos latere potuisset? quomodo Sagornini et Danduli, imo eorum unde ipsi chronica sua excepere, diligentiam effugere? quomodo primicerii (6), Stauratii, Theodori, cantorum, ministrorum a Iustiniano duce ordinatorum, qui nocturnae diurnaeque sacri pignoris custodiae adsidebant, oculos fallere? Quod si, ut innuere videtur Sagorninus (7), Ioannes nonnisi post Carosum obcaecatum ac in exilio missum sacrum thesaurum in Ecclesiam a se conditam intulit; qui fieri potuit, ut effracta sigilla, ablatum corpus aut mutatum non intelligeret? Si vero ante exilium id Ioannes fecerat, potuit ne, omnibus insciis, urnam aut effringere Carosus, aut aperire, depositum auferre, corpus unum pro altero subiicere? Equidem tantum Venetorum stuporem fuisse, nonnisi stupidissimo cuipiam poterit persuaderi. Quod quidem argumenti genus tale est, ut non in Carosum tantum, sed in alium quemlibet, a quo ablatum sacrum corpus quis dixerit, omnino possit convenire.

VI. Nunc Reginaldi coniectura sublata, ad Augienses iterum revertamur. Refert Egon, Ratoldum, allato in Augiam corpore sancti Marci, *anno Domini DCCCLXXIV. supremum diem obiisse, et in templo a se condito, et Ratoldi cella appellato, sepultum fuisse.* Mirum quanta in paucis hisce verbis peccet Egon. Nam ait, *Ratoldum obiisse anno Christi DCCCLXXIV.* At constat ex Ughello, Ratoldum, sive *Rotaldum* non ultra annum DCCCXLIV. vixisse. Refert enim Anastasius bibliothecarius (8), Sergium romanum pontificem, qui anno illo pontifex est inauguratus, eo ipso anno Lotharium Ludovici imp. f. in basilica S. Petri imperatorem consecrasse; cumque plurimos episcopos recenseat, qui sacrae illi caeremoniae adfuere, Agninum quoque veronensem inter ceteros enumerat: quod profecto indicat, Ratoldum e vivis iam excessisse. Quod vel ipse Egon

(1) Sigib. ad ann. 814. — (2) Sigib. ad ann. 841. — (3) Dandul. loc. cit. — (4) Cap. seq. num. V. — (5) Ibid. num. IV. et V. — (6) Supr. cap. IV. n. XVIII. — (7) Pag. 34. — (8) In vita Sergii II. Pp.

aliunde pervidere poterat: siquidem ipse refert (1), Ratoldum anno Christi DCCXCIX. Eginoni, *cuius ipse clericus fuerat et capellanus,* in veronensi episcopatu successisse. Agebat itaque Ratoldus eo tempore XXX. saltem aetatis suae annum, ac proinde anno DCCCLXXIV. quo mortuum dicit, annum aetatis suae CIV. egisset; ad quam aetatem hominem pervenisse, licet omnino absurdum non sit, tamen cum in nullo ex augiensibus chronicis ab Egone inspectis notetur (notanda certe fuit tam longaeva sanctissimi episcopi aetas) videtur omnino reiiciendum. Itaque etsi admittamus, quod refert Egon, Ratoldum, abdicato episcopatu, in Augiam insulam secessisse, adhuc tamen haec superest ex Ratoldi aetate petita difficultas. Quantum vero illud est, quod Egon tradere videtur, Ratoldum anno Christi DCCCXXX. episcopatu cessisse, quem tamen anno DCCCXXXIV. adhuc veronensem cathedram tenuisse aperte probant diploma Lotharii eius anni ab Ughello relatum (2) et annalista Bertinianus a Pagio (3) productus? Quin imo videtur Ratoldus, si unquam Augiam secessit, id non tam solitudinis amore fecisse, quam quod a Lothario ipso, cuius offensionem incurrerat (4), a veronensi Ecclesia prohiberetur. Cum vero non constet, illum unquam episcopatum abdicasse; fit inde ut cum anno Christi, ut vidimus, DCCCXLIV. iam illi Agninus successisset, ille iam e vivis excessisse putandus sit. Extant praeterea apud eundem Ughellum diplomata duo, alterum (5) Ludovici imp. Lotharii filii anni DCCCXLVII. alterum (6) Ardercarii episcopi anni DCCCLXV. ubi de Ratoldo mentio iniicitur; sed ita ut, licet minus aperte, ad plures tamen transiisse videatur; et Baptista Biancolinus (7) testatur, constare ex ms. quodam illum anno DCCCXL. die VI. Aug. extremum diem obiisse. Addit Egon, Ratoldum post mortem in cellam a se extructam, quae *Ratoldi cella appellatur,* illatum fuisse. At *Ratoldi cella,* quod ipse noverium, extat prorsus nulla ad laci veneti oram, ubi illam a Ratoldo aedificatam tradit Egon: sed eius loco extat *Rottolfzell,* sive *cella Rotolphi,* aut *Ratolphi* (8), quam is qui Hermanno Contracto additamenta adiecit (9), conditam dicit a *Ratolpho episcopo veronensi;* eundemque episcopum anno DCCCLXXIV. mortem obiisse tradit, et in illa cella sepultum. *Ratolphus* hic ignotum Veronensibus nomen; praeter Hermanni interpolatorem, Egon cum *Ratoldo* confundit, imo et Eggardus qui illum *Radulphum* appellat (10); quo fit ut eius vitam, ut diximus, ad annos ultra CIV. producant. Sed quod maxime mirandum est, hunc ipsum *Ratoldum,* perinde ac si immortalis effectus esset, viventem adhuc et vegetum, annumque agentem vitae suae centesimum decimum quintum invenio apud Mabillonium (11) ad annum Christi DCCCLXXXV. Integrum proferam eruditissimi monachi locum: *In libello,* inquit, *fratrum conscriptorum sancti Galli Ratholdus veronensis episcopus,*

---

(1) Lib. I. cap. V. et VI. lib. III. cap. X. et XII. — (2) Episc. Veron. n. XLV. — (3) Ad ann. DCCCXXXIV. n. IV. — (4) Vide Murator. ann. d'Ital. ad ann. DCCCXXXVI. — (5) Episc. Veron. n. XLVII. — (6) Episc. Veron. n. XLIV. — (7) Diss. de'Vesc. di Verona pag. 32. — (8) Vide Martinière *Rottolfzell;* Baudrand *Cella Ratolfi,* etc. — (9) Ad ann. 874. — (10) Supr. n. III. — (11) Ann. Ord. S. Benedict. ad annum 885. n. XCIV.

et duo monasteria, Morbacum scilicet et Rinowa (h. e. Augia sive Reychenaw.) *in hanc societatem hoc anno admittuntur. De primo haec leguntur in illo libello* (1): *Anno Incarnationis Domini DCCCLXXXV. Indictione tertia venit Ratholt, nobilissimus Alamannorum, veronensis Ecclesiae pontifex, ad monasterium S. Galli, et depositionis eius festum cum ipsa congregatione iocundissime celebravit; quem venerabilis tunc abbas Bernhardus cum fratribus sibi subiectis in orationis suae communionem suscepit; ut sive in hoc saeculo vivens, sive ad Christum vadens, eadem cura Dei misericordiae ab illis sicut unus commendetur ex ipsis.* Subiicit deinde Mabillonius: *De hoc Ratholdo inter veronenses episcopos nihil occurrit hoc tempore, quo Adelardus pontificatum tenebat* (2), *cuius forte chorepiscopus fuerit ipse Ratholdus.* Neque in annorum notis obrepsisse errorem suspiceris. Nam praeterquamquod anno DCCCLXXXV. optime respondet indictio tertia, refert Mezlerus (3), Bernardum I. S. Galli abbatem non ante annum DCCCLXXXIII. abbatiam illam adeptum esse, quam deinde ad annum Christi DCCCXCI. obtinuit. Habemus igitur *Ratholdum* veronensem episcopum inauguratum an. DCCXCIX. mortuum an. DCCCLXXIV. viventem an. DCCCLXXXV. Habemus *Ratolphi cellam* a Ratoldo et a Ratholpho erectam: habemus utrumque in illa cella eodem anno tumulatum. Quis mihi hunc nodum dissolvat? Dices ne *Ratoldum* et *Radolphum* unum et eundem hominem esse? at valde inter se haec nomina discrepant; ita ut authenticis monumentis ab Ughello productis, et in conciliorum subscriptionibus, ubi de veronensi episcopo agi certum est, nunquam *Radulphi* sive *Ratolphi* nomen occurrat. Vis *Ratholphi* nomen pro *Ratoldo* vel *Rotaldo* perperam positum esse? at *cellae Ratolphi*, sive *Rottolfzell* appellatio constans, perpetua, et ad nostram usque aetatem perdurans, omnem erroris suspicionem excludit. Siquidem *cella* illa prius in monasterium conversa, processu temporis in haud spernendam urbem evasit, quae muris et castellis munita austriaco imperatori subiicitur. Mitto incredibilem illam Ratoldi longaevitatem ultra annos CXV. excurrentem; et quid de tota hac re statuendum sit, iterum quaero. Mihi certe videntur augienses et san-gallenses monachi ex duobus aut tribus fortasse hominibus, nempe ex *Ratoldo veronensi*, *Ratulpho* et *Ratoldo* altero unum conflasse; cumque priorem veronensem cathedram tenuisse scirent, nominum aut similitudine aut affinitate deceptos, immortalem illum *Ratoldum* effinxisse, qui tot ac tanta patraverit: quemadmodum ex multis (4) unum Herculem conflarunt antiqui; quaecumque a pluribus generose atque audacter patrata fuerant, ea omnia in ipsum praeter rerum fidem mendacissime conferentes.

VII. Sed nec illud silentio praetereundum, tribus hisce *Ratoldis* sive *Ratulphis* quartum quoque adiici posse, ita ut ex hoc etiam ingens ille augiensis *Ratoldus* coaluerit. Nam quicumque S. Marci lipsana a Ratoldo Augiam adve-

(1) Gold. tom. II. pag. 181. — (2) Ughell. ep. veron. n. LII. — (3) De vir. illust. S. Galli lib. II. cap. XV. apud Pez. Thes. Anecd. tom. I. part. III. pag. 555. — (4) Vide Cic. de Nat. Deor. lib. III. cap. XVI.

[illegible] comminiscuntur; hi sanctorum etiam *Theopompi* sive *Theopempti*, et *Sinesii* [illegible] *Senesii* ab eo in eandem insulam allata commemorant. At S. Gene[illegible] [illegible] ratisbonensi, ab Anonymo urstitiano, ab Ekkeardo et Mar[illegible] [illegible]nensi commemoratum, superius (1) audivimus. Eundem et [illegible] et Anonymus ab Egone citatus (3), et auctor additamentorum ad [illegible] Contractum (4) inferius (5) adducendus, et Acta ipsa (6) capite [illegible] [illegible]enda, et alii plurimi a Cornelio (7) producti chronicorum scri[illegible] [illegible]sent; quos inter chronicon mellicense, quedlimburgense, Saxo, Si[illegible] [illegible]tas uspergensis et alii S. Theopompum adiiciunt, haud renuentibus [illegible] et Actorum scriptore (9) modo laudato: siquidem haec corpora Tar[illegible] [illegible]se Ratoldus sive Ratulphus ab ipsis dicitur. At unde haec fabella [illegible] ex anonymo scriptore saeculi XI. ab Ughello (10) evulgato facile est [illegible] [illegible] enim habet. Cum Hunni sive Ungari anno Domini DCCCLXXXIX. [illegible] ingressi Tarvisium urbem essent depopulati, Ecclesiam quoque S. Mariae, [illegible] et martyris Fuscae in suburbio sitam, ubi sanctorum martyrum Theo[illegible] et Senesii corpora quiescebant, subvertere. Id vero cum nonantulani monachi, quibus Ecclesia illa subdebatur, cognovissent, vehementer sacratissimi [illegible] vicem conquesti sunt; sed cum paullo post, ut habet chronicon nonantulanum (11), et ipsi dispersi fuissent, ipsorumque monasterium ab Hunnis concrematum, nullam tantae calamitati opem afferre potuerunt. At post quadriennium reversis monachis ac Petro quodam in abbatem suffecto, cum nonantulanum coenobium processu temporis paulum ab accepta clade respiraret, tum demum anno CMXI. et de tarvisina Ecclesia actum agi coepit: quam cum restituere angustae monasterii res minime sinerent, visum est Petro abbati monachos Tarvisium mittere, qui sanctorum martyrum corpora reciperent, ac Nonantulam transferenda curarent. Missus itaque est *Rodulphus* (nota monachi nomen) *Rodulphus* quidam monachus, qui cum illuc pervenisset, ab *Anserada* virgine pientissima, quae sancta illa pignora ab illa clade eripuerat, eadem recepit, ac Nonantulam reportavit. Haec Anonymus, qui cum, ut habet Ughellus, saeculo nondum ab hac translatione elapso scripserit, nihil vero in sua narratione exhibeat, quod aut absurdum, aut incredibile videri possit, non est cur ullo modo reiiciatur. *Quid Augienses?* et hunc *Rodulphum* nonantulanum cum illo suo sancto *Ratoldo* sive *Ratulpho* fortasse confudere, ac sanctorum martyrum corpora non iam Nonantulam, sed Augiam delata commenti sunt, praesertim cum translationem illam contigisse legerent die XII. kal. Iunias, quo die festum S. Valentis Augiae celebrabatur; alia etiam addituri, si alii quoque *Ratoldi* oblati ipsis fuissent. Vide quae capite sequenti de S. Valente dicemus. Ceterum unus ne, an plures *Ratoldi* fuerint; vixerit ne ille ad annos CIV. ac etiam si placet ad CXV.; imo,

---

(1) Supr. n. III. — (2) De vir. illust. Aug. lib. I. cap. VI. lib. III. cap. XII. — (3) Ibid. lib. II. cap. X. — (4) Ad ann. 830. — (5) Infr. n. XVI. — (6) Act. n. V. — (7) Dec. XIII. part. I. pag. 56. — (8) Lib. I. cap. VI. lib. III. cap. XII. — (9) Loc. cit. — (10) Ital. Sacr. tom. V. in ep. Tarvis. n. 10. — (11) Ad ann. 899.

si postremum hunc *Ratolphum* addideris, ad annos CXLII.; nostra profecto aut nihil interest, aut parum; cum, quae de tradito ipsi a veneto duce S. Marci corpore traduntur, nullo modo stare posse iam superius ostenderimus. Unum addam, nec de ipso plura subiiciam. Extant apud Ughellum (1) saepe laudatum diplomata duo, alterum Ludovici Pii caesaris Aquisgrani datum die XIX. Novembris anni DCCCXV., alterum Lotharii datum Mantuae die XV. Ianuarii anni DCCCXXXIII. quibus laudati imperatores et instauratam a Ratoldo veronensem S. Zenonis basilicam memorant, et multa praedia ipsi basilicae et zenoniano monasterio a Ratoldo donata imperiali auctoritate confirmant. Praeterea eandem Ratoldi in ipsum coenobium liberalitatem commemorant, tum instrumentum quoddam anni MCLXXVIII. apud Ughellum (2), tum diploma Ludovici II. imp. anni DCCCXLVII. apud eundem (3), tum sententia quaedam Ardecarii veronensis episcopi anni DCCCLXV. iterum apud eundem (4). Ex quibus omnibus constat, monasterium illud maxime cordi Ratoldo fuisse, non modo sub episcopatus sui exordiis, sed ad annum usque DCCCXXXIII.; cum tamen illum triennio ante Augiam secessisse augienses monachi comminiscantur. Ecquis porro existimet, episcopum Veronae adhuc sedentem, et monasterium zenonianum, quod bis dirutum (5) aedificaverat, tam impense exornantem, quique, ut habet anonymus translationis S. Zenonis scriptor saeculi XI. (6), *suis omnibus Ecclesiam* S. Zenonis *haeredaverat,* si quidem corpus S. Marci obtinuisset, non illud Veronae potius, et in zenoniana basilica, quam in constantiensis lacus insula conditurum?

VIII. Hactenus de Ratoldo. Dicendum nunc et de *Valentis* nomine, sub quo Marci corpus latitasse aliquando Augienses (7) nugantur; quae fortasse animadversio totius fabellae originem et progressus aperiet. Ac primum, augienses m achos S. Valentis memoriam XII. kal. Junias, sive die XXI. Maii, antiquitus coluisse (quo die S. Valentis martyris et S. Valis presbyteri antissiodorensis mentio in omnibus fere Martyrologiis occurrit) (8) facile est ex vetustis monumentis demonstrare. Tradunt id Acta translationis S. Marci (9) a nobis deinde afferenda, Kalendarium utrumque rhinoviense et richenoviense edita a Bollandianis (10), Kalendarium vaticanum vetus ab Angelo Rocca (11) vulgatum, Notkeri Balbuli sangallensis monachi Martyrologium, Kalendarium stabulense apud Martenium (12), denique Vandalbertus prumiensis in metrico Kalendario; apud quos omnes innuitur, ea die apud Augienses *S. Valentis* festum celebrari, quam-

---

(1) Loc. cit. — (2) Episc. Veron. num. XLV. — (3) Ibid. num. XLVII. — (4) Ibid. num. LI. — (5) Vide Lotharii diploma anni DCCCXXXIII. modo citatum apud Ughellum. — (6) Apud Ballerin. Proleg. in op. S. Zenon. pag. CLIII. — (7) Addit. ad Herm. Contract. ad ann. 830. Acta translat. n. VI. Andreas ratisb. Egon. Anonym. urstit. Ekkeard. etc. supr. n. III. — (8) Vide Georgium in notis ad Martyrol. Adonis ad illum diem; tum Kalend. antiq. ad calcem Adonis ab ipso edita. — (9) Cap. seq. num. VI. — (10) In Proleg. ad tom. VI. Iunii. — (11) Praefix. Sacram. Gregor. Extat etiam apud Georg. in app. ad Martyrol. Adonis. n. IV. — (12) Collect. vet. script. tom. VI. pag. 672.

vis in stabulense, nescio quo fato, pro *Valente Vitalis* obrepserit. Iuverit Vandalberti et Notkeri verba proferre. Vandalbertus:

Praesul et hac (die) *martyrque Deo Valens venerandus,*
Augia, te laetis ducit per gaudia votis.

Notkerus: *Antissiodori depositio B. Valis presbyteri, a quo nostrates aestimo nomen* VALENTIS *mutuatos.* Multa porro sunt, quae de duobus hisce locis animadvertam. Nam primum *nostratium* nomine Augienses Notkerus intelligit, a sangallensi monasterio, ubi ipse degebat, haud valde remotos (1), quos ita iure appellare poterat, cum inter utrumque coenobium societas quaedam iam ab anno DCCC. inita esset, quae deinde anno DCCCXLV. iterum instaurata fuit, ut apud Mabillonium videre est (2). Quin illam etiam anno DCCCLXXXV. confirmatam fuisse superius vidimus (3), et ipse Egon magnam inter utriusque loci monachos necessitudinem intercessisse testatur (4). Deinde observa, S. Valentis festum apud Augienses antiquissimum esse, cum Vandalbertus ante annum DCCCXLI. Martyrologium illud suum concinnaverit (5), decimo scilicet anno post commentitiam Ratoldi translationem, quam tamen ne verbo quidem commemorat; quod mihi haud levem suspicionem iniicit, solemnitatem S. Valentis Vandalberto et Ratoldo longe antiquiorem fuisse; sed haec levia. At quantum illud est, quod ex Notkeri verbis deducam? Obiit Notkerus anno CMXII. (6), senex profecto, utpote qui anno DCCCLI. (7) se iuvenculum, hoc est vix pubertatem egressum fuisse testetur. Itaque anno DCCCLXXIV. quo anno, si Augiensibus fides habenda est, Ratoldus e vivis excessit, agebat ille aetatis suae annum circiter XXXVIII., ac proinde pro ea quae Augienses inter et Sangallenses intercedebat necessitudine, Ratoldum ipsum de facie noverat, oblatumque a veronensi episcopo augiensi Ecclesiae munus ignorare non poterat. Esto quod S. Marci lipsana sub alieno nomine latere ignoraverit: libenter do; nam id nec Ratoldus ipse patefecerat. At non item sacrum illud pignus Italia advectum fuisse, et S. Valentis episcopi et martyris esse nesciebat; haec enim omnia Ratoldus diserte edixerat, cum reliquias illas monachis servandas concrederet. Nonne ita? quid ille tamen? dubitat utrum *S. Valis,* an *S. Valentis* festum agant Augienses, imo perperam pro *Vale Valentem* ab illis inductum suspicatur: *a quo* nempe Vale, inquit, *nostrates aestimo nomen Valentis mutuatos.* Hoc vero quid est? A *Vale* putas Augienses *Valentis* nomen mutuatos? qui hoc fieri potest? nonne ab Italia Valentem advectum nosti? nonne latorem ipsum Ratoldum toties vidisti, pactamque Veneto pecuniam ac deinde numeratam, acceptum ab eo corpus, deinde augiensi sodalitati a se donatum, memorantem toties audisti? nihil audiit, nihil novit Ratoldo coaevus Notkerus; imo utrum Valis sit, an Valens omnino

(1) Vide Henschen. inter Bolland. ad diem XXXI. Maii. — (2) Ann. Bened. ad ann. DCCC. n. CI. et ad ann. DCCCXLV. num. LXXXVII. — (3) Supr. n. VI. — (4) De Viris Illustrib. Augiae Divit. passim. — (5) Vide Mabill. ad ann. DCCCXLI. n. L. Oudin. ad ann. DCCCXL. etc. — (6) Mabill. Annal. ad hunc ann. n. LXIX. — (7) Ibid. ad ann. DCCCLI. n. XXX.

nescit. Quod certe apertissime ostendit, Notkeri aetate, aut nulla adhuc Valentis ossa Augiae quievisse, aut si quiescebant, non iam a Ratoldo, non iam nuper ab Italia fuisse allata, sed aliunde, et longo ante tempore; ita ut utrum *B. Valis* antissiodorensis essent, an alterius vir eruditissimus dubitaret. En quo tota recidit augiensis fabula. Quid si Vandalbertus etiam non iam *Valens* scripserit, sed *Valis?* Certe haud spernenda suppetit coniectura. Norunt vel pueri, qui prima prosodiae elementa didicere, priorem *Valentis* syllabam brevem esse. Virgilius (1):

Et steriles platani malos gessere valentes.

At non item brevis prima in *Valis;* quae cum barbara vox sit, pro lubito a poeta vel corripi potest vel produci. Quid Vandalbertus?

Praesul et hac martyrque Deo Valens venerandus, etc.

priori in *Valens* contra leges omnes producta. Pone *Valis*, iam sibi carmen constabit. Equidem martyrem vocat, cum antissiodorensis *Valis* sit tantum confessor. At ille martyrem dixit, quia martyrem vocabant Augienses. Ceterum haud sum nescius, non eum esse Vandalbertum poetam saeculi IX. a quo prosodiae leges petantur. At ille tamen metri leges perpetuo servat, nec ab iisdem recedit, nisi ubi aut nominum barbaries, aut inclusa longis syllabis brevis discedendum esse omnino cogit.

IX. Urgeam ulterius, et domesticis testimoniis adversarios conficiam. Edita sunt a viris doctis Kalendaria sive Martyrologia quatuor, eademque antiquissima et quae ad Augiensium fabulas evertendas ingentes afferunt opportunitates. Primum ex ms. vaticano edidit Angelus Rocca, et sacramentario gregoriano praemisit, quod ipse inter opera sancti Pontificis Romae vulgavit anno MDXCIII. Idem ad calcem Adonis Dominicus Georgius recudit (2). Alterum est Martyrologium stabulense, quod ex antiquo codice sacramentario saeculi undecimi Edmundus Martenius et Ursinus Durand anno MDCCXXIX. edidere (3). Duo demum postrema Martyrologia rhinoviense et richenoviense edidit bollandianus Sollerius (4). Ex his omnibus invicta adversus Augienses argumenta educere libet: siquidem prius, in quo tota disputationis vis sita est, uniuscuiusque monumenti aetas quae sit atque auctoritas, ostenderimus.

X. Ac ad vaticanum quod attinet, certum est non ante extremum saeculum X. fuisse exaratum, quamvis ad saeculi XI. exordia referat Georgius. Id vero multis ostenditur (5), praesertim quod die IV. kal. Oct. occurrat nomen S. Wenceslai martyris, qui licet martyrio affectus fuerit anno CMXXV. non tamen ante annum CMLI. per Germaniam inter sanctos haberi coepit (6). Idem ostendi

---

(1) Georg. II. v. 70. — (2) Edit. Rom. an. 1745. num. IV. — (3) Vet. script. ampliss. collect. tom. VI. pag. 668. — (4) Praef. ad tom. VI. Iunii n. VII. §. 1. 2. — (5) Praefat. in Adonem num. V. de Liturg. Rom. Pontif. tom. II. diss. II. n. VI. — (6) Vide Baillet ad diem XXVIII. Septembris.

etiam poterat ex dedicatione basilicae S. Bonifacii fuldensis, quae kal. Novembris signatur: siquidem docet Mabillonius (1), basilicam illam anno CMXLVIII. die I. Novembris a Marino legato Sedis Apostolicae consecratam fuisse. Idem Georgius germanici alicuius monasterii usibus comparatum fuisse pluribus ostendit (2), quod tamen non erat quod tanto molimine demonstraret, cum ex ingenti germanicorum sanctorum multitudine eidem inscripta, per se pateat manifeste.

XI. Nec antiquioris notae, imo recentioris alterum illud est, a Martenio et Durando vulgatum, nempe stabulense. Fatentur id clarissimi editores, qui cum scriberent anno MDCCXXIX. illud aiunt *ab annis circiter septingentis conscriptum* (3), hoc est initio saeculi XI. Sed omnem dubitationem eximit, quod in ipso legitur ad diem VII. idus Iunii, nempe *Ordinatio Henrici regis secundi*. Est is S. Henricus imperator huius nominis secundus, quem VII. idus Iunias coronatum anno MII. tradit Ditmarus (4). Itaque post initium saeculi XI. Martyrologium illud scriptum est, idemque multis indiciis constat (5) ad monasterium aliquod constantiensis dioecesis pertinuisse, fortasse sangallense.

XII. Sequuntur rhinoviense, et richenoviense edita a Sollerio. Duplex monasterium his nominibus innui putat clarissimus editor (6), quorum illud in dioecesi basileensi sit, hoc vero in constantiensi. Sed quod pace viri eruditissimi dictum sit, utraque vox idem monasterium refert, nempe augiense, quum Augia latine Rhinova etiam dicatur, et barbara voce Richenova, ut apud Baudrandum et Martinierium (7) videre est. Nec ulla Rhinova in ditione basileensi extat, aut alicubi in Germania, uno excepto oppido *Rhinow* in Marchia Brandeburgensi, cui tamen nihil omnino cum Kalendariis sive Martyrologiis nostris commune. Id per se pervidere poterat Sollerius eo ipso, quod animadvertit eadem fere festa utrinque signari (8), licet posterius priore amplius sit atque emendatius. Ac de prioris quidem, quod Rhinoviense dicit, aetate dubitare idem Sollerius videtur (9): certum tamen est post medium saeculum X. fuisse exaratum, quamvis magno Bollando (10) longe vetustius visum fuerit. Nam XVI. kal. Septembris legitur: *Dedicatio oratorii S. Ioannis Baptistae in insula,* nempe Augia. Porro, teste Hermanno Contracto (11), oratorium illud dedicatum est anno CMLVIII. ergo rhinoviense Martyrologium extremo saeculo X. conscriptum est.

XIII. Sed recentius adhuc Martyrologium alterum, quod Sollerius appellat richenoviense. Nam praeterquamquod eadem *oratorii S. Ioannis dedicatio* commemoratur, occurrit etiam ibidem VIII. kal. Decembris S. *Gebehardus*, quem puto constantiensem episcopum, qui ad superos anno CMXCVI. evolavit, teste Ferrario (12); nisi quis fortasse Gebehardum salisburgensem intelligat, qui floruit post medium saeculum XI. (13). Occurrit item sub die V. idus Maias S. *Gotehardus epi-*

---

(1) Annal. Bened. ad ann. CMXLVIII. n. XV. — (2) LL. cc. — (3) In praefat. — (4) Chronic. lib. V. apud Murator. Annali d'Italia ad annum MII. — (5) Martene loc. cit. — (6) In praefat. n. 9. et 11. — (7) In Lex. Geogr. — (8) Ibid. n. 10. — (9) Ibidem. — (10) Ibidem. — (11) Ad ann. CMLVIII. — (12) Novus Catal. Sanctorum ad diem XXVII. Aug. — (13) Ib. ad diem XVI. Iunii, et XXX. Iulii.

scopus, cuius obitus ad annum Christi MLVIII. refertur (1); quo fit, ut nonnisi saeculo XI. ad finem vergente Martyrologium illud scribi potuerit. Quin imo Sollerius integro saeculo adhuc recentius demonstrat (2): nam eidem, inquit, tabulam paschalem eodem charactere subnecti ab anno MCXXXIX. ad annum MCXLIX.; quod certe ostendit illud anno MCXXXVIII. scriptum fuisse. Habemus igitur Kalendaria sive Martyrologia quatuor; primum anni saltem CMXLVIII. alterum anni MIII. tertium anni CMLX. quartum anni MCXXXVIII. aut saltem, si tabula paschalis adiectitia est, anni MLX. Ex his vide quid deducam.

XIV. Aiunt Augienses, anno DCCCXXX. corpus S. Marci sub Valentis nomine Augiam advectum: subdunt Acta (3), eisque Egonius subscribit (4), Gebehardo episcopo constantiensi Marcum deinde apparuisse, seque sub Valentis nomine Augiae latere revelasse: tum ut id eius loci abbati et monachis nuntiaret admonuisse: fecisse id Gebehardum, sed quia S. Evangelistae monitis parere aliquantisper distulerat, repentino morbo correptum, extremum diem obiisse. Mortem eius ad annum DCCCLXXXV. refert Egonius (5). Monachi itaque, primores saltem (nam non omnibus id abbas aperuit (6), sed cordatioribus tantum) iam ab anno DCCCLXXXV. S. Marci exuvias apud se quiescere non ignorabant. Rem tamen silentio obtegendam adhuc censuere; sed silentii causa affertur prorsus nulla. Utcumque tamen se res habeat, Notingo demum constantiensem cathedram adepto, et Henrico rege imperante (7), rem omnem episcopo suo aperiunt monachi. Ille vero, collecta synodo, *publice iubet praedicari, quod S. Marcus evangelista in augiensi monasterio corporaliter requiescat;* ac S. Marci natale veluti festivum ac sacrum ab universa constantiensi dioecesi celebrandum esse constituit. *His auditis*, addunt Acta, *undique convenit multitudo populi ad sanctum locum cum magna devotione etc.* quae devotio, cum innumera quotidie prodigia ad sacrum corpus fierent, mirum in modum aucta est. Porro Notingus ab anno CMXX. ad annum CMXXXI (8), vel ad summum CMXXXIV. (9) pontificatum obtinuit; ac proinde etsi demus haec omnia sub exitum vitae suae a Notingo peracta, certum est anno CMXXXVIII. iam et festum S. Marci in constantiensi dioecesi institutum, et reliquias iam cognitas, et loci illius famam tota Germania diffusam. Annus autem ille integro decennio Martyrologium vaticanum praecedit (10), quod omnium, quae attulimus, est antiquissimum. At quid illud tandem? Ibi de Marci festo apud Augienses ne γρῦ quidem: hoc leve: illud maius quod habet XII. kal. Iunias: *In coenobio augiense S. Valentis martyris.* Hocce vero quid est? nonne XIV. saltem anni, et fortasse viginti, aut triginta effluxerant, ex quo non iam Valentis, sed Marci evangelistae lipsana illa esse constabat? ex quo Notingus Marci festum sanctissimum et solemne esse decreverat? quid amplius Augiensibus cum Valente? At fortasse ad Martyrologii scriptorem in extrema

(1) Ibid. ad diem V. Maii. — (2) Praef. n. 12. — (3) Cap. seq. n. VIII. — (4) De viris ill. Aug. Divit. lib. III. n. XIV. — (5) Loc. cit. Vide Chron. Constant. ad hunc. ann. — (6) Cap. seq. n. VIII. — (7) Act. n. IX. cap. seq. — (8) Chron. Constant. ad hunc ann. item Chron. S. Blasii ad hunc annum. — (9) Herman. Contract. Chron. ad ann. 934. — (10) Supr. num. X.

Germania degentem nondum tantarum rerum fama pervenerat. Quis tam bonus hoc unquam dabit? Demus tamen. Excutiamus itaque Martyrologium alterum, nempe stabulense, quod ad constantiensem dioecesim pertinere iam diximus (1), et post annum MIII. exaratum. At hic quoque altum de augiensi S. Marci festo silentium: hic quoque XII. kal. Iunias S. Valentis solemnitas in augiensi coenobio commemorata, licet pro *Valentis* nomine nomen *Vitalis* obrepserit. Et tamen iam LXX. anni effluxerant, ex quo Notingus, Valentis nomine et solemnitate abrogatis, S. Marci nomen et festum substituerat, ingenti, si Augiensibus standum est, populorum frequentia celebratum. Perge porro. Ipsa domestica Augiensium monumenta inspiciamus. Notingus ante annum CMXXXIV. S. Marci festum solemne toti Augiae, imo universae dioecesi suae esse decreverat. At Kalendarium rhinoviense anni CMLVIII. ne ipsum quidem Marci nomen commemorat die XXV. Aprilis, quae illi per universam fere Ecclesiam sacra esse solet; eiusdemque memoriam exhibet IX. kal. Octobris, quo die eius commemoratio a nonnullis Ecclesiis agi solebat (2). Notingus Valentis nomen in synodo aboleverat, Marcumque suffecerat: Rhinovienses anno CMLVIII. adhuc S. Valentis festum solemne actitabant XII. kal. Iunias, ut ex eodem patet Martyrologio; quod et alterum eiusdem coenobii Martyrologium anni, ut diximus (3) MCXXXXIII. aut saltem MLX. confirmat. Ibi enim die XXV. Aprilis legitur: *In Alexandria S. Marci evangelistae*, nulla Augiae inducta mentione, cum ex adverso die XXI. Maii haec legas: *Alibi, S. Valentis martyris et episcopi*. Nec te moveat vox illa *alibi*; nam et die III. Novembris legere est: *Alibi, depositio S. Pirmini episcopi;* qui tamen Pirminus, augiensis monasterii auctor et fundator (4), eo die solemniter ab Augiensibus colebatur. Porro quid ad haec reponent Augienses? si saeculo XI. satis adulto, fortasse etiam XII. adhuc S. Valens Augiae colebatur, idque ex ipsis eiusdem monasterii Martyrologiis constat: si S. Marci ea tempestate apud illos cultus aut exiguus, aut nullus; iam ea omnia falsa esse oportet, quae de Ratoldo, Gebehardo, Notingo commenti sunt. Nam qui fieri potest ut anno CMXXXIV. corpus illud, quod Valentis esse ferebatur, S. Marci esse innotuerit, idque constantiensis antistes firmaverit decreto suo; firmaverint adhuc certius prodigia innumera fere et incredibilia, et tamen adhuc per duo integra saecula S. Valentis cultus perseveraverit, nulla vero venerationis S. Marco tributae memoria inducatur? Nonne haec omnia, si vacuum praeiudiciis animum afferamus, satis ostendunt, lepidissimam Augiensium narrationem non modo ad fabulas esse ablegandam, sed, quod adhuc maius est, recentissimam esse; cum desinente saeculo XI. imo XII. fortasse nondum esset excogitata? Et haec tamen omnia ex Augiensium monumentis deduxi, quae tamen contra se nunquam afferenda esse Augienses existimassent. Equidem fateor in Martyrologio richenoviensi ad diem IX. Aprilis haec legi: *Et translatio corporis S. Marci evangelistae, et S. Senesii martyris in Augiam anno DCCCXXX.* Verum haec alio charactere sequiori aetate adiecta esse, optime

(1) Supr. n. XI. — (2) Vide Bolland. ad diem XXV. Aprilis. — (3) Supr. n. XIII. — (4) Vide Hermann. ad ann. DCCXXIV. Egonem de Viris Illustr. Augiae Divit. lib. I. cap. I.

monet Sollerius (1); ita ut ex his ipsis verbis haud quis inepte deducat, extremo saeculo XI. cum richenoviense Martyrologium scriptum est, nondum augiensis translationis fabellam fuisse excogitatam: verum, ea processu temporis invalescente, fortasse saeculo XIII. laciniam illam utcumque adiectam fuisse.

XV. Atque haec ita aperta sunt quam quae maxime; ita ut, augiensis commenti patronis domestico testimonio refutatis, nihil opus sit profligatum delirium novis itidem argumentis elevare. Addam et alia tamen, maioris evidentiae gratia, ut putida fabella adhuc plenius evertatur. Ac primum animadverto, chronicon uspergense quod in annum desinit MCCXXX. nihil omnino de Marco innuere, sed tantum ad annum DCCCXXXI. ita habere: *Corpora sanctorum Valentis, Senesii et Theopontii ad Augiam insulam deferuntur:* cum tamen Uspergensis ea aetate scriberet, qua, si vera narrant Augienses, iam toti Germaniae innotuerat, sub *Valentis* nomine ipsummet Marci evangelistae corpus delitescere. Nihil item de Marco habet Sigebertus gemblacensis, qui chronicon suum ad annum MCXII. produxit; sed tantum ad annum DCCCXXVIII. *Corpora SS.* ait, *Valentini et Genesii ad Augiam monasterium translata sunt,* quamvis et ipse duobus fere saeculis post Notingi decretum scriberet. Eadem habent chronicon mellicense anni MCXXIII., quedlimburgense anni MXXV., annalista Saxo, et Wenerus Rolewinck, quorum loca apud Cornelium (2) videre potes, ubi Valentis nomen, nulla Marci indita mentione, perpetuo occurrit: quod certo indicio est, non ante saeculum XIII. ineptam illam fabellam Augienses excogitasse. Quid vero dicam de Leone IX. pontifice maximo, qui cum aliquandiu Augiae esset commoratus, inde tamen digressus, Venetias venit, ubi ibidem S. Marci exuvias veneraretur? Audi quid de illo Hermannus Contractus ad annum MXLIX.: *Domnus Papa*, scilicet Leo IX. *synodum magnam Rhemis habuit, etc..... et postea Alemanniam adiens Augiae festum S. Clementis, et dominicam ante Adventum VI. kal. Decembris egit etc.* Moratus igitur est saltem quatriduo Augiae sanctissimus Pontifex; imo Ecclesiam etiam S. Crucis in eadem insula dedicavit (3): nec dubitandum, eius loci monachos inter ceteros monasterii thesauros S. Marci lipsana (si Augiae erant) illi colenda ac veneranda proposuisse. Quid ille tamen? nondum quadriennio elapso (4) *idem Pontifex ob singularem devotionem, quam ad B. Marcum gerebat, Venetias accedens, a duce et a civibus reverenter suscipitur, et Ecclesiam intravit, et Evangelistae orationes et laudes exsolvit, ac ducatui, et huic Ecclesiae et aliis piis locis indulgentias et immunitates indulsit.* Ita Dandulus (5). At quid opus illi erat Venetias divertere, qui S. Marci exuvias iam Augiae coluerat? vides quam verum est, non modo augiensem historiam puram fabulam esse, verum etiam serius quam nonnullis videtur (6) excogitatam.

XVI. Unicum superest Augiensibus in Hermanno perfugium, cuius se auctoritate tutos praestare posse arbitrantur. Ita enim ille ad annum DCCCXXX.

---

(1) Praefat. cit. n. 12. — (2) Eccl. Ven. Dec. XIII. part. I. pag. 57. — (3) Vide eius vitam apud Bolland. ad diem XIX. April. cap. III. n. 15. — (4) Vide Murat. Ann. d'Ital. ad ann. MLIII. — (5) Lib. IX. cap. VII. part. XI. — (6) Cornelius loc. cit. pag. 61.

Corpus S. Marci evangelistae sub nomine Valentis martyris Ratoldus veronensis episcopus a duce Venetiae impetravit, et cum corpore Genesii martyris in Augiam insulam attulit. At Hermanni auctoritati multa sunt quae opponam, quaeque non ita facile quispiam dissolvet. Ac primum responderi posset, Hermannum, qui circa annum MLIV. chronicon suum concinnavit, ac proinde duorum saeculorum intervallo ab hac ipsa translatione abfuit, nimis serum antiquissimae rei testem adduci; nec immerito suspicari aliquem posse, fabulosae historiae, quae tunc apud Augienses vulgari coeperat, fama deceptum, quae ab aliis veluti certissima referri audierat, ea chronico suo veluti certissima inseruisse. Verum absit, ut sanctissimo monacho, eidemque eruditissimo, hanc nimiae credulitatis notam inuram; praesertim cum alia satis aperta difficultatis huius enodandae pateat via. Eam mihi v. cl. Flaminius Cornelius aperit, cuius vestigia pone sequi nequaquam pigebit (1). Dico itaque Hermanni codices, ubi fabula illa legitur, posteriori manu fuisse interpolatos atque corruptos; nec de S. Marci corpore Hermannum unquam esse locutum. Cum enim eius auctoris editiones plurimae sint, tres sunt tamen quae prae ceteris eminent; Francofurtensis anni MDLXXXIII. cum qua Basileenses et ceterae antiquiores conveniunt, quaeque ex codd. mss. monasterii S. Galli deducta est; Urstitiana anni MDCLXX. (2) ex codice S. Georgii Hercyniae Silvae desumpta; Canisiana denique ex codice augustano SS. Afrae et Uldarici, quae bibliothecae maximae SS. Patrum inserta est (3). Porro harum editionum duae posteriores verba illa omnino exhibent; at in Francofurtensi aliisque antiquioribus haec tantum leguntur: *Anno DCCCXXX. corpora SS. Valentis et Synesii in Augiam insulam deferuntur.* Cuinam igitur potius standum erit? Putat Urstitius, Hermannum opus suum, quod primum iuxta francofurtense exemplar vulgaverat, secundis deinde curis expoliisse atque ampliasse; atque inde effectum fuisse, ut plura in posterioribus quam in sangallensi exemplari reperirentur. At si sangallense exemplar ad eum annum usque produxit Hermannus, quo ex hac vita migravit, nempe MLIV., quodnam illi tempus suppetere potuit, quo illud secundis curis expoliret atque amplificaret? An additamenta illa post mortem adiecit? nonne magis consentaneum est existimare, ea post eius obitum aliena manu esse inducta? Demus tamen parumper, Hermannum ipsum eorum auctorem habendum esse. Quid tamen in causa fuit, ut cum primum chronicon exararet *Valentis* nomen apponeret, Marci vero dissimularet? An ignorare poterat vir eruditissimus, quique ipsa membrorum contractione prohibebatur ne ab augiensi monasterio, cui a puero nomen dederat, unquam abscederet; an, inquam, ignorare poterat, sub Valentis nomine Marcum olim delituisse, iamque saeculum integrum elapsum esse, ex quo Notingus synodico decreto edixerat, Marcum in illis lipsanis colendum esse? nonne populorum, qui Augiam undique sacra illa pignora veneraturi adventabant, frequentiam suis ipse oculis usurpabat, prodigia ac signa intuebatur? quomodo itaque haec omnia aut ignorare poterat

(1) Eccl. Venet. Dec. XIII. pag. 53. — (2) Inter Scriptores Rerum Germanicarum tom. I. — (3) Tom. XVIII.

vir sapientissimus, aut oblivisci; ita ut, Marco praetermisso, iamdiu obliteratum Valentis nomen apponeret? quid quod nec Gebehardi visionem, nec Notingi synodum et decreta, nec alia ulla, quae ad Marcum pertinent, unquam commemorat? Haec ne omnia praetermitteret vir in huiusmodi prodigiis admittendis narrandisque haud omnino difficilis, qui tot alia longe leviora de augiensi, sangallensi, aliisque monasteriis tam accurate recenset? Haec ne omnia ignorasse illum putabimus? at quid, si Augienses audias, notum magis augiensi praesertim monacho et erudito? quid itaque? Dicam ingenue. Ideo haec omnia praetermisit Hermannus, ideo ipsum Marci nomen silentio pressit, quia nihil unquam de hac re inaudierat, nihil adhuc augienses fabulatores excogitaverant. Serius et longe post Hermannum putidissima fabella prodiit; ideoque in genuino eius chronico de ipsa ne γρῦ quidem: addita illa denique in exemplaribus urstitiano et canisiano, sed sero tandem: nec sero tantum, verum etiam inepte. Nam ne in his quidem quicquam de Gebehardo et Notingo, quos profecto, si marcianam illam translationem credidisset Hermannus, nunquam indictos praetermittere voluisset.

XVII. Quae cum ita se habeant, iam quo loco totum illud augiense commentum habendum sit vides. Addam et alia nonnulla in notis ad Acta, quae deinde subiiciam. Interim, nisi omnia me ludunt, satis superque ostensum est, quae omnia de sua illa translatione tradunt Augienses, esse falsa; verum etiam ita inepte conficta, ut profecto nihil absurdius excogitari potuerit. Nam et ea quae referunt sese invicem destruunt atque convellunt, et iterum ipsis domesticis Augiensium testimoniis refelluntur: et demum ita inepta sunt et putida, ut vix, aut ne vix quidem, ipsis nutricum fabulis concedere videantur; ita ut maxime mirari subeat, Egonium, Pistorium, Bucelinum, Urstitium, viros alioquin eruditissimos, huiusmodi nugacissimas nugas tam impense tuendas suscepisse. Sed quid humana pectora non cogit patriae amor! Nam Munsterum non moror tradentem (1): *Venetos voluisse aliquando dare summam aliquam pecuniae monachis, quo soli possiderent viri sancti reliquias; ac monachos recusasse.* Nullo enim id teste profert vir alioquin haud optimae fidei, cum constet Augiensium fabulas risu semper et contemptu maiores nostros excepisse. Quid enim eorum verba curarent, quibus nulla esset apud exteros fides, sed solis sibi ipsis canerent, nec ulla satis firma possessionis suae documenta praeberent? Certe Bernardus Iustinianus (2) cum accepisset, Augienses sacri pignoris possessionem iactare, omni studio adhibito, quibus ipsi argumentis id ipsum firmarent, exquirere coepit, ut *mendacium, si necesse fuisset, refelleret.* Sed cum nihil omnino obtinere posset, ac ne verbum quidem extundere, conquestus est, se illos nullo modo potuisse *in mendacio deprehendere, qui ne solo quidem verbo uti audeant, ne dum ut testem afferant aut monumentum.* Ex quo intelligere potes, quo loco Augiensium commenta habuerint maiores nostri, et quantum παραβάτῃ illi Munstero in iis, quae de Venetis habet, tribuen-

(1) Cosmogr. lib. III. — (2) Vide Cornel. loc. cit. pag. 28.

dum sit. Ceterum ex Cornelio addisces (1), quas se Augienses possidere gloriabantur S. Marci reliquias, eas magna saltem ex parte Pragam translatas, Carolo IV. imperante; ac proinde quae de pragensibus lipsanis a germanis scriptoribus traduntur, ea omnia cum iis, quae de Augiensibus dixi, omnino convenire. Mirum tamen Augienses nostra etiam aetate gloriari, lipsana illa apud se magna ex parte requiescere. Monuit enim me per epistolam v. cl. alias a nobis laudatus, Petrus Braida sanctae utinensis Ecclesiae canonicus, in vita Augustini Calmet referri (2), eruditissimo illi viro, cum Augiam forte advenisset, ostendisse eius loci monachos argenteam arcam quandam vetusti operis, ubi S. Marci reliquias plurimas asservari dictitabant, quae saeculo Christi IX. Augiam delatae ferebantur. Quomodo tamen reliquiae plurimae adhuc Augiae sint, cum maxima ipsarum pars Pragam delata fuerit, viderint qui illas advenis ostentant, augienses monachi.

CAPUT VII.

ACTA, SIVE HISTORIA TRANSLATIONIS S. MARCI VENETIIS IN AUGIAM INSULAM.

I. *Praefatio in Acta.* II. *Acta ipsa.*

I. Acta haec, seu potius fabella, nullo dispendio post ea, quae adversus Augienses attulimus, poterant praetermitti; nisi me ut illa afferrem v. cl. Flaminii Cornelii auctoritas impulisset, qui ea ad verbum afferre voluit (3); ne quo potissimum fundamento totum illud commentum innititur, illud a nobis non tam contemptu, quam fraude mala praetermissum quispiam cavilletur. Neque tamen erit iniucundum, ex ipsa scriptiunculae illius absurditate totius fabulae falsitatem deprehendere; atque animadvertere, quantum inter historiolam augiensem et Acta venetae translationis intersit, quae superius retulimus (4). Ut enim his omnia veritatis et antiquitatis indicia insunt, ita illam nihil huiusmodi lectori commendat; ut nihil de intoleranda atque horrida stili barbarie dicam, XIII. prorsus saeculum redolentis. Ceterum scite animadvertit Cornelius (5), cum Augienses nihil unquam usque ad saeculum XV. (imo XVII.) protulissent, quod ipsorum traditionem firmaret; saeculo tandem XVII. iam adulto prodiisse hanc historiam, cum iam corpus illud, quo de agebatur, in Augiensium potestate amplius non esset, sed pragensi metropolitanae Ecclesiae ius magna ex parte cessisset. Illam omnium primus an. MDCXLV. vulgavit Argentorati ex ms. codice bibliothecae ratisbonensis Ioh. Georgius Dorscheus, homo lutheranus, additis notis, quibus non tam ipsam refutat, quam in Catholicos identidem invehitur; nam ad refutationem satis esse putavit, si legeretur: recte

(1) Ibid. pag. 62. — (2) Edit. Ital. Romae anni 1770. pag. 62. — (3) Loc. cit. pag. 29. — (4) Supr. cap. IV. — (5) Loc. cit. pag. 28.

ille quidem; nisi eodem loco huiusmodi translationum historias universas et cultum sacrarum reliquiarum et patrata apud ipsas prodigia habenda esse existimasset. At ex una, aut altera falsa et commentitia relatione, falsas esse universas concludere; nec ingenui hominis est, nec eruditi: quod tamen quale sit ipse viderit. Illam iterum, alia tamen mente, anno MDCLXXX. ad calcem *Nuclei Historici* edidit Francofurti ad Moenum Gabriel Bucelinus monachus ordinis S. Benedicti, utpote qui, interiectis nescio quibus notis brevissimis, identidem illam illustret, nonnunquam etiam Venetos vellicet, quos sibi prae ceteris adversarios futuros haud inepte augurabatur. Hanc ipsam Bucelini editionem, ne ipsis quidem notis praetermissis, Cornelius repraesentavit, additisque animadversionibus refutavit anno MDCCXLIX. (a); multis tamen praetermissis, quae nullo modo sine nota aliqua praetereunda esse videbantur. Nos dorscheanam editionem exhibebimus, atque praeter ea, quae Cornelius adnotavit, alia etiam plura adiiciemus. Sequimur autem Dorscheum, quia meliori fide videtur nobis Acta ille edidisse, quam Bucelinus, quem nonnulla in ipsis immutasse suspicamur, ac nescio quid de nativa illorum barbarie atque rubigine detersisse; quamvis Dorscheus alioquin non satis feliciter antiqui codicis scripturam legisse videatur. At quae peccavit Dorscheus facile est emendare; cum ex adverso quae Bucelinus emendavit, editorem causae suae faventem ubique suspectum reddant.

(1) DE MIRACULIS B. MARCI EVANGELISTAE.

II. *I. De miraculis et virtutibus B. Marci evangelistae aliquid scribere cupientes* (2), *prae multitudine signorum, quae per illum fecit Deus, quorum paene totus plenus est mundus* (3), *nequaquam volumus illud capere principium* (4). *Quorum signorum multa, quae in Alexandriae partibus, quibus primum Evangelium Domini praedicavit, iam declarata sunt, ut in passione illius legitur: multa vero propter scriptorum inopiam, quasi tam non sint facta, nobis valde sunt incognita. Quanta enim hic in Alemanniae partibus nuperrime fulsissent, Dei gratia largiente, quae audivimus et vidimus* (5), *occultare non audemus. Sed de his interim taceamus, usque dum dicamus pro qua re in eadem provincia facere debuisset miracula; quomodo fuerit corporis illius ad nos* (6) *translatio facta, ut postea liberius possimus tractare clara quae fecerat signa.*

II. Est locus in eadem regione situs, qui Augia recto nuncupatur vocabulo (7), *quia Rhenus ab ausoniis alpibus decurrens immane eum circumfluit amne; et ideo cunctorum coniunctione confinium carens, quasi Deo tribuente, in haereditatem S. Mariae donatus, ab omni saeculari officio est segregatus: in quo in honorem eiusdem genitricis Dei Mariae monasterium est constructum, Deo dicatum, ab omni saeculari cura penitus remotum, sapientia pollens* (8), *doctrina fulgens, cunctis disciplinam quaerentibus solatium praestans, in laude omnipotentis Dei*

(a) Loc. cit. pag. 29.

continuo perseverans. In illius monasterii basilica corpus praedicti martyris (9) *Christi collocatum esse non dubitamus. Multi enim, qui de hoc dubitaverunt* (10), *quando ad sepulcrum eius pervenerunt, aut nimio terrore perterriti, aut aperta visione correpti, statim ut inde discesserunt, omni ambiguitate deposita, ultra se ei servitium impendere decreverunt. Qualiter vero corpus illius ad nos* (11) *usque deveniret* (sic), *sicut patrum nostrorum relatione didicimus* (12), *paucis explicare conamur.*

III. Tempore ergo magni Caroli regis erat quidam magnae reverentiae episcopus, Egino nomine (13), *de Alemannorum gente procreatus, qui tunc veronensis civitatis Ecclesiae monarchiam tenuit* (14). *Hic dum propriam coepisset revisere patriam, placuit ei ut abbatem nostri monasterii* (15) *interpellaret, quatenus illi in eadem insula habitandi licentiam concederet. Qui dum ipsius reverentiae bonitatem illi* (sic) *minime negaret, accepta ab eo optata responsione, coepit in ultima eiusdem cespitis parte* (16) *fabricare cellulam* (17), *quam in honorem S. Petri principis Apostolorum* (18) *construxit, vocabulumque sui nominis eidem Ecclesiae aptavit* (19): *quam dum innumerabilibus decoraret ornatibus, auro, argento lapidibusque pretiosis vestibusque variis ad opus Dei aptis, libris quoque ac omnibus ornamentis ad Dei servitium pertinentibus; cunctisque secundum suae voluntatis arbitrium rite peractis, cum laude et honore Dei ex hac luce subtractus* (20) *transmigravit ad Christum. Cuius meritis successit Ratoldus* (21), *qui ante fuit suus clericus, perque omnia fidus, atque potens vir, magnae bonitatis* (22). *Hic eiusdem episcopatus Ecclesiam post eum rexit, regnante tunc Ludovico* (23), *eiusdem Caroli imperatoris filio. Hic vero cum iam illius episcopii regimen diu teneret, solito more propriam coepit visitare patriam. Cum iam deveniret ad nostrum monasterium, coepit rogare eiusdem monasterii patrem, quatenus ei eandem, quam suus construxerat antecessor, concederet cellulam. Illo etiam e contra reluctante, dum nullo modo suae petitionis effectum impetrare potuisset, omni devotione rogare coepit, ut saltem in aliquo vilissimo loco iuxta lacum, qui circumcingit idem monasterium, habitandi concederetur facultas. Cum vero illi per omnia denegare voluisset, cum consensu fratrum, sicut petiit, libenti animo concessit. Est locus valde speciosus a nostro monasterio segregatus, ultra lacum iacens inter aquilonarem et occidentalem plagam, spatio duorum milliarium, in quo erant piscatorum domus, nullique alii aptus cultui* (24). *Hunc coepit excolere, domos aedificare, nec non Ecclesiam ad honorem Dei in eodem loco construere, nominisque sui vocabulum eidem cellae imponere, vocans eam* Ratoltescella (25), *quae nunc usque comparet: quam cum multis modis ornamentis ornaret omnibus, quod iuxta suae matris* (lege *mentis*) *effectum patravit, ad episcopalem sedem unde venerat reversus est.*

IV. Contigit, ut quadam die idem episcopus cum quodam viro de Venetia veniente (26) *foedus pepigisset: cumque magnae dilectionis amore constricti, indissolubile vinculum caritatis inter se confirmarent; coeperunt familiari locutione mutua serere verba, utrimque foederantes, ut in quacumque re alter alterius indigeret, omni commoditate postposita, illorum promissa essent firmissima. Cum haec diutissime inter se iactarent, dataque pecunia praedictam amicitiam confir-*

marent; interrogare coeperunt qualiter uterque eorum potuisset alterius voluntati maxime satisfacere. Tunc episcopus Ratoldus, divina instinctus admonitione (27), *prior inquit: Si matris* (lege *mentis*) *meae desiderium in una re implere volueris, omne quod volueris libenter tibi tribuo. Ille vero e contra tali usus est responsione: Si facultatis impossibilitas non obstitisset, quicquid ad suae voluntatis effectum facere potuisset, nullo modo praetermisisset. Tunc episcopus gratias ei coepit agere pro tali responsione; atque subiungens ait: Habeo igitur novellum in Alemanniae partibus locellum, in quo est Ecclesia ad honorem Dei constructa, meo labore fabricata, atque sub nomine principis Apostolorum dedicata* (28), *pro qua rogo te, amice carissime, ut si tibi contingat, aliquas reliquias corporum mihi acquiras, quibus ipsa Ecclesia coronetur, totaque provincia inde salvetur. Ille vero ita agere promittens, inquit: Si ita placet animo tuo, nunc omni studio tibi satisfacere volo. Observa tantum per omnia meae locutionis verbula, et percurrente anni curriculo conveniamus in condito loco* (29), *ibique tibi praesentabo sanctorum martyrum pretiosissimum thesaurum; tu tamen vides ut impleas meae voluntatis effectum* (30).

V. Tunc illi recedentes ad invicem observaverunt et diem et locum. Peracto anni curriculo pariter, ut praedixerant, convenerunt, atque ut promiserant impleverunt. Tunc . . . . a Venetia, accepta magna pecunia, praesentavit ei pretiosissimum corpus beati Marci evangelistae (31). *Sed non ante accepit illud episcopus, quam tribus confirmavit testimoniis; hoc est sub testatione iuramenti* (32), *et iudicio ferventis aquae et calidi ferri* (33). *Et alter antequam corpus S. Marci reliquisset, sub testificatione constrinxerat eundem episcopum, ut quamdiu viveret, nomen S. Marci nulli manifestaret* (34). *Tunc episcopus Ratoldus, accepto corpore S. Marci, nimio repletus gaudio domum reversus est. Postea venerabiliter recepto eodem corpore, nec non reliquiis sanctorum Synesii et Theoponti, quas in Tarvisio acquirebat* (35), *nostram transvexit ad patriam. Corpus vero beati Marci collocavit in augiensi insula: sanctum Synesium et Theopontum in cella sua, anno Incarnationis DCCCXXX. regnante Ludovico imperatore anno XVII. Quomodo vero corpus eius ab Alexandria translatum fuisset, ignoramus. Haec, ut diximus, ita se habere non dubitamus.*

VI. Tunc episcopus, ut rogatus fuerat, mutato nomine appellavit eum Valentem; neque immerito, quia valens ac potens est obtinere nobis indulgentiam apud omnipotentis Dei clementiam (36). *Abbas quoque eiusdem monasterii omnisque fratrum conventus gratulantes eum susceperunt, et in basilica sanctae Mariae in una absida* (37) *cum omni honore collocaverunt. Festa etiam natalis eius celebrabant die eiusdem nominis episcopi, qui cum tribus pueris pro Christi nomine martyrio coronatus est, quod est XII. kal. Iunii. Quamvis enim festa illius alio celebrarentur tempore, tamen in die natalis eius clara non defuere miracula.*

VII. Dum haec de corporis illius translatione sint dicta, redeamus ad exponenda ipsius signa. Contigit quadam die, dum in natalitiis eius missae nondum penitus agerentur in choro, adhuc ignota nominis illius notitia, quidam de nobili ortus prosapia, qui matris ex utero omni membrorum destitutus erat officio, qui comitante nobilium multitudine virorum per diversa Sanctorum deductus est

loca; ut venit in basilicam S. Marci (38), *sanitatem, quam antea non habuit, accepit. Multa etiam propter incuriam sunt a nobis derelicta, quia ignotum erat sub cuius nomine fuissent patrata* (39).

VIII. Cum iam per multa tempora non manifestaretur ipsius nomen, noluit omnipotens Deus perpetualiter suum occultare militem, quia non potest civitas supra montem posita abscondi, neque lucerna debet sub modio poni (a): *fecit eum paullatim quibus voluit aperte revelari. Dum iam multum temporis fluxisset, cuidam pontifici nomine Gebehardo* (40), *qui eodem tempore constantiensis Ecclesiae regimen tenuit, B. Marcus in ea, qua eum fuisse legimus, forma* (41) *in visione apparuit talì modo. Putabat enim se esse in eodem monasterio, et cum voluisset, ut ante consueverat, per secretam claustri viam ambulare ad Ecclesiam, occurrit ei quidam episcopus pretiosissima veste indutus. Ille ut eum videt venientem, nimio terrore perterritus a coepti itineris gressu retraxit pedem usque dum praeteriret. Illo vero praetereunte atque in medio claustro consistente, paullatim tentabat eius sequi vestigia; cumque ad eum propius accederet, vidit eum sursum adspicientem: ille similiter oculos in caelum erigens, vidit cum illo angelos circa turrim Ecclesiae volantes. Tunc ille ad pedes eius prostratus, conabatur eum interrogare quis esset, et qui illi essent, qui circa turrim Ecclesiae volarent* (42)? *Tunc respondens S. Marcus dixit ei: Hi qui circa turrim volitant, illi sunt qui semper locum istum servant, et usque dum illi locum circumvolant, nullae eum insidiae daemonum dissipant. Quod mei nominis quaeris notitiam, hoc tibi nullo modo indicare denegabo: Ego sum Marcus evangelista, qui corporaliter in hoc loco requiesco, cum anima mea laetetur ante Dominum. Corpus meum non est hic bene procuratum. Dic abbati huius monasterii, ut corpus meum studeat cum omni diligentia observare, quia iam a terraneo humore membra mea incipiunt sordere* (43). *Qui hanc visionem parvipendens indicare neglexit. Altera vero nocte apparuit ei, monens eum eisdem sermonibus: qui, sicut prius, ita neglexit. In tertiae vero noctis silentio adstans ei S. Marcus, durius illum increpavit provisionis suae negligentia, ita dicens: Quare neglexisti mandata mea servare? Atque subiungens ait: Scito quod non multis diebus transactis, in te ipso senties quam periculosum sit tibi iussionem meam nolle implere* (44). *Tunc venerabilis antistes pavore perterritus, illico surrexit* (45), *visionisque suae rationem per ordinem abbati nunciavit, statimque corporis molestia correptus intra paucos dies migravit ad Christum* (46). *Abbas vero audiens admirabatur pro tantae visionis legatione. Coepit itaque cogitare quid de huiusmodi visione debuisset facere. Tunc assumptis spiritualibus patribus, quorum tunc ibi copiosa multitudo fuit, facta oratione, apertoque sepulcro, invenit sicut ei episcopus intimavit: qui tollens reliquias sancti martyris, diligenter involvit eas in palliolo, et omnibus portis nostri monasterii obseratis, posuit eas diluculo contra ortum solis; atque in ipso calore caute removendo, collocavit in novo scrinio, statuitque in eiusdem altaris eminentiori loco, tamen adhuc celata nominis eius notitia* (47).

(a) Matth. V. v. 14.

IX. Novissimis temporibus regnante Heinrico rege atque Notingo constantiensis Ecclesiae episcopo sedem regente (48), *coeperunt fratres, quorum mentem Deus tetigit, inter se conquirere, quam ob causam nomen sancti martyris tamdiu occultaretur; factaque coadunatione, rogabant patrem monasterii ut suaderet episcopo, quatenus, manifestato nomine, dataque licentia, festa sancti martyris in die natalis eius* (49) *faceret celebrari. Ille vero hoc libenter suscipiens, ita se agere, ut rogatus fuerat, professus est. Accedens igitur ad episcopum, omnia verba, quae audierat a fratribus, enarravit: tunc episcopus hoc audiens, in omnibus rebus suae voluntati satis facere spopondit: postea vero in synodo sua* (50) *iussit publice praedicari, quod S. Marcus evangelista in augiensi monasterio corporaliter requiescit; et non solum in illo loco, verum etiam per totam parochiam suam, sicut ceterorum Apostolorum, fecit festa venerabiliter celebrari.*

X. His auditis undique convenit multitudo populi ad sanctum locum, cum magna devotione sancti martyris implorare clementiam; et omnes quotquot venerunt vel adhuc veniunt, non minori consolatione accepta laeti redeunt ad propria. Ibi enim infirmi curantur, energumeni liberantur, debiles sanitati restituuntur, aliique variis languoribus detenti, non solum corporis, sed etiam mentis recipiunt consolationem: quicumque negantes corporis eius praesentiam ibi manere (51), *temere accedunt, sive ultra mare venientes, sive infra manentes, sicut quidam fecerunt; aut aliqua visione, ut diximus, aut dura increpatione correpti, a suae ambiguitatis errore ita corripiuntur, ut nequaquam ultra de ipsius meritis diffidere fateantur. De omnibus, quantum possum, Dei gratia tribuente, aliqua ennarrare* (sic) *conamur.*

XI. Contigit ut duo fratres (52), *de Hierosolyma pergentes, ad nostrum devenerint monasterium; qui dicuntur paene omnia circuire maritima loca: unus erat de Graecia, alter de Venetia: prior fuit Simeon nuncupatus, posterior Philippus. Hi vero dum nostrum visitarent monasterium, cupiebant se nostro adiungere consortio; quod sicut petierunt, ita impetraverunt. Dum autem novo uterentur hospitio, dubitabant vere B. Marcum ibi manere. Quadam ergo nocte, dum essent in mansione, vidit senior in somnis quod postea narravit nobis* (53). *Putabat se ire ad Ecclesiam hora matutina, ut funderet preces pro populo christiano; cumque intraret basilicam S. Marci, nihil conspexit ibi solidi, sed erant omnia ablata, nisi sola pavimenta. Dum miraretur apud se de tali visione, vidit stare episcopum colobio* (54) *indutum, qui per totam partem pectoris perfusus erat lacrymis, quem conabatur interpellare, ut sui nominis interpellationem dignaretur ei indicare, et ob quam causam talem pateretur moestitiam. Ille ex intimo cordis longa coepit trahere suspiria: Ego sum, inquit, Marcus theologus* (55), *de longinquo huc advectus. Cum meum sit meritum semper ante Dominum, corpus meum debuit hic requiescere, sed propter peccata populi non valeo quietem habere, et non solum imploro* (lege *deploro*) *meam incommoditatem* (56), *sed magis populi mei devastationem; quia intra paucos dies et plurima loca incenduntur* (sic), *et Ecclesiae destruuntur, et maxima pars populi cadet in ore gladii. Haec omnia postea celeriter peracta vidimus, sicut praedixit beatissimus Marcus* (57).

XII. Non multo tempore praeterito venit de Graecia quidam episcopus, nomine Constantinus, praedicti Simeonis cognatus. Hic dum familiariter nostro ute-

retur hospitio, coepit quendam de nostris fratribus rogare, ut eum permitteret Ecclesiam intrare, et perduceret eum ad singula altaria, indicaretque ei beatorum nomina martyrum. Ille eius petitioni obediens Ecclesiam reseravit, atque orando opportunitatem dedit; cumque perduceret ad altaria, indicavit illi multorum nomina Sanctorum. Ut autem venit ad altare S. Januarii (58) *beneventanae civitatis episcopi, dixit eum vere in corpore ibi manere. Ille ait, certe hoc in Benevento audiisse* (59). *Intrantes autem basilicam S. Marci* (60), *prostraverunt se orationi; cumque surrexissent ab oratione, coepit episcopus nomen martyris exquirere. Tunc ille dixit: In isto altari requiescit corpus S. Marci theologi. Episcopus vero huic sermoni firmiter resistens, inquit: Hoc, frater, nullo modo potest fieri, quia sepulcrum eius in Alexandria meis oculis vidi* (61). *Alter vero ait: Patres nostri crediderunt vere corporaliter eum hic requiescere. Ait illi episcopus: Dominus noster Iesus Christus habuit duodecim Apostolos et LXXII. discipulos, quorum unus vocabatur Marcus* (62): *vide si illum hic habeas. Nulla pars Marci theologi concluditur in isto altari. Iste respondens ait: Nequaquam possumus dubitare in corpore eum hic manere. Episcopus dixit: Sic est hoc verum, sicut lapides isti sunt aurum. Dum tali altercatione diutissime conflictum haberent inter se, post tantam sermocinationem discesserunt ad invicem. Futura quoque nocte superveniente, dum episcopus voluisset requiescere in sua mansione, nequaqam poterat dormire prae nimio timore, sed totam illam noctem duxit insomnem. Cumque mature surrexisset, et ad Ecclesiam ire voluisset, festinavit se parare* (63), *cupiens missam celebrare. Interea dum hoc accelerare studuit, praedictus frater advenit. Ut illum advenientem vidit, prior ad eum dixit: Festina, frater dilecte, et non tardare: debeo me parare, sanctoque Marco missam decantare. Ille subridens ait: Non audivi antea de te talia verbula. Episcopus vero ait: Crede mihi, frater, quia totam noctem duxi insomnem* (64), *et nunquam tantas patiebar angustias. Putabam me paratum stare in Ecclesia, missamque celebrare. Dum tentarem altare S. Marci adire, vidi tres episcopos* (65) *circa illum sedere, unum a dextris et alium a sinistris; sanctum vero Marcum in ea, qua fuit, forma* (66) *in medio ante altare in nuda petra veste tam gloriosa. Quando volui propius accedere, nequaquam passus est me illi adiungere, sed extensa manu retrusit me, iussitque longius discedere. Cum illum interrogarem quis esset, et quare me sic repelleret, respondit graeca locutione:* Ἐγώ εἰμι Μάρκος θεολόγος: (67) (hoc est: Ego sum Marcus theologus). *Quia corpus meum negas hic manere, et mea merita apud Deum nihil valere* (68), *ideo nolo te mei altaris participem fore. Nunc igitur quia talibus verbis dignatus est me monere, ultra non audeo denegare corpus eius hic requiem habere: statimque cum omni festinatione pergens ad Ecclesiam, coepit satisfactionem agere dignam, ac omni dubietate relicta, inchoavit divina celebrare mysteria.*

XIII. Alio quoque tempore contigit, quod quidam venit iuvenis ad festum martyris, qui per brachium ferreo erat constrictus circulo (69). *Hic quoque divinum coepit quaerere solatium: mox ut matutina laus implebatur, ille a strictura ferri solvebatur.*

XIV. Non post multum temporis venit quidam habens manum aridam, qui quaerebat auxilium ad eius sepulcrum. Dum beati martyris clementiam deprecatur, demum redeundo in itinere sanabatur.

XV. Vir quidam habuit filium inaudita infirmitate detentum (70), *qui intra unius anni spatium duorumque mensium nullo modo poterat accipere cibum, cui lingua erat ligata, omniaque membra penitus destituta, nec ullo corporis necessario utebatur officio. Quem dum pater ad eundem locum deportaret, nimioque amore foveret, obtulit illum ante altare sanctae virginis Mariae, spondens eum illic proprium, si sanaretur, servulum. Puer autem, prout potuit, ad sepulcrum beati martyris se portare annuit. Dum illuc portaretur, et pater cum eo diu ibi moraretur, factaque a fratribus oratione, sicut ille petebat, humili devotione; mira res! statim ut inde surrexerit, puer cibum quaesivit, loqui coepit, ambasque manus protinus extendit; ceteris quoque membris postea in melius profecit.*

XVI. Eadem quoque hebdomada venit quidam clericus (71), *qui erat ex utero matris caecus; non solum caecus, sed et omnium membrorum officio destitutus, cui genua pectori iungebantur, manusque ad dorsum retorquebantur, nec poterat ullum retinere gressum. Hic cum per diversa veheretur loca Sanctorum, visitavit S. Iacobum in Gallicia apostolum; ibi meruit primum oculorum lumen: postea pertransiens Iudaeam, venit Hierosolymam; hic ad sepulcrum Domini pedes ei restituti sunt. Antea in quadam Ecclesia, quae est in Bulgarorum gente, unam manum recepit, quam curvam illuc attulit. Dum paene omnes regiones circuiret ultra mare, novissime coepit in istas regiones remeare. Qui ut ad nostrum monasterium venit, S. Marcum ibi requiescere negavit; quia dixit in Alexandria se manere* (72), *eiusque basilicam ibi videri. Quid plura? dum quadam hora ad sepulcrum B. Marci voluisset orare* (73), *testatus est sanctum martyrem illi alapam dare. Tunc coepit aestuare, atque ab omnibus membris visus est sudor emanare: quando vero ab oratione surrexit, alteram manum, quam incurvam huc attulit, protinus extendit, statimque praedicavit aperta voce, S. Marci evangelistae sibi adfuisse merita.*

XVII. Accidit igitur (sic) *ut cuiusdam etiam venerabilis patris viri* (74) *mulieres in die natalis beati Marci evangelistae occulte egrederentur ad succidendas infructuosas herbas in agro. Illis autem per viam ambulantibus, occurrit eis dominus suus. Dum illum a longe vidissent, sarcula, quae manibus ferebant, occultabant. Illo interrogante quid occulte portarent, dum omnino negare non possent, proferebant sarcula, quae habebant occultata, quas* (sic) *ut ille vidit, quid cum his facere vellent interrogavit. Illae ad intercidendas fruges* (75) *exire in agrum professae sunt. Tunc senior prohibebat eas, dicens: Nolite operari hodie, quia festivitas est S. Marci evangelistae* (76). *Una ex illis, ut vidit quia inlicitum opus ei interdictum fuisset, garrula voce sic prorupit in hunc modum: Hoc nobis semper opponitis, praecipientes festis nihil exercere operis. Cur nobis Marcum obiicitis? certe nescio quis iste sit Marcus. Certe propter Marcum non omitto quod mihi videtur esse commodum. Statim ut ab eo discedens illa contumax mulier domum revertebatur, nimia infirmitate detinebatur; nec poterat prius curari, antequam promiserat illum diem ultra venerari. Mox ut promisit, sanitatem recepit.*

XVIII. Multa etenim (forte *etiam*) *et innumerabilia signa fecit Deus per ipsius merita* (77), *quae modo non possumus percurrere singula, quae nobis illi narraverunt, qui in semetipsis haec manifeste senserunt. Haec modo paucis perstringere*

curavimus, non quod eius miracula apud nos sint rara (78), *sed ut quisque credat firmiter, eum hic requiescere corporaliter* (79).

Haec praestante Deo, qui condidit omnia Verbo,
Cuius et imperium constat sine fine per aevum.
Amen dicat omnis homo.

Atque hoc monumentum illud est, quo tota fere nititur Augiensium traditio: nam quae alia aliunde proferunt fundamenta, ea penitus a nobis capite praecedenti subversa sunt. At cum illud, ut ex sequentibus animadversionibus patebit, nutet ex omni parte atque labascat, nec antiquum sit, nec ab homine erudito, imo ne sanae quidem mentis, exaratum; ita ineptis narratiunculis, ἀναχρονισμοῖς, ἀνακολούθοις, mendaciis, absurdis prodigiis undique scatet, quandoque etiam blasphemiis (1); mirum tantum illi Egonium aliosque Augienses tribuisse, ut uno illo tutos se ac securos praestare posse existimarent. Sed mirum adhuc magis, quod post Mercerum (2) et Bruschium (3) refert Bucelinus (4), monachos illos, quoties in missa lectio evangelica ex S. Marci codice accipienda est, non iam, ut assolet, *Sequentia S. Evangelii secundum Marcum*, sed *secundum hunc* dicere consuevisse; quam consuetudinem optimo iure sigillat v. cl. Flaminius Cornelius (5). Facessant igitur cum suis hisce quisquiliis Augienses, ac aut meliores traditionis suae auctores et testes exhibeant, aut aequa mente Venetos haec portenta et ludibria ridere patiantur. Neque enim melius quam risu excipi possunt; nosque fortasse chartam et operam perdidisse quis dicat, quos somniis hisce refutandis tamdiu immorari non piguit.

---

(1) Vide notam 56. cap. seq. — (2) Cosmog. lib. III. — (3) Apud Dorscheum App. ad Sceletom. not. 3. — (4) Apud Cornelium. loc. cit. pag. 39. — (5) Ibidem. pag. 45.

CAPUT VIII.

ANIMADVERSIONES IN HISTORIAM AUGIENSIS TRANSLATIONIS CORPORIS S. MARCI EVANGELISTAE.

1. *De miraculis etc.* Hic titulus in dorscheana editione opusculo praemittitur: longe alium habet Cornelius, sed a se concinnatum, ut puto. Ioannes Egonius, qui relationem hanc inter mss. codices augiensis bibliothecae repererat (1), *historiam* vocat *translationis S. Marci.* Puto dorscheanam inscriptionem verissimam esse ob ea, quae sequenti nota dicemus. Scriptorem huius historiae *antiquum* vocat (2) Egonius, alibi vero (3) *antiquae et spectatae auctoritatis scriptorem, qui eodem saeculo floruit,* hoc est saeculo X. circa annum CMXXX. quo alii floruerant, quos paullo ante recitaverat. Verum aut omnia me ludunt, aut nonnisi saeculo XIII. huius fabulatoris aetas statuenda est. Facit ut ita credam rudis stilus ac barbarus, voces in scholasticorum morem deflexae, *perpetualiter, corporaliter etc.* (4) aliaque huiusmodi, quae latinam linguam iam prostratam, et saeculi XIII. incipientis ac fortasse adulti etiam ingenium demonstrant: quin imo italus mihi videtur ille scriptor fuisse, et scripsisse italica lingua satis adulta: ita apud ipsum omnia fere italicae constructionis indolem praeseferunt. Siquidem apud illum legas (5) *pro qua re?* idest *perchè? cur?* (6): *de Alemannorum gente procreatus,* ital. *nato della schiatta* (7): *qui ante fuit suus clericus,* idest *eius,* ital. *ch'era stato suo chierico,* quae dicendi ratio frequens occurrit (8): *convenit implorare,* h. e. *ad implorandum,* ital. *s'adunò ad implorare* (9): *unus erat de Graecia, alter de Venetia,* h. e. *unus Graecus, alter Venetus,* ital. *l'uno di Grecia, l'altro di Venezia* (10): *dum miraretur intra se de tali visione,* ital. *mentre fra di se si maravigliavano di tal visione* (11): *non multo tempore praeterito,* h. e. *paucis interiectis diebus,* ital. *passato non molto tempo* (12): *non audivi de te talia verbula,* h. e. *ex ore tuo,* ital. *non ho udito da te queste parole* (13): *inchoavit celebrare,* h. e. *coepit,* ital. *cominciò* (14): *strictura ferri,* h. e. *adstrictio,* ital. *strettura, strettoia* (15): *quid cum his facere vellent interrogavit,* ital. *domandò che far volessero con essi?* haec, inquam, legas, aliaque multa id genus. Illa quoque italam terminationem innuunt (16) *pepigisset* pro *paciscereturr,* ital. *pattuisse; potuisset* pro *posset,* ital. *potesse; obstitisset* pro *obstaret,* ital. *ostasse; antequam reliquisset* pro *relinqueret,* ital. *prima che lasciasse; debuisset,* pro *deberet,* ital. *dovesse:* quo errore saepe terminationis similitudine decepti laborare solent, qui latinam linguam apprime haud callent. Haec omnia

(1) Lib. II. cap. XXII. Lib. III. cap. X. XII. XIV. de Vir. Ill. Augiae.— (2) Ibid. Lib. III. cap. XIV. — (3) Ibid. lib. II. cap. XXII. lib. III. cap. XIV. — (4) Num. VIII. etc. — (5) Num. I. — (6) Num. III. — (7) Ibid. — (8) Num. X. — (9) Num. XI. — (10) Ibid. — (11) Num. XII. — (12) Ibid. — (13) Ibid. — (14) Num. XIII. — (15) Num. XVII. — (16) Vide num. IV. V. VIII. etc.

non modo italum scriptorem hunc fuisse suadere videntur, sed et qui sero vixerit saeculo XIII. et fortasse XIV. Nec mireris italum scriptorem Augiae commorantem, cum ad illud monasterium nobilissimi ex tota Europa adolescentes confluere solerent, ut benedictinae militiae nomen darent. Facit praeterea ut scripta illa Acta censeam saeculo XIII. absurda visionum et miraculorum congeries, quae saeculi eiusdem *legendas* olet: nam X. saeculo nec tam facile mentiri historici consuevere, nec tam impudenter et inepte: faciunt denique parva quaedam, sed certa tamen, indicia sequioris aetatis, quae deinde singillatim indicabimus locis suis. Sed quod maxime pervincit, non ante saeculum XIII. nugatorem hunc scribere potuisse, illud est quod superius (1) ex Augiensibus ipsis monumentis pervicimus, nempe fabellam hanc saeculo XII. incipiente et fortasse etiam adulto nondum fuisse excogitatam. Cum enim auctor huius opusculi eo perpetuo spectet, ut eos qui hanc ipsam fabellam reiiciebant, non solum refutet, sed ingesta etiam ingenti absurdorum prodigiorum quasi congerie paene obruat atque opprimat; satis patet, illum non post vulgatum modo hoc commentum scripsisse, sed postquam impugnari etiam et reiici coeptum est. Id vero nonnisi saeculo XIII. ineunte evenire potuit; ac proinde saltem eo usque producenda aetas horum Actorum, nisi fortasse etiam serius, quidquid Egonio visum fuerit, differenda sit.

2. *Sollertiam vide anonymi scriptoris. Consilium suum aperit ac si de sancti evangelistae Marci sibi scribendum miraculis foret. Ad Acta passionis eius lectorem remittit, ut quae contigerunt Alexandriae innotescant, narraturus ipse quae in partibus Alemanniae patrata sunt. Interim vero augiensem propinat translationem.* Cornelius. Atqui non propinat modo, sed non alia de causa tot deinde miracula profert, nisi ut iisdem hanc translationem invitis obtrudat, quam antiquis monumentis nullo modo poterat confirmare.

3. *Quorum paene totus plenus est mundus.* Atqui augiensia prodigia, praeter Augienses, nemo unquam aut retulit, aut novit.

4. *Nequaquam volumus etc.* Edit. Bucel. *vix dum valemus aliquod capere principium.*

5. *Et vidimus.* Nullum tamen hic prodigium refertur, cuius se auctor oculatum testem ausus sit profiteri. Et tamen hinc scriptoris antiquitatem deducere vult Bucelinus.

6. *Ad nos.* Ergo augiensis monachus Actorum scriptor: id paullo post clarius patebit. Vide infra notas 8. 11. et 15.

7. *Qui Augia recto nuncupatur vocabulo.* De Augia vide quae superius tradidimus (2): quid significent voces illae *recto vocabulo*, et quomodo ita vocetur, *quia illam Rhenus immani circumfluit amne,* viderit ipse Actorum scriptor.

8. *Sapientia pollens etc. Magnificae laudes, quibus Augia exornatur, scriptorem produnt monachum eius loci.* Cornelius; id evidentius paullo post patebit. Vide notas 11. 15.

---

(1) Supr. cap. VI. num. XIV. — (2) Supr. cap. VI. num. II.

9. *Martyris.* Nescio cur S. Evangelistam *martyris* nomine identidem vocare soleat. Equidem *martyrem* fuisse revera Marcum, haud ignoro; attamen nec Apostoli, nec Evangelistae *Martyres* absque ullo adiuncto appellari unquam consuevere. Suspicatur Cornelius (1), Augienses cum corpus S. Valentis possiderent, ipsum passim *S. Martyrem* dicere fuisse assuetos; quod ubi semel invaluit, servatum etiam est postquam fabella haec de S. Marci corpore vulgari coepit. Vix enim fieri potuit, ut altare, exempli causa, quod iamdiu *altare S. Martyris* dictum fuerat, alio deinde nomine vocaretur. Augiensium morem etiam Actorum auctor imprudens secutus est. Cornelii vero coniecturam nemo profecto aut alienam, aut ineptam putaverit.

10. *Multi enim qui de hoc dubitaverunt etc.* Vide hominem terricula et spectra obiicientem, ut hinc saltem lipsanis illis suis fidem et venerationem conciliet. Optima certe obtinendae fidei ratio, ubi certa argumenta deficiant.

11. *Ad nos deveniret etc.* Hinc aperte constat, augiensem monachum fabellae huius scriptorem fuisse.

12. *Sicut patrum nostrorum relatione didicimus etc. Auctorem vides minime synchronum, sed ex traditione maiorum, ut ait, scribentem.* Cornelius. Quid Bucelinus, qui synchronum fuisse contendit?

13. *Egino.* Fuit hic XLIV. episcopus veronensis. Illum anno DCCIC. cellam et S. Petri basilicam condidisse, anno vero DCCCII. mortem obiisse tradunt Contractus (2) et Egonius (3). Quamvis autem tot illum laudibus prosequatur Actorum scriptor, imo inter caelites enumeret Egonius (4); attamen veronensis Ecclesia nec inter sanctos enumerat, nec de illo quicquam praeter nomen et episcopatus tempus cognoscit.

14. *Veronensis civitatis Ecclesiae monarchiam.* Animadverte ineptum dicendi modum.

15. *Ut abbatem nostri monasterii etc.* Rursum se augiensem monachum prodit historiae scriptor. Infra: *Cum iam deveniret ad nostrum monasterium.*

16. *In ultima cespitis parte,* hoc est, *in inferiori insulae parte,* ut habet Egonius (5).

17. *Cellulam.* Eremum.

18. *In honorem principis Apostolorum.* Anno scilicet DCCIC. ut diximus (6), quae deinde in praeposituram evasit, inquit Egonius (7), *et iam una est ex tribus parochiis insulae,* teste Bucelino.

19. *Vocabulumque sui nominis etc.* Bucelinus ait vocari *Niderzell.* Haec vox quomodo ex Eginonis nomine ducta sit, quis mihi auctor edisserat?

20. *Ex hac luce subtractus* anno, ut dixi (8), DCCCII.

21. De Ratoldo satis superque disputavimus superius (9).

22. *Vir magnae bonitatis.* Ratoldum quoque beatis accenset Egonius (10), renuente Ecclesia veronensi. Attamen videtur, non admodum operosum fuisse

---

(1) Loc. cit. pag. 52. — (2) Ad ann. DCCIC. et DCCCII. in edit. Canis. — (3) Lib. I. cap. V. lib. III. cap. X. — (4) LL. cc. — (5) LL. cc. — (6) Supra nota 13. — (7) LL. cc. — (8) Supra nota 13. — (9) Sup. cap. VI. n. VI. et seqq. — (10) Lib. I. cap. VI.

huiusmodi honorem apud Augienses adipisci. Vide eiusdem Egonis librum priorem de Viris Illustribus Augiae Divitis.

23. *Regnante Ludovico:* immo imperante Carolo Magno, qui nonnisi anno DCCCXIV. e vita decessit.

24. Animadverte incredibilem historici oscitantiam. Ait primum, *locum fuisse valde speciosum,* deindè subdit, *nulli cultui aptum fuisse,* nisi *piscatorum domibus* excipiendis. Haec quis Oedipus resolvat?

25. *Vocans eam Ratoltescella.* Non *Ratoltescella,* aut *Ratoldi cella,* sed *Rottolfzell*, hoc est *Rotolphi cella* locus ille appellatur; proinde non a *Ratoldo,* sed a *Rotolpho* constructa. Vide supra capite VI. num. VI.

26. *Cum quodam viro de Venetia, etc.* Certe sapere mihi aliquantisper hoc loco videtur Actorum auctor, ceteroquin ineptus, qui non iam ut ceteri (1) Venetorum ducem, multoque minus Iustinianum, qui iam mortem obierat, in scenam inducit, sed *virum quendam de Venetia venientem,* cuius et nomen latet et conditio. At qualis et quantus hic *vir quidam,* qui ducis palatium, ubi sacrum pignus servabatur, occultus penetrare, custodes, cantores, ministros, primicerium, qui illud diu noctuque stipabant, fallere, pretiosissimum thesaurum invisus auferre, urbis totius denique oculos eludere potuit? Nonne potius suspicari libet (si quicquam tamen Augiensium traditioni tribuere placet) venetum aliquem sycophantam, ut pecunias a Ratolpho corraderet, corpus aliquod illi tradidisse, quod ipse S. Valentis esse diceret, quodque Augienses deinde labente saeculo XII. ovidiana prorsus *μεταμορφώσει* in Marcum evangelistam transmutarent? Certe huiusmodi sanctorum corporum nundinatores frequentes ea aetate fuisse Cornelius ostendit (2): quo fit ut non modo S. Marci, sed ne ipsius quidem S. Valentis corpus fuisse vehemens mihi suspicio suboriatur. Certe vidimus Notkerum (3) utrum S. Valis esset, an S. Valentis dubitantem; adeo vel ipso saeculo IX. quid de illis ossibus credi oporteret, incertum erat. Verum hoc ipsum, quod de Ratoldo narratur, mihi suspectum videtur: ipsaque Notkeri dubitatio, ne quidquam augiensibus fabulatoribus credam, vehementer persuadet. Vide supra (4).

27. *Divina instinctus admonitione.* Certe nonnisi *Deo inspirante* id Ratoldo in mentem venit, ut amico suo persuaderet, ut reliquias undecumque compararet, quas sibi deinde simoniaco mercimonio divenderet: quod ille ut probe exequeretur, *divina* fortasse *instinctus* et ipse *admonitione,* patriam suam pretiosissimo thesauro per infandum latrocinium expoliavit, quem amico suo, amicitiaeque quidem gratia, sed tamen pecunia numerata, habendum concessit. Certe etsi nihil praeterea egit Ratoldus, est in hoc ipso quod sufficere potuit, cur illum boni Augienses inter beatos recenserent.

28. *Sub nomine principis Apostolorum.* Mirum certe quod tam Egino, quam Ratoldus eidem Petro apostolo cellas dicaverint. Suspicari videtur Cornelius (5),

---

(1) Vide supr. cap. VI. n. IV. — (2) Ad not. X. in hanc ipsam historiam. — (3) Supr. cap. VI. num. VIII. — (4) Supr. cap. VI. n. VIII. — (5) Loc. cit. pag. 49.

Actorum scriptorem aut de Eginone, aut de Ratoldo nugari. Ego vero, quamvis alia multa quae in hisce Actis habentur hanc suspicionem roborare videantur, vix tamen mihi persuadeo, potuisse hominem tam impudenter mentiri. Extabant aetate sua, fortasse etiam extant adhuc aetate nostra, tam Eginonis cella, quam Ratoldi, sive quae hisce episcopis tribuuntur. Quid ni sciret augiensis monachus, cui utriusque cellae basilica dicata esset? Aut igitur utraque Ecclesia Petro Apostolorum principi revera sacrata fuit, aut Petri nomen librariorum potius oscitantia, quam auctoris fraude in textum irrepsit.

29. *Percurrente anni curriculo conveniamus etc.* Quid tot hisce ambagibus opus erat? Anni tempus constituitur, certa dies condicitur, abditus locus designatur. Quid si infra annum reliquias Venetus non reperisset? non enim cum promisit, de corpore S. Marci, ut ex Actorum serie coniici potest, quicquam cogitabat. Nam si de illo Venetus loquebatur, quid attinebat Ratoldi spem in integrum annum differre? quid vero de *condito loco* dicam? tantum ne tunc temporis Verona a Venetiis distabat, ut eo usque Venetus progredi nequaquam posset, praesertim ratoldiano auro sibi promisso alliciente atque sollicitante? Aut adeo ne periculosum erat, exiguam arcam sacris ossibus refertam occulte in episcopium inferre, ipsique praesuli remotis arbitris tradere, ut eius periculi devitandi causa secretus locus esset quaerendus, ubi ipsi episcopo traderetur, qui eadem onustus et suffarcinatus in urbem rediret? Vides, ut omnia ineptum romanensium fabularum ingenium olent? Si Actorum scriptor sin minus vera, at saltem similia vero referre conabatur, non ita loquentem Venetum inducere debebat; sed promittentem tantummodo, se omni sollicitudine curaturum, ut amico praesuli fieret satis: ubi vero id quod ille optabat assecutus esset, allaturum ipsi statim quae reperisset.

30. *Tu tamen vides ut impleas meae voluntatis effectum.* Ambigue dictum. Nam et ita explices: vide ne iis desis, quae indixi; scilicet ut stato die et loco mihi occurras: et iterum alio sensu; vide ut votis meis respondeas, ac pactam pro lipsanis pecuniam adnumeres. Posterior interpretatio Cornelio placet (1), a quo nec ipse prorsus dissentio. Nam paullo post sequitur (2), Venetum non ante Ratoldo corpus S. Marci tradidisse, quam ab ipso magnam pecuniae summam accepisset.

31. *Tunc . . . . a Venetia etc.* Deest aliquid. Cornelius legit *tunc solus a Venetia,* quod item obscurum est. Deesse puto *ille,* vel *homo,* vel quid huiusmodi: ita ut sensus sit: *tunc ille a Venetia,* hoc est, *tunc Venetus etc.* Vide scelestissimum mercimonium. Venetus S. Marci corpus in patria furatus fuerat, quod nullo modo ignorare potuit Ratoldus, qui certe illud ante omnia exquirere debuit, quomodo in eius potestatem tantus thesaurus advenisset. A latrone tam sacrilego, eodemque patriae suae proditore corpus illud libenter accipit: imo, ut sacrilegio sacrilegium accumulet, appenso auro mercatur. Haeccine Augienses credunt, et tamen Ratoldum inter beatos enumerant? Atqui, si illi recte, reddat

(1) In not. ad hunc locum. — (2) Num. V.

obolum mihi magister, qui me theologiam docuit, ac longe alia de beatis credenda proposuit.

32. *Sub testatione iuramenti*. Etiam si vera referret auctor hoc loco, ecquis tandem sacrilegi, furis, patriae proditoris, pecuniae avidi quidquam iuramento tribueret? *Quid non mortalia pectora cogis, auri sacra fames?* (1).

33. *Iudicio ferventis aquae et calidi ferri*. Iudicium ferventis aquae fiebat manu, vel brachio in ferventem aquam immissis: calidi vero ferri, accepto in manus ferro ignito, ac aliquantisper retento. Qui illaesus utrumque praestitisset, huic, quaecumque asseruisset, credebantur, veluti Deo ipso loquentis veracitati fidem perhibente. Vide de hac re eruditissimum Le-Brun in historia critica superstitionum (2). Ceterum haec de hisce *iudiciis* (ita enim vocant) animadverto. I. Etiamsi vera referret Actorum scriptor, nihil ex his concludi posse. Nam et saepe etiam impiis et mendacibus feliciter cessere (3), et nostra aetate notissimum physicae studiosis est, paene universis, quomodo sine prodigio utrumque praestari possit. II. Hanc ipsam duplicis huius *iudicii*, sive probationis, commemorationem, haud levem suspicionem iniicere, Actorum scriptorem saeculo XIII. vixisse, quo tempore haec ipsa *iudicia* passim usurpabantur. Hinc Honorius III. (4) qui anno MCCXVI. apostolicam cathedram tenuit, constitutione edita, huiusmodi iudicia proscripsit; proscripsit circa an. MCLXXI. Lucius tertius (5): proscripsit in concilio generali lateranensi IV. anno MCCXV. Innocentius III. (6); ut omittam concilia provincialia, quae eadem identidem vetuere; quae profecto tam ingens atque sollicita Romanorum Pontificum in illis proscribendis sollicitudo, communia ea tunc temporis fuisse, apprime demonstrat. III. Has ipsas probationes a Veneto exhibitas, si habeantur pro veris, et Ratoldi sanctitati magis officere, et novum infando illi mercimonio crimen adiicere. Neque enim ignorare Ratoldus poterat, iudicia illa et Evangelio repugnare, ubi Christus diabolo respondet (7) *non tentabis Dominum Deum tuum;* et ecclesiasticorum canonum sanctionibus, qui illa toties damnaverant. Licet enim saeculo XII. exeunte et XIII. incipiente in illa maxime invecti sint Romani Pontifices, attamen et alias damnata fuerant, ut inter ceteros a Stephano V. circa annum Christi DCCCXVI. (8) ipso nempe vivente Ratoldo, et veronensem episcopatum tenente. Neque haec dico, quasi Ratoldum aut sacrilegum, aut impium existimem, quem alioquin optimum et piissimum episcopum fuisse ex monumentis ab Ughello productis (9) apprime scio: sed ut constet, quam imprudenter Augienses tot illa scelera optimo praesuli tribuant, quem tamen tot criminibus oneratum inter caelites audent recensere. Profecto huiusmodi hominum incogitantiam, ne quid dicam asperius, nemo unquam satis mirari poterit.

---

(1) Virg. Aeneid. lib. III. v. 56.— (2) Lib. V. cap. III. — (3) Le-Brun loc. cit. cap. V. — (4) Lib. V. Decretal. titul. XXXV. *de purgat. vulgari* cap. III. *dilecti filii.* — (5) Ibid tit. XXXIV. *de purgat. canon. Ex tuarum.*— (6) Ibid. lib. III. tit. L. *Ne clerici vel monachi* cap. IX. *Sententiam.*— (7) Matth. cap. IV. vers. 7. — (8) Vide Grat. in Decreto part. II. caus. II. quaest. V. can. XX. *Consuluisti*, Vide etiam can. VII. — (9) Ital. Sacr. tom. V. in Episc. Veron.

34. *Et alter antequam corpus etc.* Vide quam pueriliter veterator hic noster in re seria nugatur. Haud illé ignorabat, corpus, quod sua aetate S. Marci esse ferebatur, diu apud Augienses sub Valentis nomine cultum fuisse. Quid ille? Fingit, Ratoldum a Veneto adactum iureiurando ne nomen eius proderet, illud Valentem nuncupasse; sic cautum putat Augiensium famae, qui Valentem ipsum processu temporis, ipso sancto Evangelista monente, in Marcum transmutarunt. Optimum certe commentum, si cum pueris agendum esset. At quaeram ego. Ratoldus, qui iureiurando interposito se nomen illud perpetuo celaturum promisit, recte ne egit? Si Marci nomen nunquam erat revelaturus, nonne sancti Evangelistae lipsana in perpetuum honore suo ac nomine caruissent? neque enim tot illa prodigia, quae post mortem suam eventura erant, faciendamque Gebehardo revelationem (1) potuit praevidere. Hoc ne religiosum episcopum decuit ac Sanctorum cultorem? at, inquies, sub Valentis nomine colenda ossa illa Augiensibus tradidit. Haud ibo inficias. Hoc tamen quomodo sine mendacio? et quem fingunt mendacem hunc inter beatos enumerant? sed haec levia. Iurisiurandi fidem praestitisse Veneto Ratoldum tradit Actorum scriptor. At undenam iusiurandum hoc a Ratoldo praestitum novit? Non a Ratoldo, qui id, nonnisi ipsius iurisiurandi fide violata, patefacere potuit. Non ab ipso sancto Marco, qui, ut videbimus (2), nihil de Ratoldi iuramento Gebehardo revelavit. Non ab aliquo rei teste ac conscio: haec enim Venetum inter et Ratoldum, remotis arbitris, acta sunt. Unde nam ergo? dissolvant hunc nodum Augienses, ac tum demum S. Marci corpus se possidere glorientur.

35. *Reliquiis sanctorum Synesii et Theoponti etc.* Lege: Genesii et Theopompi. Fabulae huius originem alias (3) investigavimus, ac ex coniectura exposuimus. Ceterum modestius se auctor noster gerit quam ceteri, qui de hac translatione scripsere: non enim ut illi integra corpora (4), sed tantum *reliquias* a Ratoldo acquisitas commemorat: quod licet verum esse possit, ne tamen habeamus pro certo facit sublesta scriptoris fides. Nam ut habet vetus adagium: *Mendaces hoc faciunt, ut etiam vera dicentibus nihil credatur.*

36. *Appellavit Valentem, neque immerito etc.* Pulcra sane appellationis causa, quasi in Sanctorum quemlibet hoc ipsum nomen convenire non possit. Quid si ita appellavit Ratoldus, eo quod ossa illa sancti quidem martyris alicuius esse crederet, cuius tamen nomen nesciret? profecto ita apud Romanos fieri solet, ubi Sanctorum corpora, quorum nomen ignotum sit, ex catacumbis effodiuntur. Quid si inde Valentem suum accepit Ratoldus (5)? Sed quid coniecturis extricare rem quaerimus, quae tota, quanta est, fabulam sapit?

37. *In una absida.* Vox haec *absida* hoc loco nec templi, aut presbyterii fornicem, nec partem soli, quae maius altare sustinet, aut chorum, aut presbyterium significare potest, licet aliunde omnes hasce significationes admittat (6),

---

(1) Cap. praec. n. VIII. — (2) Ibid. — (3) Supr. cap. VI. n. VII. — (4) Supr. loc. cit. n. III, et VII. — (5) Vide Henschen. inter Bollandian. ad diem XXV. April. — (6) Vide Du Cange Lex. med. et inf. latinit. ad hanc vocem.

Nam si unum ex hisce locis innuere voluisset auctor noster, scripsisset: *Collocaverunt in absida*, non vero *in una absida*. Itaque alio sensu vox illa accipienda; ac *absidae* nomine intelligendum vacuum illud spatium, quod intra mensam altarium patet; aut secretum aliquod, ubi Sanctorum reliquiae in altari ipso servari solent: quas ambas significationes vox illa *absida* accipere potest (1). Immo sub ara S. Ioannis Baptistae condita fuisse tradit etiam Egonius (2). Id cur moneam, paullo infra (3) patebit.

38. *In basilicam S. Marci*. Haec profecto narrat auctor evenisse antequam S. Marcus se Gebehardo revelaret anno DCCCLXXXV. et adhuc sub Valentis nomine lateret. Atqui sanctum corpus tunc temporis non in *basilica S. Marci*, sed *in basilica S. Mariae* quievisse dixerat paullo ante. Quid quod S. Marci basilica anno tantum MXLVIII. in Augia erecta est? Id certe tradit Hermannus in chronico (4). Itaque aegrotus ille S. Marci Ecclesiam ingressus est ducentis fere annis antequam conderetur. *Nugae merae, atque aedepol liroe, liroe.*

39. *Quia ignotum erat etc.* Inepta excusatio. Nam dubitari non poterat patrata fuisse sub nomine S. Valentis: ita ut, progressu temporis rei veritate patefacta, ea S. Marci intercessione peracta fuisse dubitari non posset. At in omnibus ineptire amat noster historicus.

40. *Gebehardo*. Gebehardus huius nominis primus, ex monacho augiensi episcopus constantiensis, cathedram illam adeptus est anno DCCCLXXVII., eandemque usque ad annum eiusdem saeculi LXXXV. tenuit, teste Egonio (5). Visionem hanc anno extremo, si Augiensibus fides habenda est, paullo ante mortem habuit a B. Marco. Quare sibi contradicit Egonius (6), cum ait, id contigisse an. XLV. post reliquias illas a Ratoldo translatas. Nam hic annus esset DCCCLXXV. quo anno nondum Gebehardus constantiensem episcopatum adeptus fuerat.

41. *In ea, qua eum fuisse legimus, forma:* hoc est eo oris habitu, qualem ei fuisse tradunt Acta, quae tunc temporis circumferebantur, qualemque nos etiam alibi (7) ex Actorum fide retulimus.

42. *Et qui illi essent, qui circa turrim Ecclesiae volarent?* Profecto aut palumbes credidit, aut hirundines. Certe singularis est, nec alias audita haec visio Angelorum circa turrim Ecclesiae, vespertiliorum more volantium. Mitto cetera, quae mimicam certe scenam obiiciunt: sed vide historici incredibilem prorsus oscitantiam. Sequitur Gebehardus Marcum, eundemque in caelum suspicientem videt: ipse etiam in caelum oculos attollit, eundemque Marcum videt cum Angelis passerum ritu circa turrim volantem: tum se ad eius pedes prosternit. Haec quomodo invicem cohaereant quis Oedipus explicabit?

43. *Membra mea incipiunt a terraneo humore sordere*. Atqui sordere non poterant, quae abbas *in una absida sub ara S. Ioannis Baptistae cum omni honore collocaverat* (8). Vide supra quae diximus ad notam 37.

---

(1) Du Cange loc. cit. — (2) De Viris Illustr. etc. part. III. cap. XIV. — (3) Nota 43. — (4) Ad illum annum. — (5) De Viris Illust. etc. — (6) Ibid. — (7) Supr. lib. I. cap. XXI. num. V. — (8) Act. num. VI.

44. *Scito quam periculosum sit tibi etc.* Quod interminatus fuerat Marcus, revera implevit, cum mortem paucos post dies obierit Gebehardus, licet Evangelistae tertio admonenti paruisset. Ceterum consentaneum magis visum fuisset, Marcum mortem episcopo minitari, nisi dicto satis fecisset: at, quod de Ratoldo non semel animadvertimus, Sanctorum apud Augienses ingenium aliud ab eo est prorsus, quod alibi exhibere solent. Ceterum quis Gebehardo credidisset talia narranti? Confirmanda erant aliquo indicio, quae referebat; et revera confirmavit morte sua, novae fabellae novus martyr. Vides acutum fabulatoris nostri repertum. Sed de Gebehardi morte paullo infra (1).

45. *Illico surrexit.* Abest ab augiensi monasterio Constantia urbs passuum fere millia IV. acronio lacu interiecto. Certe maximum antistitis pavorem fuisse oportet, qui illum adegit concubia nocte surgere, et lacu transmisso Augiam properare, ut haec omnia abbati renuntiaret. Ita nugas nugis accumulat noster historicus.

46. *Corporis molestia correptus est etc.* Atqui non *corporis molestia correptus,* sed a Nortmannis occisus Gebehardus ex hac vita discessit. Ita tradunt chronicon constantiense (2), Regino (3), annalista metensis (4) aliique (5). Frustra autem Egonius (6), constantiensem illum episcopum, a Nortmannis occisum, non iam Gebehardum Constantiae ad lacum acronium praesulem fuisse contendit, sed nescio quem alterius Constantiae (7) in Nortmannis sitae *(Contances)* episcopum; idque ex eo confirmat, quod prope urbem illam captus ab iisdem fuerit atque interfectus. Frustra inquam: nam cum Regino, qui tunc temporis vivebat, aperte tradat, ut Egonius ipse testatur, constantiensem hunc episcopum Salomonem in episcopatu successorem habuisse, Salomoni vero e vivis sublato Salomonem alterum successisse, id certe de Gebehardo nostro dixit, quem Salomones gemini excepere. Si igitur Egonius Reginonem de altero illo Gebehardo in Nortmannia episcopo locutum putat, ostendat necesse est, Salomonem geminum illi quoque successisse; quod vix, aut ne vix quidem praestabit. Nec te moveat quod Gebehardum anno DCCCLXXXV. mortuum tradant historici; constantiensis vero episcopi ab Nortmannis interfecti mors circa annum Christi DCCCLXXXVIII. contigerit, quo veluti fortissimo argumento exultat Egonius: nam quo tandem auctore anno DCCCLXXXV. Gebehardi mortem contigisse demonstrat? profert multos, omnes tamen recentissimos. Unus est, cui maxime fidit Achilles: ipse nempe, quem nunc expedimus, auctor historiae augiensis translationis. Hunc, quem summis laudibus extollit, quemque saeculo X. vixisse putat, vel ipsi Reginoni συγχρόνῳ et veridico scriptori anteponit, cum tamen ex hoc ipso animadvertere debuisset, quam ineptus sit et mendax, quamque remotus ab ea aetate, quam ipsi incaute tribuebat. Certe nos superius (8) saeculo XIII. vixisse ostendimus, et adhuc plenius deinde demonstrabimus (9). At

(1) Nota 46.— (2) Apud Pistorium. tom. III.— (3) Ad ann. DCCCXC.— (4) Ad ann. DCCCLXXXIX. — (5) Apud Egonium part. III. cap. XIV. — (6) Ibidem.— (7) Vide Martinière Lex. geograph. voc. *Contances.* — (8) Supr. nota 1. et 38. — (9) Infr. nota 53.

nimis alte Egonis pectori fixum erat augiensem fabulam tueri; neque fortasse futurum unquam putabat, ut anonymus hic suus in lucem prodiret, et in criticorum manus incideret.

47. *Adhuc celata nominis eius notitia.* Cur post factam Gebehardo revelationem adhuc Marci nomen dissimuletur, nec illud nonnisi post annos circiter XL. patefactum fuerit; divinare prorsus non possum. Equidem quod deinde a Notingo, qui constantiensem episcopatum tenuit ab anno CMXX. ad annum CMXXXI. vel CMXXXIV. (1) quod, inquam, a Notingo factum fuisse tradit noster historicus (2), qui S. Marci ossa illa esse publice edixit, id a Gebehardo fieri par erat, qui ipse per se advocatis testibus visionem suam omnibus notam facere potuit; et ipso morbo, quo afflictabatur, et morte, quam paullo post obiit, eandem confirmare. Nam morienti homini, religioso praesertim ac pio haec testanti credere omnino par est. At nugivendulus hic noster non modo quae vera sunt praestare nescit; sed ne ea quidem, quae vero similia sint, confingere.

48. *Regnante Heinrico etc.* Henricus I. imp. *Auceps* dictus, imperium adeptus anno CMXIX, illud tenuit ad annum CMXXXVI. De Notingo diximus in adnotatione praecedenti.

49. *In die natalis eius:* Hoc est VII. kal. maias, sive die XXV. Aprilis, quo die ab universa Ecclesia celebratur; licet nonnulla antiqua Martyrologia in diem IX. kal. Oct. sive XXIII. Septembris reiicerent (3). Subiicit auctor paullo post, augienses monachos, quaecumque efflagitaverant, a Notingo obtinuisse; imo antistitem synodico decreto sanxisse, ut dies ille in universa constantiensi dioecesi festus ac solemnis haberetur; et tamen nos ex Kalendario augiensi eiusdem saeculi ostendimus (4), anno post Notingi mortem XXIV. nullam eo die S. Marci memoriam fieri consuevisse, nullam solemnitatem celebrari: eiusdemque Evangelistae nomen die tantum XXIII. Septembris occurrere. Nonne Kalendarium illud nugatoris huius sycophantiam apertissime coarguit, et quam male illi fidi possit apprime demonstrat?

50. *Postea in synodo sua, etc.* Habes hic Notingum synodum congregantem, S. Marci corpus synodico decreto augiensi coenobio asserentem, eius festum instituentem etc. Audi nunc, quid de illo chronicon constantiense (5): *Notingus anno Domini CMXX. de quo nil relatione dignum reperitur.* Utri credas potius, chronologo ne, an Actorum scriptori?

51. *Quicumque negantes etc.* Hoc est quod maxime fabulatori cordi est, ut bonos homines ac credulos, aut iniecto terrificae alicuius visionis metu, aut aliis poenis propositis a deneganda S. Marci Augiae quiescentis veritate vaferrime deterreat (6): quibus tamen larvis severioris critices vim nunquam eludet. Ceterum animadverte verba illa: *Sive ultra mare venientes, seu infra manentes.* Non ea credas temere adiecta, aut inconsiderate: Venetos praesertim illa respiciunt; qui, qua aetate auctor scripsit, Augiensium fabulas, fungorum more repente ortas,

---

(1) Chron. Constant. ad hunc annum.—(2) Acta transl. num. IX.— (3) Bolland. ad diem XXV. April. — (4) Supr. cap. VI. n. XIV. — (5) Apud Cornel. pag. 43. — (6) Supr. nota 1. et 2.

irridebant, tum etiam qui e transmarinis regionibus identidem Rhinoviam ventitabant, qui et ipsi, cum Venetiis S. Evangelistae lipsana venerati essent, aurem Augiensium commentis praebere dedignabantur. Hinc paullo post (1) eadem de causa Graecum et Venetum inducit, qui cum de corporis illius veritate dubitarent, prodigiis, ut ipsum sibi persuaderent, adacti sunt. Vide quae in sequenti adnotatione animadvertimus.

52. *Contigit ut duo fratres etc.* Multa sunt quae in hunc locum animadvertam, ut huius narrationis absurditas apprime elucescat. Primum attende, Graecum et Venetum induci, sed qui omnia maria circumierant, ac proinde venetas et alexandrinas traditiones ignorare non poterant: quos cum deinde convictos exhibeat, fatentesque Marci corpus Augiae revera requiescere; iam universas Venetum traditiones hoc uno ictu a se prostratas existimat. Inepte quidem; nec enim hisce somniis et figmentis certissima historiae monumenta convelli possunt. Perge porro: geminos hosce hospites Hierosolyma profectos *fratres* appellat. At quinam fratres? non certe germanos, patrueles, aut consobrinos: nam alter Venetus, alter Graecus: non fortasse instituto monastico, nam vix fieri posse videtur ut Graecus et Latinus, qui simul alicui congregationi nomen dedissent, hi Augiam cum venissent, priori instituto derelicto, augiensi sodalitati adscribi postularent, idque ab abbate et fratribus obtinerent, ut postea subiicitur. Sed rem explicat satis festive Egonius (2). Refert, hunc Simonem, cui cognomen Bardo, Constantinopoli nobili genere ortum, ac in aula imperatoris innutritum, summas a graecis impp. dignitates obtinuisse, ita ut supremus exercituum dux, et Achaiae dynasta renuntiaretur. Verum militiae et honorum pertaesum, relicta aula, Hierosolymam secessisse, seque in eremum abdidisse. Ibi cum diu sibi Deoque tantum vacasset, Hierosolymorum patriarcham invitum et nil tale cogitantem cuidam monasterio praefecisse, eique dono dedisse unam ex sex illis hydriis, quas Christus, aquam in vinum convertens in Cana Galilaeae (3), primo miraculo illustravit. Quae tamen cum ipsi furto sublata deinde esset, captum eius desiderio Simeonem multas orbis terrae regiones peragrasse: donec, ea tandem apud Augienses reperta, ibidem consisteret, ac fratrum consortio admitteretur. Ibi demum monasticam vitam professum anno denique CMXXVI. supremum diem clausisse V. idus Augusti, ab Augiensibus inter beatos adnumeratum. Haec Egonius, quae se ab anonymo scriptore saeculi X. accepisse asseverat (4): sed tam ipsi Egonio in scriptorum aetate constituenda, quam augiensibus scriptoribus in iis quae referunt, quam parum fidendum sit, lector intelligit: et interim non vacat fabellae huius commenta refellere. Ceterum de Philippo veneto Simeonis socio nihil habet Egonius; attamen et sanctissimum virum et nobilissimum fuisse necesse est, siquidem Simeoni monacho tantae sanctitatis adhaeserat, et ab Augiensibus in societatem receptus est, qui tunc temporis non modo plebeios homines et populares, sed nobiles etiam et equites e suo consortio reiiciebant,

---

(1) Num. XI. — (2) De Viris Illustr. Augiae part. I. cap. VII. — (3) Ioan. II. v. 7. — (4) Loc. cit. et part. II. cap. XX.

nec alios nisi magnatum et principum filios recipiebant (1). Id certe in veneto homine in libera civitate orto reperiri haud facile poterat; nisi forte eius ducis aut filius erat, aut nepos, a quo Ratholdus pecunia numerata S. Marci corpus mercatus est (2).

53. *Vidit senior in somnis, quod postea narravit nobis.* Quis iste *senior?* Graecus, an Venetus? sed hoc leve. Duae illae voces *narravit nobis* synchronum auctorem prodere videntur. Et sane se coaevum vendere vult, ut plautino verbo utar (3), nugipolyloquides hic noster. Nam paullo post subiicit, ea omnia se peracta conspexisse, quae S. Marcus in hac visione futura patefecerat. Verum ipse sua vineta caedit incautus, dum refert, hunc ipsum, cui S. Marcus apparuit, visum sibi fuisse *S. Marci basilicam intrare.* Atqui, ut alibi ex Hermanno monuimus (4), S. Marci basilica nonnisi anno MXLVIII. aedificata est: ac proinde sycophantiam suam aperte prodit scriptor, qui cum, ut hinc patet, saltem post saeculum XI. vixerit, cum eo se locutum fingit, qui saeculi X. initio mortuus est.

54. *Colobio.* De colobio, episcopali indumento, vide Du Cange.

55. *Ego sum Marcus theologus.* Nescio quomodo ex hoc indicio Marcum evangelistam cognoscere potuerit ille, cui Marcus apparuit; cum hoc ille titulo nec a Graecis, nec a Latinis unquam donetur: ita ut absurdum sit omnino, Marcum hoc sibi nomen assumpsisse. Ait Bucelinus (5), Marcum ita se vocasse, eo quod in Evangelio suo περὶ τοῦ θεανθρώπου. h. e. *de Christo Deo et Homine* locutus fuerit; sed satis inepta nominis causa, quae in Evangelistam quemlibet, imo in universos fere Bibliorum scriptores potest convenire. Graeci Ioannem evangelistam et Gregorium nazianzenum, licet aliis de causis, ita appellare solent. Quid mirum si imperitus monachus Marcum fortasse cum Ioanne confuderit?

56. *Non valeo quietem habere, et non solum imploro meam incommoditatem etc.* Apage scriptorem non ineptum modo et stultum, sed impium atque blasphemum. Ego, inquit Marcus, *perfusus lacrymis per totam pectoris partem, et trahens longa ex intimo cordis suspiria*, ego tanti meriti sum apud Deum, ut quietam omnino sepulcri sedem Augiae nancisci debuerim: sed tot ac tanta peccata populi sunt, ut nec in ipso sepulcro requiescere mihi liceat; ita ut plorare cogar, et vicem meam et futuras populi aerumnas deflere. Haec ne beati hominis, et apud Deum perpetua pace atque tranquillitate fruentis vox esse potest? certe qui haec scribat, non in theologicis modo hospes fuerit oportet, sed vel ipsa christianae fidei elementa ignorasse.

57. *Haec omnia postea celeriter peracta vidimus etc.* Haec, quae hic Marcus praedicens inducitur, ad Hungarorum incursiones totamque ab illis vastatam Alemanniam referri putant Bucelinus (6) et Cornelius (7). Et certe Hermannus Contractus refert anno CMXXV. (8), Hungaros Alemannia vastata ad coe-

---

(1) Vide Wolphg. Lazium de Repub. Rom. lib. XII. sect. II. cap. I. Brusch. cent. I. Monast. Germ. pag. 8. Hospin. de Monach. tom. IV. cap. XXVII. in Augia Mai. — (2) Supr. lib. II. cap. VI. num. III. — (3) Pers. Act. IV. scen. VI. v. 21. — (4) Supr. adnot. 38. — (5) Ad num. XII. — (6) In hunc locum. — (7) In adnot. 25. pag. 44. — (8) In Chron. ad ann. CMXXV.

nobium usque S. Galli, augiensi finitimum, pervenisse; S. Viboradam virginem, effractis eius cellae foribus, interfecisse; aliaque multa fanda, infanda patrasse: tum anno insequenti iterum universam Alemanniam depopulatos, in Galliam penetrasse, omniaque ferro flammisque vastasse. Alemanniae vero nomine Germaniae provincias ad meridiem positas accipit Hermannus. Ceterum cave, hinc quicquam in Actorum, quae expendimus, eiusve auctoris favorem deducas; perinde ac si, ex eo quod in nonnullorum factorum tempore statuendo feliciter sese expedierit, illum ea ipsa aetate vixisse liceat suspicari. Nam quid illi pronius et facilius, quam Hermanni, qui augiensis monachus et ipse fuerat, chronicon evolvere, et quae pro lubito fingebat, eius chronologiae accomodare? Id certe magni nec laboris nec ingenii opus quisquam putaverit. Ceterum cum aliunde huius scriptoris et inscitia pateat et fides pessima, vix puto futurum, qui tam levi coniecturae tribuere velit quidquam. Quam tamen ut evertam omnino, hoc unum lectori considerandum propono. Scriptor horum Actorum ait, non modo audiisse se seniorem hunc narrantem quae illi Marcus retulerat, verum etiam *haec omnia postea celeriter peracta vidisse*. Vivebat ille itaque anno DCCCCXXV. quando, ut ex Hermanno ostendimus, Hungari Alemanniam depopulati sunt: nec vivebat modo, sed, ut ex ipsius verbis liquet, monachum etiam agebat in augiensi coenobio, ideoque saltem XVI. annum expleverat. At idem etiam in vivis erat anno MLXXIII., meminit enim basilicae S. Marci (1), quam ex Hermanno saepe diximus (2) nonnisi eo anno erectam fuisse. Collige summam: et intelliges, illum Acta haec scripsisse, cum annum vitae ageret saltem CLXIV. Apage ineptum fabulatorem.

58. *Ut autem venit ad altare S. Ianuarii etc.* Animadverte hominis impudentiam. S. Marco addit et S. Ianuarium, *quem ex documentis et continuata prodigiorum serie scimus Neapoli quiescere* (3). Atqui mihi videntur Augienses, quaecumque corpora prodigiorum gloria et frequenti peregrinorum concursu celeberrima erant, ea apud se esse iactare voluisse: quod quibus de causis fieret, nec quaerere libet, nec vacat modo.

59. *Ille ait: certe hoc in Benevento audiisse:* h. e. audivisse hoc corpus esse in Benevento. Atqui hoc audivisse non potest, cum iam notum sit vel a primis post eius obitum temporibus, Ianuarii corpus Neapoli quiescere. Certe Uranius presbyter idipsum testatur in epistola de obitu S. Paulini episcopi nolani, quam circa annum Christi CDXXXII. conscripsit (4). Quod si haec Constantini verba significant, audivisse se Beneventi hoc quod augiensis monachus dicebat, scilicet S. Ianuarii corpus Augiae requiescere (nam ita etiam exponi possunt), tam putidum mendacium nulla prorsus eget refutatione.

60. *Intrantes autem basilicam S. Marci.* En tibi iterum occurrit basilica S. Marci, quae tamen nonnisi integrum saeculum post Constantinum hunc fuit aedificata. Vide adnotationem praecedentem.

---

(1) Cap. praec. Actorum n. VII. et XI. — (2) Supr. ad not. 38. — (3) Cornel. in notis ad hunc locum. — (4) Edita est in fronte operum S. Paullini. Ven. an. MDCCXXXVI.

61. *Quia sepulcrum eius in Alexandria meis oculis vidi.* Ad hunc locum ita scribit Bucelinus: *Quid ad haec etiam Veneti?* Nempe Veneti rident haec ludibria. Neque enim graecus hic episcopus, si unquam in rerum natura fuit, ita ullo modo loqui potuit: aut si ita, mentitus est turpissime. Nam qui videre Alexandriae Marci sepulcrum, idest corpus, (nam de corpore sermo est) potuit Constantinus extremo saeculo IX. vel X. ineunte, si Bernardo monacho franco anno DCCCLXX. Alexandriam invisenti, Aegyptii nonnisi vacuum loculum ostenderunt, eo quod beatissimi Evangelistae corpus a Venetis ablatum fuisset (1)? An id inficiabantur Aegyptii? At undenam Bernardus, nisi ab Aegyptiis id ipsum accepit? Vide quae de Bernardo non ex fabulosi alicuius anonymi relatione, sed ex ipsius Bernardi verbis, superius tradidimus (2). Nisi forte velimus, Constantinum, antequam Veneti corpus illud surriperent, Alexandriae fuisse; hoc est ante circiter annos XCV. quam Augiam adventaret; ita ut iam et annosus hic graecus episcopus altero illi episcopo veronensi Ratoldo (3), qui ad annum usque CXV. et fortasse CXLII. vitam produxit, iungendus sit. Ceterum, missis iocis, aut turpiter, ut diximus, mentitus est Constantinus, aut, quod multo est credibilius, imo certius, turpissime nugatur Auctor noster, qui ridiculo hoc commento sese adversus Alexandrinos tutum praebere voluit, si quando illi de sanctissimi corporis possessione litem Augiensibus intentarent.

62. *Dominus noster etc.* Praeclara scilicet ratiocinatio! Christus habuit Apostolos XII., discipulos LXXII. interque illos Marcum: ergo Marci corpus hic non est. Homo ne est, qui ita loquitur, an stipes? imo sanus ne est augiensis nugator, an demens, qui ita loquentem inducit?

63. *Festinavit se parare etc.* Vide scriptoris inscitiam. Exhibet hic loci graecum episcopum mane se ad Ecclesiam agentem, ut sacrum Deo offerat; sed ita exhibet, qualem exhibere potuisset gregalem quemlibet latinae Ecclesiae sacerdotem, missam, ut aiunt, privatam celebraturum. Hoc vero quam immane absit a Graecorum moribus apprime intelligit, qui ipsorum ritus et in ecclesiasticis officiis persolvendis diligentiam ac dignitatem cognoverit. Quid quod Graeci ante horam diei tertiam nunquam missas celebrare consueverunt (4), et tamen episcopus hic matutinus se in Ecclesiam confert? Huius rei ne in suspicionem quidem venit Augiensis, privatis Ecclesiae nostrae missis assuetus. At si ille, quemadmodum se superius venditavit (5), coaevus episcopo fuit, profecto hoc ipsum ignorare non potuit.

64. *Totam noctem duxi insomnem: putabam me paratum etc.* Vides ut sibi inepte adversetur graecus iste episcopus: insomnem ducit noctem, et tamen somniat se esse in Ecclesia. Nisi haec forte ex illis visionibus habenda sit, quae a Deo extra somnum mitti solent. Verum cuiusmodi illa sit, paullo infra videbimus.

---

(1) Vide supra lib. II. cap. II. n. III. — (2) Loc. cit. — (3) Vide supr. cap. VI. n. VI. et VII. — (4) Vide Goar in Liturg. S. Ioan. Chrysost. nota 5. — (5) Vide nota 53.

65. *Tres episcopos.* Trium horum episcoporum unus erat Marcus; reliqui duo ἀφώνω προσώπω (1). Neque qui sint, neque qui venerint patet. Fortasse alter erat S. Ianuarius beneventanus, de quo item dubitaverat Graecus, alter Apostolus aliquis, aut Evangelista, Gebehardo alicui suo tempore revelandus.

66. *Marcus in ea, qua fuit, forma.* Vide supra adnotationem 41.

67. Ἐγώ εἰμι Μάρκος θεολόγος. Papae, graece doctum scriptorem habemus! quis tamen sibi persuadeat, Marcum, dum graecum episcopum alloqueretur, priora quidem verba graece proferre, cetera vero latine persequi voluisse? Atqui paucas illas voces graece vertit scriptor; cetera transferre haud valuit. Imo ne priores illas quidem omnino recte: nam dicendum erat ἐγώ εἰμι Μάρκος ὁ θεολόγος, articulo interiecto: ne Marcus id nescire videretur, quod norunt in scholis *puerorum agmina cirratorum*.

68. *Et mea merita apud Deum nihil valere:* Id nec dixerat unquam, nec cogitaverat graecus antistes. Igitur turpiter mentientem S. Marcum inducit noster historicus. At qui Ratoldum simoniacum commiscuntur, sacrilegum, furti et proditionis suasorem, et tamen inter beatos enumerant, nil mirum, illos et S. Evangelistam, iam Deo fruentem, mendacem confingere.

69. *Qui per brachium ferreo erat constrictus circulo.* Haec verba quid sibi velint nescio iuxta cum ignarissimis. Nam si nihil aliud molestum erat iuveni, nisi quod ferreo hoc circulo stringeretur; ad fabrum illi pergendum fuit; non tentandus Deus, ut per prodigia ab illa molestia ipsum exsolveret. Si vero circulum illum infirmitatis causa gestabat, quod Auctor tamen non innuit; quodnam hoc morbi genus, et quae haec medendi forma sit, medicis quaerendum relinquo.

70. *Inaudita infirmitate detentum:* Profecto iuaudita, imo incredibili, quaeque ipsa per se longè maius prodigium habenda sit, quam praestita deinde a S. Marco eiusdem curatio. Nam vivere puerum, imo et circumferri, destitutum omni membrorum usu, corpore universo effeto, quique integros menses XIV. cibum non acceperit, hoc certe est prodigiorum omnium maximum. Verum Auctor noster totus in eo esse videtur, ut nihil confingat, cuius non statim absurditas prorsus appareat.

71. *Eadem quoque hebdomada etc.* Atqui dixi Auctorem nostrum ita aperte ineptire perpetuo velle, ut nemo ambigere possit an ille ineptiat. Venit clericus a nativitate caecus, attractus, cui genua pectori iungebantur, manus ad dorsum retortae erant, neque incedere poterat ullo modo. Quisnam hoc hominis monstrum episcopus inter clericos potuit unquam adscribere? Et tamen universam fere Europam atque Asiam, aliorum certe brachiis subrectus, clericus hic peragraverat. Primum Compostellae oculorum visum obtinuerat: deinde ultra vicies centenis passuum millibus confectis, in Bulgarorum regiones pervenerat, quamvis illa gens inhospitalis ac barbara ea aetate haberetur, ibique alterius manus usum adeptus fuerat. Inde digressus, Hierosolymam venerat,

---

(1) *Personae mutae.* Ductum ex comicis.

ibidemque gressum receperat: denique in Aegyptum perrexerat, ac inde in Europam revertens, peragratis Palaestina, Syria, Asia, Thracia, Pannonia, Germania denique universa, Augiam demum, marcianorum miraculorum theatrum toto orbe celeberrimum, advenit; ubi demum, alapa sibi dum oraret a Marco inflicta, plenam atque perfectam sospitatem est consecutus. Sunt ne haec prodigia, an monstra? Immo prodigiorum monstra: neque enim quo alio nomine appellem scio.

72. *In Alexandria.* Huc quoque refer quae diximus supra adnot. 61.

73. *Dum ad sepulcrum B. Marci voluisset orare.* Nota τὸ ἀναχόλουθον. Clericus hic perfricta fronte negat, Augiae S. Marcum requiescere, et tamen orat ad eius sepulcrum.

74. Quid demum hominis sit *Venerabilis Pater Vir* omnino me fateor ignorare.

75. *Ad intercidendas fruges.* Immo noxias herbas, ut puto. At feminae illae, non magis latine sciebant, quam hic noster.

76. *Festivitas est S. Marci evangelistae,* de qua tamen in augiensibus Kalendariis saeculi X. et XI. ne verbum quidem. Vide supra cap. VI. num. XIV.

77. *Multa et innumerabilia signa etc.* Quae tamen nulli nota, nisi Augiensibus.

78. *Non quod eius miracula apud nos sint rara etc.* At si rara non sunt, cur non protulisti tu aliquod, quod tute ipse conspexeris; omissis tot monstris, quot hucusque attulisti?

79. *Sed ut quisque credat, eum hic requiescere corporaliter.* Parce verbis. Id enim tibi esse propositum, etiam te silente, intelleximus (1). At nisi meliora proferas, non iam his fidem historiae tuae facies, sed adimes: quae cum per se absurda sit, iam absurdis hisce portentis absurdior adhuc evadat necesse est.

---

(1) Supr. in praef. cap. praeced. tum hoc cap. not. 1. 2. 51. etc.

CAPUT IX.

DE INVENTIONE PRIMA CORPORIS S. MARCI SUB VITALE FALEDRO ANNO DOMINI MXCIV.

I. *De intemperanti nonnullorum criticorum cacoethe nonnulla.* II. *Ioannes dux corpus S. Marci in basilica a se condita collocat. Servatur inter flammas illaesum. S. Petrus Urseolus intactum reperit post incendium.* III. *Novum templum extruit S. Petrus. Non tamen corpus S. Marci in ipsum infert.* IV. *Petrus Urseolus Petri filius templum perficit, et in ipsum sacrum corpus inducit. An ab ipso pilae fuerit inclusum?* V. *Templum ab Urseolis erectum Dominicus Contarenus laxat et dilatat. Quaenam marcianae basilicae partes Urseolis, quaenam Contareno tribuendae sint.* VI. *Silvius et Faledrus Contareni successores templum marcianum perficiunt. Ipsorum tempore ciborium etiam erigitur.* VII. *Ostenditur, nec Urseolum nec Particiacum sacrum corpus abdidisse; sed patenti loco collocasse.* VIII. *Aut Dominicus Contarenus, aut Silvius sacrum corpus abscondit. De Silvio coniectura proponitur.* IX. *De apparitione S. Marci. Eam sine prodigio explicare volunt nonnulli, sed perperam. Prodigii illius certitudo ostenditur, et testes afferuntur.* X. *De aetate auctoris homiliae, quae habetur in marciano legendario: illum saeculo XII. floruisse certum est.* XI. *Affertur eiusdem homiliae locus de inventione sanctissimi corporis. Nonnulla de eius loci fide animadversa.* XII. *Adducitur locus anonymi littorensis.* XIII. *Tum testimonium abb. Zenonis.* XIV. *Denique pictura quaedam saeculo XI. vel XII. elaborata.* XV. *Eadem apparitio aliis monumentis ostenditur; adventu praesertim Henrici IV. imp.* XVI. *Quid ex allatis monumentis deducendum sit ostenditur. Carlii suspiciones eversae.* XVII. *Vitalis Faledri fides ac religio a falsis nonnullorum rumoribus liberata.*

I. Augiensium commentis, seu potius deliriis, satis superque, ut arbitror, refutatis, et sanctissimi pignoris possessione Venetae urbi adversus Constantienses asserta; id demum mihi ad finem operis festinanti reliquum est, ut quid de pretiosissimo illo thesauro ad nostra usque tempora actum sit, qua cura semper ac diligentia servatum fuerit, quomodo demum paucis ab hinc annis iterum in lucem prodierit, breviter patefaciam: quae omnia quamvis iis, quae hucusque persecuti sumus, proniora et apertiora videantur, suis tamen nec ipsa carent difficultatibus. Est enim inter ipsos Catholicos difficile nescio quod ac morosum hominum genus, quibus in universa antiquitate nihil prorsus certum atque exploratum videtur, nisi quod coaevorum scriptorum testimoniis synchronisque monumentis firmatum sit, qui prodigia habent suspecta universa, imo ipsum prodigii nomen magnopere reformidant; sequioris vero aetatis mo-

numenta atque historias, eas praesertim, quae de huiusmodi rebus agunt, aut reiiciunt omnino, aut caute saltem et circumspecte recipiendas esse perpetuo vociferantur. Qui si nihil praeter veritatem, qua nihil homini aut carius, aut optabilius esse debet, inquirerent, nihilque magis caverent quam ne incauti in errorem aliquem atque fallaciam abriperentur; summopere profecto laudandi essent atque probandi: sed cum eorum cavillationes et dubia eo ut plurimum spectent, ut aut alienis laboribus detrahant, aut ipsi plus ceteris sapere videantur, qui ea pervidere potuerunt, quae aliorum aciem atque obtutum effugere: tantum abest, ut quidquam huiusmodi hominibus tribuendum putem, ut ipsos potius ab infensissimis ipsis Religionis hostibus vix, aut ne vix quidem, differre existimaverim. Nam quid denique refert, utrum miracula irrideas universa, quod impii solent, an acutis sophismatibus vafrisque inductis quaestiunculis singula infirmes, ac in dubium revoces, quod horum criticorum nonnulli identidem faciunt? Quid refert, utrum ecclesiasticas historias universas explodas atque reiicias, an easdem identidem vellices, carpas, sugilles? nonne utrimque eodem tandem res recidat necesse est? Equidem modestos criticos et frugi, licet nonnunquam severius agere mihi viderentur, damnavi nunquam: at morosos, captiosos

Et qui, *ut putentur sapere, caelum vituperant* (1),

non spernendos modo et contemnendos, sed abominandos etiam execrandosque existimavi. Qui si praeclaram illam Apostoli vocem in mentem revocarent (2), *non plus sapere, quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem*, profecto nec se tam morosos ac difficiles exhiberent, nec inepta illa sapientiae ostentatione christianae religionis hostibus arma, quibus in nos deinde irruerent, suppeditarent. Ceterum non haec ideo a me dicta quis putet, perinde ac si iis, quae deinde dicturus sum, aliquid ab huiusmodi hominibus pertimescam. Stant illa satis firma per se; tum coaevorum scriptorum et monumentorum testimonio roborata, non ea sunt profecto, quae horum hominum aut coniecturis, aut ratiunculis convelli possint. Sed castiganda erat hominum temeritas atque iactantia, praesertim cum illam in hac etiam commentatione identidem experti simus: quae profecto nequaquam in hanc molem excrevisset, nisi saepissime, etiam in re aperta atque perspicua, cum huiusmodi cavillatoribus decertandum fuisset.

II. Sed querelarum satis. Nunc quod primum occurrit de S. Marci inventione, sive ut a nostris dici amat *apparitione* disserendum, quae anno Christi MXCIV. contigit, Vitale Faletro Venetorum rempublicam moderante. Nam cum eo anno, Ecclesia demum perfecta, de corpore S. Marci sub ara maxima ipso dedicationis die collocando ageretur, magnus repente totius civitatis luctus obortus est, eo quod omnes quo loco corpus illud delitesceret, ignorarent, frustraque quaesitum multi iam ablatum fuisse obmurmurarent. Verum Dei ope implorata, cuidam pilae in ipso templo inclusum, non sine prodigio repertum,

(1) Phaedr. lib. IV. fab. VI. — (2) Rom. XII. vers. 3.

ingenti prorsus laetitia universam urbem affecit. Quo autem casu pilae illi fuerit inclusum, operose quaerendum est: id enim ubi innotuerit, facile erit etiam ipsius inventionis historiam tueri atque illustrare. Ipsa tamen rei ipsius notitia, ut plenior atque exploratior haberi possit, re longius, imo ab ipsis exordiis repetenda est. Ea itaque ita se habet. Cum anno DCCCXXIX. sanctum evangelistae Marci corpus Venetias delatum fuisset, Iustinianus dux, qui tunc temporis reipublicae principatum tenebat (1), templum statim extruere coepit, quo sacrum illud pignus honorifice conderetur. Verum morte praeventus, cum opus perficere non potuisset, Ioannes Iustiniani germanus frater, atque in ducatu successor, templum illud explevit, atque regio cultu exornavit: tum sacratissima Evangelistae lipsana eodem illata (2) honorificentissime condidit. Qua vero illa templi parte collocaverit, silent historici. At mihi certum est, Ioannem ea non alibi, quam in ipsa maioris arae mensa, sive abside (3) reposuisse: ita et eorum temporum more et Ecclesiae disciplina ferente, quae nonnisi super martyrum reliquias sacrificium offerri sinebat, ideoque intra altarium mensas, vel sub ipsis in crypta, Sanctorum lipsana recondi statuebat (4). Favet huic coniecturae ipsa marcianae basilicae forma, prout ab Ioanne erecta fuerat: quae cum rotunda esset, ac ad dominici sepulcri similitudinem conformata (5), eiusque tholus XII. columnis in gyrum dispositis inniteretur; ita et sacrum illud pignus et altare situm exhibere debuit, ut idem tholus ipsis immineret, quemadmodum hierosolymitani templi tholus et altari et Christi sepulcro imminebat. Verum ubicumque demum conditum fuerit, falluntur profecto, qui in magna illa pila abditum putant (6), quae maioris tholi fornices sustinet (7), et iuxta altare olim S. Leonardo dicatum, nunc vero sanctissimae Eucharistiae servandae constitutum erigitur, ubi deinde Vitalis Faledri tempore sacer ille thesaurus repertus est. Nam pilae illi structili atque quadratae, quamque eo modo extructam fuisse constat, ut et quadruplici fornici et tribus Ecclesiae concameratis testudinibus sustinendis par esset; qui locus in priori templo esse potuit, cuius ambitum murus in orbem ductus claudebat, testudinem vero columnae XII. et ipsae paribus spatiis orbiculatim dispositae sustinebant? Ubicumque tamen Marci ossa locata fuerint, certum est intra ipsos templi parietes clausa fuisse. Post Ioannem ducem, duces alii XI. spatio annorum CXLVI. circiter rempublicam tenuere, quin unquam sacra illa lipsana loco moverentur. Sed cum in populari illa seditione anni CMLXXVI. in qua Petrus Candianus IV. interfectus est (8), palatium et templum conflagrasset; locus ambigendi relinquitur, utrum, flamma illa undequaque saeviente, Marci corpus, ut ab incendio eriperetur, alias translatum fue-

---

(1) Supr. cap. IV. n. XIX. — (2) Ibid. — (3) Supr. cap. VIII, n. 37. — (4) Vide Ioannem Bona card. de rebus liturg. lib. I. cap. XIX. parag. V. — (5) Supr. cap. V. n. 52. — (6) Petrus Iustin. Stringa, aliiq. apud Meschinell. tom. I. pag. 10. Carli Dis. sul corpo di S. Marco n. XI. pag. 80. Vide Cicog. *Sullo scoprim. del corpo di S. Marco etc.* pag. 22. et not. 54. — (7) Pilam hanc ex quatuor minoribus pilis conflatam vide in tabula IV. Est autem ω G B π. Altare S. Leonardi, sive SS. Sacramenti E. Quatuor autem minores pilae ω, G, B, π inferius disiunctae, superius in unam ingentem pilam coalescunt. — (8) Supr. cap. V. not. 48.

rit. Placuit id Emmanueli Cicogna, saepe mihi deinde cum laude commemorando, qui (1) *Evangelistae corpus ignotae manus ministerio ex incendio non sine prodigio servatum* tradit; verum, quod pace eruditissimi iuvenis dictum volo, longe aliter statuendum esse mihi videtur, nisi fortasse *ignotam illam manum*, Dei manum intelligit, qui corpus illud inter flammas illaesum servaverit; quod tamen *sine prodigio* omnino fieri potuit. Utcumque enim demus templum illud universum *ustum fuisse*, qua voce et auctor Chronici Sagornini (2) et Dandulus (3) utuntur non ita haec vox accipienda est, perinde ac si parietes etiam et columnae, imo et altare et sacrum Evangelistae *μνῆμα* comburerentur, ita ut nullo modo sine prodigio ossa illa ab incendio servari possent. Quod ideo animadverto, ne prodigia, ubi ipsis opus non est, comminiscamur: ea enim aetate vivimus, qua certa ipsa atque indubitata miracula in discrimen vocari plerumque solent. Ceterum mortalium aliquem corpus illud inter flammas loco movisse haud putaverim. In tanta enim totius urbis perturbatione atque motu, inter coniuratorum arma atque pugiones vix crediderim fuisse quemquam, qui de Marci corpore inde educendo cogitaret; praesertim cum locus ipse, ubi iacebat, tutum illud atque immune praestaret. Utcumque tamen se res habuerit, certum est, illaesum omnino perstitisse; siquidem S. Petrus Urseolus, qui proxime Candiano successit, illud magnifico cultu exornare curavit, pretiosissima praesertim illa tabula, sive *Pala*, ut aiunt, Constantinopoli construi iussa, de qua alibi locuti sumus (4); quae auro argentoque splendido ac prorsus regio apparatu decorata (5) altari S. Marci imponenda erat: quod profecto haud leve indicium est, religiosissimum principem sub ara illa, aut saltem in illa Ecclesia pretiosissimum Evangelistae corpus adhuc requiescere existimasse.

III. Ceterum diu haesi anceps, cum quid de priori illo templo actum fuerit, haud mihi satis constaret. Putant siquidem recentiores paene omnes (6), quidquid ex templo illo post incendium supererat, Urseolum a fundamentis demolitum fuisse; tum alterius basilicae longe maioris fundamenta iecisse, quae illa ipsa sit, quam posteriorum ducum magnificentia perfectam atque exornatam nunc quoque conspicimus, quaeque haud iniuria inter praeclarissima Europae totius aedificia ab eruditis haberi solet. Placet aliis ex adverso (7), Urseolum veteris aedificii partes nonnullas, quibus flamma pepercerat, servasse integras; atque ita templi sui formam illis aptasse, ut iisdem in nova quoque molitione locus esset: interque ipsas fuisse eam *pilam* existimant (8), qua de superius locuti sumus. Verum posteriorem hanc sententiam stare nullo modo posse iam diximus: priorem vero, licet Chronici Sagornini et Andreae Danduli auctoritate munitam, nutare diu existimavi, utpote quam alibi ipse Dandulus et Auctor

---

(1) Diss. cit. pag. 23..... *Il corpo dell' Evangelista, che per mano ignota erasi miracolosamente dal fuoco salvato.* — (2) Pag. 69. — (3) Lib. VIII. cap. XIV. part. XXXIV. — (4) Supr. cap. II. n. 7. — (5) Sagorn. pag. 75. Dand. lib. VIII. cap. XV. part. III. — (6) Cicog. diss. cit. pag. 23. Carli loc. cit. paragr. VIII. pag. 58. Meschinell. loc. cit. etc. — (7) String. apud Meschinell. loc. cit. — (8) Num. praec.

historiae translationis corporis sancti Nicolai, qui initio saeculi XII. floruit (1), subvertere viderentur. Siquidem Ecclesiam, quam modo habemus, a Dominico Contareno, qui anno Domini MXLIII. Venetorum principatum adeptus est, aedificatam fuisse innuunt: quod si admittamus, iam non hanc Urseolus condidit, sed priorem illam incendio ex parte consumptam atque deformatam sarsit, atque in pristinam formam et splendorem restituit. Verum cum de hac re diu multumque cogitassem, universis horum historicorum locis invicem commissis ac diligenter collatis, id demum animadverti, eius quae nunc visitur Ecclesiae fundamenta iecisse Petrum Urseolum, successores molitionem a sanctissimo Duce inceptam continuasse, Dominicum Contarenum opus iam provectum in eam formam, qua nunc cernitur, redegisse; perfecisse demum Dominicum Silvium, vel, ut Veneti vocant, Selvum, quo regnante et marmoreae tabulae parietibus induci coepere, et tessellato opere pavimentum ornari, et musivis lacunaria, fornices et tholus obduci. Id vero ut ostendam, satis erit ipsa historicorum verba producere, ex quibus maxima iis quae de S. Marci apparitione deinde dicemus oritura est lux. De Urseolo quidem ita Chronicon Sagorninum (2): *Deinde sacramentorum fide ab omnibus confirmatus*, id est iuramento fidelitatis accepto, *in propria domo degere voluit, ut interim S. Marci Ecclesiam et palatium recreare posset:* tum interiectis nonnullis (3): *Combustum vero palatium et S. Marci Ecclesiam honorifice propriis sumptibus redintegrare studuit.* Nec aliter Dandulus (4): *Deinde*, ait, *sacramentorum fide ab omnibus confirmatus, in propria domo degere voluit circa curtis rivulum, ut interim S. Marci Ecclesiam et palatium recreare posset.* Ac paullo post (5): *Combustum vero palatium et S. Marci ducalem capellam de suo proprio ad hoc conferens, redintegrare studuit; et ipsius Evangelistae pretiosum corpus in eadem Ecclesia paucis consciis secrete deposuit.* Quae postrema verba de suo addidit Dandulus, cum cetera fere omnia ad verbum ex Sagornino exscripsisset. Sabellicum, Sanutum, Iustinianum, licet idipsum asserant, nil moror. Nimis enim recentes antiquae rei veniunt auctores. Porro ex adductis testimoniis illud demum elicitur, S. Petrum Urseolum novam aedificationem molitum fuisse, quo S. Marci corpus laxius, atque splendidius collocaretur; pecuniam etiam ingentem in hoc opus contulisse, ac ipso adhuc regnante aedificium extrui coepisse. At cum eiusdem sanctissimi principis ducatus, Sagornino (6) et Dandulo (7) testibus, vix ultra biennium extendi possit, non ita mihi facile persuaserim, opus illud ita provehi potuisse, ut eodem pretiosissimum illud pignus inferri, quod habet Dandulus, posset. Si enim tempus demas quod publicae rei, Candiani morte et tumultu populari perturbatae, componendae tribuendum fuit, tum quod, dum consulitur de re ipsa, dum novi templi species et forma statuitur, dum quaeruntur artifices, dum operi manus admovetur, insumi debuit; quantulum illud fuit ex toto brevissimi illius ducatus tempore, quod aedificio illi erigendo relictum est? Exiguum certe quodque vix terrae egeren-

(1) Extant apud Cornelium. Decade XII. num. 1. — (2) Pag. 71. — (3) Ibid. — (4) Lib. VIII. cap. XV. part. I. — (5) Ibid. part. III. — (6) Pag. 75. — (7) Lib. VIII. cap. XV. part. XI.

dae, ac iaciendis fundamentis sufficeret. Quis itaque mihi unquam persuaserit, Urseolum vel templum ipsum perfecisse, vel etiam ingentis illius pilae molem erexisse, cui inclusum Marci corpus deinde repertum est, cum vix eiusdem fundamenta tam exiguo temporis spatio poni potuerint? quamque etsi daremus aliqua ex parte erectam pilam fuisse, cum aperto caelo staret, nulla ex parte munita, ventis, solibus, pluviisque exposita, non ea profecto esse poterat, cui S. Evangelistae corpus servandum concrederetur. Itaque quod Dandulus de eodem corpore ab Urseolo in basilicam a se aedificatam inlato Sagornini chronico adiecit, id stare per se potest nullo modo: multoque minus, quod nonnullis placuisse video (1), idem corpus pila illa immani a beatissimo duce, quasi tutissimo quodam ac munitissimo loco, inclusum fuisse. Nec suspiceris Ecclesiam, cuius fundamenta ab Urseolo iacta sunt, aliam ab ea, quam nunc habemus, fuisse. Nam unam eandemque fuisse paulo infra (2) ostendemus. Ubinam itaque, dum Ecclesia illa conderetur, sacrum corpus servabatur? Si me nescire id dicam, reprehendet nemo. Puto tamen tuto aliquo loco servatum; fortasse etiam in priori illo templo, quod tunc tantum funditus eversum fuisse probabile est, cum nova molitio eo est perducta, ut tantus illi thesaurus tuto committi posse videretur.

IV. Secuta est, post biennium ab Candiano interfecto, Urseoli ducis in Galliam fuga (3); cum ille caelestium rerum amore captus, abiecto principatu, inter S. Benedicti discipulos adscribi voluit; Urseolique successionem perbrevis Vitalis Candiani (4) et diuturnior Tribuni Memmii, sive Memi (5), principatus excepit. Ille enim annum et menses duos, hic vero annos integros XIII. menses V. ducatum tenuit. Hisce principibus rempublicam moderantibus, basilicae nostrae molem aliquantisper crevisse non dubito; lente tamen, cum Urseolorum opes non iam operi urgendo suppeterent. Verum, mortuo Tribuno, suffectus est anno DCCCCXCI. Petrus Urseolus II. Petri ducis f. (6), cui pater ipse pientissimus Venetorum ducatum multo ante praedixerat (7). Vir prorsus incomparabilis (8), ac sin minus morum sanctitate patri suo omnino comparandus, optimis tamen ac fortissimis ducibus accensendus. Is itaque *coepti palatii opus*, inquit auctor Chronici Sagornini (9), *ad unguem perduxit: ubi, inter cetera decoritatis opera, daedalico instrumento capellam construere fecit, quam non modo marmoreo, verum aureo mirifice compsit ornatu*. Animadverte, auctorem Chronici ea ipsa aetate vixisse; imo Zanettium eruditissimum Chronici eiusdem editorem haud perperam suspicari (10), eius scriptorem illum ipsum esse Ioannem, quo Petrus Urseolus II. non ministro tantum et consiliario, verum amico etiam utebatur. Audi nunc Dandulum (11): *Petrus quoque dux . . . . . palatium ducale cum capella complevit, etc.* En tibi itaque Petrum Urseolum II. inceptum a patre

(1) Cicogn. loc. cit. Meschinell. etc. — (2) Infr. n. V. — (3) Sagornin. pag. 73. 74. — (4) Ibid. pag. 75. 76. — (5) Ibid. pag. 76. 84. — (6) Ibid. pag. 84. — (7) Vide S. Petrum Damiani in vita S. Romualdi. — (8) Chron. Sagorn. loc. cit. Dandul. lib. IX. cap. XVI. — (9) Pag. 116. — (10) Ibid. in adnotat. ad pag. 104. — (11) Loc. cit. pag. LII.

opus, atque aut intermissum sub Candiano et Memmio, aut lente saltem provectum haud degeneri liberalitate complentem, illudque et marmoribus et auro magnificentissime exornantem. Hic mihi liceat parumper consistere, et nonnulla animadvertere. Auctor Chronici Sagornini haec sub exitu vitae Petri Urseoli collocat, hoc est circa annum Christi MIX. quo anno Petrus vita functus est. Nec iam putaverim hoc ipso anno universum opus extructum; (qui enim unius anni spatium tantae moli aedificandae sufficere potuisset?) sed tantum, ut habet idem chronologus, *ad unguem perductum fuisse*. Non modo vero completum ait, sed *marmore* etiam *et auro* ornatum, et *daedalico instrumento constructum*, hoc est mirabili artificio aedificatum; nec est cur synchrono scriptori, licet urseolae domui addicto, in hac re, quae publica erat ac omnium oculis exposita, fidem denegemus. Erat itaque aedificium illud solidum, constans, imo splendidum etiam atque magnificum, ac proinde huiusmodi ut plura saecula stare posset. Hoc primum; quod quo pertineat infra videbimus (1). Alterum est: in eo aedificio pilae illi, quam superius memoravimus, locum certe fuisse; imo omnium primam extrui debuisse, utpote cui universa maiorum fornicum moles, et testudinati tecti fastigium totum incumbat (2). Tertium: quaecumque demum sub Urseolo templi moles esset (neque enim, ut dicemus (3), tam late porrigebatur ac nunc patet), attamen pilam illam templi ambitu includi debuisse, ac proinde tutum ac securum sanctissimo corpori locum praebere potuisse. Hisce positis, suspicio haud levis oriri potest, Petrum Urseolum secundum fuisse, qui sacrum illum thesaurum ibidem includeret, dum altare, aut munitior ipsi asservando locus pararetur. Certe haec melior coniectura, quam quae aut Ioanni Particiaco, aut Petro Urseolo I. id factum tribuit, quorum aetate nondum pila ipsa condita fuerat. Cum autem dux tunc temporis legitimi principis modo nullique subiectus remp. administraret, nemo mirabitur id Urseolum per se facere potuisse, quin ulli consilium suum patefecerit, locumque aperiret, ubi sacrum pignus condiderat: tum ipso e vivis sublato, anno ut diximus MIX., quin secretum ulli communicaret, nullam apud posteros eius rei notitiam superfuisse; ita ut cum anno demum MXCIV. de Ecclesia ipsa consecranda, ac thesauro illo sub altari condendo actum est, nemo ubinam ille lateret indicare posset, sed ad Deum ipsum gemitu, ieiunio, supplicatione indicta fuerit confugiendum.

V. Nec tamen, si quis haec non sub Urseolo tantum secundo, sed post illum etiam contingere potuisse contendat, huic succenseam: ac dum mihi neminem ex Urseoli praedecessoribus proferat; de eius successoribus non magnopere repugnabo, imo me suffragatorem etiam habebit; praesertim cum post Petrum II. Otto Urseolus eiusdem filius ducatum acceperit, quem paterni secreti inscium fuisse non facile putare possum. Ottonis ducatum Barbolanus et Flabanicus excepere (4), tum anno MXLIII. Dominicus Contarenus, qui XXVIII. integros annos Venetis praefecit, quem secutus est anno MLXXI. Dominicus Selvus, sive

(1) Infr. num. V. — (2) Vide tab. IV. — (3) Infr. num. V. — (4) De hoc et seqq. vide Dandul. lib. IX. cap. III. et seqq.

Silvius, qui ad annum MLXXXIV. vitam produxit. Quid si in horum alterutrum amissi corporis causam coniiciam? profecto, nisi omnia me ludunt, nemini absurdus videri potero. Nam ad Contarenum quod attinet, haec lego in historia translationis S. Nicolai (1) ab anonymo monacho littorensi conscripta, quem auctorem initio saeculi XII. vixisse Cornelius ostendit (2), et satis historiam illam legentibus per se constat: quique eorum, quae refert de Contareno, adhuc iunior oculatus testis esse potuit: *Regnante*, inquit, *Vitale Faletro* (qui anno Christi MLXXXIV. ducatum adeptus ad annum MXCVI. retinuit) *Veneticorum duce egregio, consummata est Venetiae Ecclesia evangelistae Marci, a Dominico Contareno duce nobilissimo fundata simili constructione artificiosa illi Ecclesiae, quae in honorem XII. Apostolorum Constantinopoli est constructa* etc. Nihil modo quaeram de Faledro, de quo paullo post: nunc quae de Contareno animadverto, breviter habe. Ait historicus, illum Ecclesiam fundasse, quae constantinopolitanae XII. Apostolorum Ecclesiae similis esset. Atqui haec illa ipsa Ecclesia est, quam nunc habemus. Nam si apud Procopium (3) descriptionem illius Ecclesiae a Iustiniano erectae, quaeque ad saeculum usque XV. stetit, quando a Mahumete II. (4) funditus eversa est, si, inquam, descriptionem illam legas, non ita aut ovum ovo, aut lac lacti simile reperias, ac constantinopolitanam illam venetae nostrae. Puto gratum me lectori facturum, praesertim veneto, si integrum Procopii locum, licet longiusculum producam (5). *Interim* Iustinianus *incredibili erga Apostolos universos pietate flagrans, hoc fecit. Erat quaedam ab antiquo Byzantii Ecclesia cunctis Apostolis dicata, ita temporis diuturnitate collabefacta, ut diutius stare non posse videretur. Hanc Iustinianus imp. funditus demolitus, non instaurare solum voluit, sed multo maiorem condere atque pulcriorem. Id vero ita perfecit. Rectae lineae sive alae, aut naves duae se invicem in crucis formam intersecantes in medio ductae sunt. Una quidem ab oriente in oc-*

---

(1) Apud Ughell. Patriarch. Ven. num. XX. et apud Cornel. Eccl. Ven. dec. XII. n. 1. pag. 32. — (2) Loc. cit. pag. 5. etc. — (3) De Aedific. Iust. lib. I. cap. IV. — (4) Vide Du Fresne Constantinopolim Christianam lib. IV. cap. V. num. 1. — (5) Procop. loc. cit. Μετὰ δὲ καὶ τοὺς Ἀποστόλους ἅπαντας ὑπερφυῶς σέβων, ἐποίει τοιάδε. Ἦν τις ἐν βυζαντίῳ ἐκ παλαιοῦ τοῖς Ἀποστόλοις νεὼς ἅπασι· μήκει δὲ χρόνου κατασεισθεὶς ἤδη, καὶ πρὸς τὸ μηκέτι ἑστήξειν γεγονὼς ὕποπτος. Τοῦτον περιελὼν Ἰουστινιανὸς βασιλεὺς ὅλον, οὐχ ὅσον ἀνανεώσασθαι διὰ σπουδῆς ἔσχεν, ἀλλὰ καὶ μεγέθους, καὶ κάλλους περὶ ἀξιώτερον καταστήσασθαι· ἐπετέλεσε δὲ τὸ σπούδασμα τρόπῳ τοιῷδε. Εὐθεῖαι συνημμέναι κατὰ μέσον ἀλλήλαιν ἐπὶ σταυροῦ σχήματος πεποίηνται δύο· ἡ μὲν ὀρθὴ πρὸς ἀνισχοντά τε καὶ δύοντα τὸν ἥλιον οὖσα· ἐγκαρσία δὲ ἡ ἑτέρα πρός τε ἄρκτον τετραμμένη καὶ ἄνεμον νότον. Τοίχοις μὲν ἐκ περιφεροῦς ἀποπεφραγμέναι τὰ ἔξωθεν· ἐντὸς δὲ περιβαλλόμενα κίοσιν ἄνω τε καὶ κάτω ἑστῶσι. Κατὰ δὲ ταῖν δυοῖν εὐθείαιν τὸ ζεῦγμα εἴη δ' ἂν κατὰ μέσον αὐταῖν μάλιστα, τοῖς οὐκ ὀργιάζουσιν ἄβατος τετέλεσται· χῶρος, ὃν περ ἱερατεῖον, ὡς τὸ εἰκός, ὀνομάζουσιν. Καὶ αὐτοῦ αἱ μὲν ἐφ' ἑκάτερα πλευραὶ τῆς ἐν τῷ ἐγκαρσίῳ κειμένης εὐθείας ἴσαι ἀλλήλαις τυγχάνουσιν οὖσαι· τῆς μέν τοι ὀρθῆς, ἡ πρὸς δύοντα ἥλιον ἐς τόσον τῆς ἑτέρας πεποίηται μείζων, ὅσον ἀπεργάσασθαι τὸ τοῦ σταυροῦ σχῆμα. Τῆς δὲ ὀροφῆς τὰ μὲν τοῦ ἱερατείου καλουμένου καθύπερθεν, τῷ τῆς Σοφίας ἱερῷ κατά γε τὰ μέσα ἐμφερῆ εἴρασται· πλήν γε δὲ ὅτι ταῦτα ἐκείνων ἐλασσοῦσθαι μεγέθει συμβαίνει. Αἵ τε γὰρ ἀψίδες τέσσαρες οὖσαι κατὰ τὸν αὐτὸν ἐώρην ταί τε, καὶ συνδέονται ἀλλήλαις τρόπον· καὶ τὸ κυκλοτερὲς ὑπέρανεστηκὸς κατὰ τὰς θυρίδας διήρηται· τό τε σφαιροειδὲς κυρτούμενον ὕπερθεν μετεωρίζεσθαί που δοκεῖ καὶ οὐκ ἐπὶ στερρᾶς τῆς οἰκοδομίας ἑστᾶναι καί περ ἀσφαλείας εὖ ἔχον. Τὸ μὲν οὖν τῆς ὀροφῆς μέσον τῇδε πεποίηται· κατὰ δὲ τὰς πλευρὰς τέσσαρας οὖσας, ἤ πέρ μοι εἴρηται, κατὰ ταῦτα τῷ μέσῳ τὸ μέγεθος εἴργασται, τούτου δὴ μόνον ἐνδέοντος, ὅτι δὴ τοῦ σφαιρικοῦ ἔνερθεν οὐ διήρηται ἡ οἰκοδομία θυρίσιν.

cidentem solem directa, transversa altera et a meridie in septentrionem decurrens. Alae vero ipsae muris extima templi parte conclusae sunt: intus autem columnis infra supraque dispositis clauduntur. Ac ubi ala una aliam intersecat, locus est iis, qui sacris non operantur, maxime impervius, quem sanctuarium recte appellant. Ac alae quidem, quae hinc inde ex intersectionis loco decurrunt, aequales inter se sunt: quae tamen in occidentem solem vergit, tantum ceteris longius producta est, quantum necesse fuit, ut crucis figuram repraesentaret. Tecti vero pars illa quae sanctuario imminet, similis prorsus fastigio, quod medium Sophiae templum contigit, constructa est, magnitudine excepta, qua illi cedit. Nam arcus quatuor eodem modo erecti invicemque connexi aedificium in orbem ductum fenestratumque suffulciunt, cui testudo sphaerica incumbit, quam in aere pendere credas, nec solidae fabricae inniti, quamvis firmitatis plurimum habeat. Ac medium quidem tectum tali pacto constructum est. In lateribus vero quatuor, de quibus dixi, haec quoque medium tholum aequant magnitudine ac forma, hoc uno excepto, quod sub testudine nullae patent fenestrae. Haec Procopius, qui formam eius Ecclesiae adeo Iustiniano placuisse tradit (1), ut alteram illi aequalem planeque similem Ioanni evangelistae Ephesi extruendam curaverit: quam nunc quoque extare ex geographorum (2) relationibus coniicio; licet a Turcis in meschitam redacta Christianis universis impervia sit. Ceterum aperte cernis, hanc Procopii descriptionem marcianae nostrae basilicae in omnibus convenire, nec in re alia nostram ab illa differre, nisi quod testudines universae fenestratae apud nos sunt, in constantinopolitana medius tholus tantummodo; tum etiam quod sanctuarium in marciana non sub medio, sed sub orientali fastigio erectum est. Verum illud maioris lucis accipiendae gratia factum; hoc vero latini ritus consuetudo ac ordo postularunt. Ceterum cum basilicae XII. Apostolorum orthographia bis in figuris Menologii Basilii (3) exhibeatur, quantum illa cum Ecclesia nostra S. Marci conveniat unusquisque videre potest. Est igitur, quam nunc habemus, Ecclesia illamet ipsa, quam Dominicus Contarenus aedificavit. At putandum ne est, hanc ille ut extrueret, alteram ab Petro II. Urseolo conditam, ac marmoribus splendidoque apparatu exornatam (4) funditus subvertisse? Id vero mihi nunquam persuaserim. Ecquis enim existimet, Ecclesiam illam circa annum Christi MIX. tam magnifice extructam, anno eiusdem saeculi XLIV., vel paullo post, eversam fuisse, ut vix annis XXXV. steterit, ex quo condita fuerit? et tamen hoc innuere videtur anonymus littorensis synchronus, aut paene synchronus, a nobis supra relatus. Quid itaque? nodum hunc exsolvit Dandulus in decreto, sive edicto *de capellanis S. Marci*, quod eius chronico in editione mediolanensi (5) praemittitur; ubi haec habet in rem nostram: *Constat*, inquit, *corpore venerabili memorato* (S. Marci) *de transmarinis partibus delato Venetias, inclytae recordationis Iustinianum praedecessorem nostrum in fundo ducali, iuxta palatium, Ecclesiam*

---

(1) De Aedific. lib. V. cap. I. — (2) Vide Martinière Voc. *Éphèse*. — (3) Ad diem XVIII. Octob. et ad XXVII. Ianuarii. — (4) Supr. n. IV. — (5) Script. Rer. Ital. tom. XII. pag. 9. Extat etiam apud Cornelium Dec. XIII. part. I. pag. 286.

ordinasse praedictam, in qua per successorem eius Ioannem et fratrem diligentia multa constructa (1), *eodem corpore reverentius collocato, nonnulli sunt cum singulis portionibus dispositi capellani. Et subsequenter per Petrum Ursiolo, qui Ecclesiam ipsam, in occasu Petri Candiano ducis exustam incendio, renovavit. Quam Dominicus Contareno postea in forma, qua nunc cernitur, restauravit.* Haec Dandulus, quae iis, quae de Ecclesia illa tradidimus, apprime conveniunt. Ecclesiam S. Marci primus condidit Ioannes Particiacus: combustam sub Candiano restituit Petrus I. Urseolus, non ipse per se, neque enim id biennio potuit, sed per Petrum filium, qui eandem complevit: eam denique post annos ferme XL. *restauravit in hanc formam*, idest non iam collabentem et fatiscentem sarsit Dominicus Contareno; sed angustam nimis laxavit, ampliavit, et in *hanc formam*, qua constantinopolitanum sanctorum Apostolorum templum refert, redegit: quod cum nonnisi immensa substructione fieri potuerit, recte illam a Contareno *constructam* dicere potuit Anonymus littorensis. Vide quam sibi omnia conveniant. Illud porro repertu difficilius, quae pars ab Urseolo condita fuerit, quid additum a Contareno, ut Ecclesiam, quae aliam speciem exhibebat, in hanc formam, quae constantinopolitanam Apostolorum basilicam exhibet, tanta felicitate transformaret, ut unum idemque, et ab eodem artifice profectum opus, ac illud quidem elegantissimum, ac per omnia sibi respondens vel harum rerum peritissimis appareret. Attamen si quid mihi in architectonicis videre videor, quibus dum per otium licuit haud exiguam operam dedi, putarem, Urseolum mediam testudinem, subiectosque testitudini fornices quatuor, totidemque pilas, quibus incumbunt, erexisse: tum tholum alterum minorem ad orientem situm, qui maiori arae imminet, conchamque, subiectamque conchae exedram, quo sacerdotes ex veteri disciplina sederent, denique conchas minores duas, quae Graecorum more prothesin et diaconium exhiberent; quarum altera ad dextram sita, qua nunc in sacrarium itur, obscura est: altera, quae sancti Clementis altari imminet, adhuc obscurior; quae tamen non ita fortasse tenebricosae videbantur, antequam ingenti illa regii palatii mole ab omni parte obruerentur (2). Ceterum si quis hanc prioris templi formam descriptionemque mente concipiat, perfecti aedificii atque magnifici adhuc speciem deprehendet, utpote quod ultra CXXV. pedes a concha ad portas; ultra LXXXIII. in transversum pateret: quae sane haud exigua aedificii area dicenda est. Cum autem haec ipsa Ecclesiae forma constantinopolitano S. Sophiae templo (3) maxime accedat, inde ortam putarem Venetorum traditionem, qui marcianam basilicam iuxta sophiani templi exemplar conditam dixere: quae opinio apud imperitos adhuc perdurat, licet illam Contarenus in aliam omnino formam commutaverit. Siquidem ille disie-

---

(1) Ita Cornelius legit: perperam edit. Mediol. *In quo per successorem eius Ioannem, et fratrum diligentia, multa sunt constructa, et eodem corpore reverentius ibi collocato etc.* — (2) Vide tabul. IV. AAAA. Ecclesiam exhibet ab Urseolis erectam: T. Testudinem mediam: H. Tholum minorem. V. Concham maiorem cum exedra. Y. Concham, qua in sacrarium iter. X. Concham super Altare S. Clementis. — (3) Descriptionem constantinopolitani templi S. Sophiae, nunc a Turcis in meschitam redacti, vide apud Banduri comm. in Antiq. Constantinopolit. lib. IV. pag. 744. edit. Paris.

ctis parietibus, qui tribus ex partibus inferiorem Ecclesiam claudebant, ac sub triplici fornice, aquilonari scilicet, occidentali et meridiano usque ad fornicum ipsorum fastigium attollebantur (1), laxataque patefactis arcubus Ecclesiae area, triplicem alam, sive navem addidit, quam triplici etiam testitudine mirabili artificio contexit (2); ita ut quae prius in basilicae forma constructa erat Ecclesia (3), ea porro in crucis similitudinem immissis alis extenderetur. Ac testudinum quidem a Contareno erectarum altera est, quae arae beatae Virginis imminet (4), altera quae altari Corporis Christi (5), tertia denique, quam maiores templi fores ingressus priorem subis (6): quarum prior in septentrionem, secunda in meridiem, postrema denique vergit in occidentem. Haec vero ita se habere statim intelliget, qui oculos non omnino ineruditos afferens, animadvertet, haec additamenta, licet miro modo cum ceteris templi partibus connectantur, nescio quid tamen exhibere quod a reliquo opere discrepet: angustiores, exempli causa, fornices columnisque suffultos, fenestras alio ordine efformatas atque dispositas, aliaque id genus, quae fortasse, Deo dante, peculiari a nobis dissertatione plenius et luculentius exponenda erunt. Interim architectonicae disciplinae haud ignaris haec esse poterunt satis, qui profecto ubi templum illud sane mirandum diligentius adspexerint, aut saltem exhibitam a nobis eiusdem templi ichnographiam, intelligent, nullam fortasse meliorem rationem posse inveniri, quo difficillima haec, sibique in speciem repugnantia, Sagornini, Danduli et Anonymi littorensis loca invicem concilientur.

VI. Magnum itaque opus aggressus Contarenus feliciter provexit, tum domestici patrimonii opulentia, tum constanti diuturni ducatus felicitate. Nam annos fere octo, ut diximus, supra XX. regnasse tradunt (7). Nec tamen templum immensi operis ad umbilicum perduxit. Cum enim illi anno Christi MLXXI. Dominicus Silvius, sive Selvus successor datus fuisset, refert Dandulus (8): *Populum*, qui *hunc ducem in S. Nicolai templo unanimiter acclamaverat, ipsum cum hymnis et laudibus in S. Marci Ecclesia* (sic) *nondum completa duxisse; qui investitionem cum vexillo suscepit, ad quam perficiendam crebro operam dedit.* Pari modo Anonymus littorensis (9) refert: *Regnante Vitale Faletro, Veneticorum duce egregio, consummatam fuisse Ecclesiam evangelistae Marci.* Quibus verbis innuit, Silvium quoque, licet ipsi *perficiendae crebro operam dederit*, opus tamen minime exsolvisse, consummandumque reliquisse Faledro successori suo. Ceterum cum ex antiqua inscriptione, ab eius basilicae illustratoribus saepe relata (10), quae tamen nostra aetate nullibi apparet, quamque ita legere erat:

ANNO MILLENO TRANSACTO BISQVE TRICENO
DESVPER VNDECIMO FVIT... FACTA... PRIMO

---

(1) Disiecti a Contareno muri signantur in tab. IV. littera I.— (2) Triplex testudo signatur. O.P.N. — (3) De Basilicarum forma vide Vitruv. lib. V. cap. I. Pallad. lib. III. cap. XIX. — (4) Litt. O. tab. IV. — (5) Litt. N. ibid. — (6) Litt. P. ibid. — (7) Dand. lib. IX. cap. VII. part. XXII. — (8) Ibid. cap. VIII. part. I. — (9) Loc. cit. — (10) Meschinelli tom. I. pag. 13.

cum, inquam, ex hac inscriptione in atrio posita (1) constet Ecclesiam anno illo, qui Contareni postremus fuit, completam fuisse (neque enim nisi expleta Ecclesia vestibulum erigi potuit); fatendum est, Silvio et Faledro non tam de ipso aedificio construendo, quam de eodem exornando decorandoque fuisse laborandum. Hinc haud mihi improbanda videtur eorundem scriptorum traditio, qui aiunt, fuisse Silvium, qui omnium primus marmoreis tabulis parietes contegendos, ac supremam parietum partem, tum fornices ac testudines vermiculato emblemate exornandas susceperit; quod postremum veteris nescio cuius chronologi fide confirmat Galliciolus (2). Quin imo haud dubito, eodem tempore (nempe Contareno, aut Silvio regnante) ditissimum illud ciborium erectum fuisse, quod maiori arae imminet, quodque ex quadruplici fornice viridi marmore donyseo elaboratum, ac alabastrinis columnis quatuor historiatis suffultum, inter admiranda eius aetatis opera habendum est (3). Ita vero ut existimem, multa suadent. Sigilla, sive exiguae statuae, quae eius saeculi ingenium apprime sapiunt (4): litterae sigillis subscriptae saeculi XI. characteres omnino exhibentes: ipsarum columnarum capitula elegantissime exculpta, et ad corinthii ordinis formam apprime accedentia, quaeque prodigii loco in tanta eorum temporum barbarie habenda sunt, sed quae tamen eam aetatem prodant, quandoquidem eodem opere maiorum etiam columnarum capitula, quae pergulas Ecclesiae sustinent, exculpta sunt, quae tamen certissimum est eo ipso tempore fuisse elaborata: denique anaglypha ornamenta extimum fornicis labrum ambientia, quae saeculi eiusdem ingenio omnino respondent. At quod maxime ostendit ciborium illud eo ipso saeculo, imo circa Silvii ducis, aut Faledri tempora erectum fuisse, illud est, quod cum S. Evangelistae corpori honorifice contegendo fuerit elaboratum, corpus vero nonnisi anno MXCIV. sub ipso locatum fuerit, non multo ante aedificatum fuisse potest existimari. Nam quod posterius erectum non fuerit, ipsa eius structura ac forma, tum capitulorum opificium, ut diximus, aperte docet.

VII. Verum quorsum haec tam longa de marcianae basilicae constructione disputatio? Nempe, ut quae deinde de sanctissimi corporis amissione ac inventione dicenda sunt, apertius elucescant; quae vix, aut ne vix quidem, nisi his praemissis intelligi possent: tum etiam ut templi toto orbe celebratissimi a multis pertractata, nec satis adhuc explicata descriptio, luce aliqua perfunderetur. Verum hoc postremum, ut dixi, alias fortasse plenius et luculentius. Nunc ut ad alterum illud redeam, quod est prae manibus, sic statuo. Fuisse tempus aliquando, cum Veneti, quo loco S. Marci corpus conditum fuisset, nescirent, certum est atque exploratum: idem corpus deinde non sine prodigio repente discissis marmoribus ex pila quadam extitisse, ex iis quae infra dicemus certissimum: a quibus, quave de causa ibidem reconditum fuerit, hoc illud est, quod in controversia versatur. Ac a Petro Urseolo I. id factum fuisse, aut quod adhuc absurdius a

---

(1) Cornel. dec. XIII. part. I. pag. 90. Bolland. App. ad diem XXV. April. — (2) Mem. Venet. lib. I. num. 306. — (3) Vide Tab. IV. iiii. — (4) Nonnullas ex illis statuis exhibuit Leopoldus Cicognara in hist. sculpturae tom. I.

Ioanne Particiaco, id nullo modo fieri potuisse demonstravimus (1); quicquid Andreae Dandulo visum fuerit (2), historico certe gravissimo, verum in hac re humani aliquid passo. Nam quis putet, Venetos per tria fere integra saecula quo loco S. Marci corpus quiesceret ignorare se passos fuisse? Atqui a Ioanne Particiaco ad Faledrum CCLXV. anni interfluxere. Quo tempore cum maxima advenarum et peregrinorum multitudo sanctissimum illud corpus veneratura Venetias adventaret (3), ac, ut assolet, quo loco illud quiesceret antè omnia sciscitaretur; quis credat, Venetos nihil praeterea quaerentibus respondere potuisse, nisi esse illud quidem intra templi parietes; at quo loco quave parte quisceret scire neminem? nonne satis hoc fuisset, ut universa illa peregrinorum frequentia penitus dilaberetur, Venetosque de fraude ac de mendacio suspectos prorsus haberet? Qui vero poterant duces (neque enim adhuc decretum fuerat ut procurator et primicerius in secreti illius partem admitterentur, quod tantum post inventionem corporis obtinuit) qui, inquam, poterant duces de hac re successores suos admonere, qui quos sibi successores populus daturus esset, omnino ignorarent? Quid tu igitur, dicet fortasse quispiam, quid tu interim de corpore illo actum fuisse censes? Ego vero celebri et illustri loco conditum puto, omnibusque, qui illud veneraturi adventabant, exposito: tuto illo tamen atque munito, ut omnibus sacrarum reliquiarum furibus, quorum ingens per ea tempora erat turba, ipsius rapiendi aditus, imo spes quoque ipsa, abriperetur. Id vero ut censeam, facit tum altum Sagornini Chronici et Auctoris historiae translationis a nobis editae silentium, apud quos de sacri corporis occultatione ne verbum quidem: tum illorum temporum mos ac disciplina, qua sanctorum martyrum corpora nonnisi sub altaribus condi licebat (4): tum denique prioris basilicae a Ioanne Particiaco conditae forma, quae rotunda cum esset (5), nullum, praeter altare, locum exhibere potuit, quo tutius et munitius sacrum illud Evangelistae reliquium conderetur. Perperam vero Carlius (6) Sagornini Chronici locum profert, ubi narratur, Ioannem ducem *peragere fecisse capellam, ubi illud reconditum posset reservare:* et auctoritate Aegidii Forcellini, quem cum Facciolato confundit, ostendere nititur (7), *reconditum* idem valere ac *occultum*, *abditum*, *tectum*. Ibi enim chronologus non de S. Marci templo agit a Ioanne aedificato, sed de *capella* a Iustiniano duce *in angulo palatii* sacro pignori asservando parata (8), dum templum illud extrueretur; ubi illud *reconditum*, hoc est *omni cura servatum* fuit, et eo usque quievit, donec, perfecta basilica, in eandem delatum est. Nam qui *reconditum*, hoc est, ut Carlio placet, *abditum*, *occultum*, ignotum omnibus, uno duce excepto, dici potuit, quod in exigua *capella* positum erat *in palatii angulo peracta*, hoc est ex *coenaculi* (9) parte efformata, quo *cantores et ministri* in honorem beatissimi martyris a Iustiniano *ordinati* quotidie conveniebant, ut Deo laudes

(1) Supr. n. III. — (2) Lib. IX. cap. IX. part. VI. — (3) Supr. cap. II. n. VI. VIII. — (4) Vide Bona Liturg. Rer. lib. I. cap. XIX. n. V. — (5) Supr. n. II. item cap. V. nota 52. — (6) Diss. cit. n. IX. pag. 49. — (7) Ibid. pag. 51. — (8) Sagorn. pag. 31. — (9) Supr. cap. IV. n. XVIII.

persolverent? Ceterum tantum abest ut Chronicon Sagorninum S. Marci corpus, postquam in basilicam a Ioanne illatum est, occulto in loco conditum tradat, ut ne ipse quidem Dandulus, ubi de Ioanne agit (1), quidquam innuat de hac re: licet deinde alio loco (2) idipsum tradat subobscure. Verum de illo clarissimi historici loco quid sentiendum sit iam diximus (3). Quare totam illam de S. Marci corpore vel a Ioanne Particiaco, vel a S. Petro Urseolo occulte condito historiam, ad commenta incertasque, ut fere esse solent, populi traditiones amandamus: utpote quam nec ullum antiquitatis testimonium confirmet, nec certis rationibus probari possit: multa ex adverso, eaque haud spernenda, rerum momenta subvertant.

VIII. A quo igitur et quandonam pilae illi inclusum dicemus? Tunc profecto cum, veteri eius sepulcro effracto ac diruto, illud tuto loco ac munito ac proinde abdito etiam et ignoto, dum novum sepulcrum conderetur, servandum fuit. Vidimus modo (4), id sub Petro II. Urseolo contingere potuisse, cum, novo templo absoluto, sanctissimum corpus eodem illatum est. Attamen aegre inducor ut credam, Urseolum antequam corpus ipsum illuc inferret, non loculum etiam parasse, ubi pro dignitate conditum servaretur. Quid itaque? tunc in pila abditum Marci corpus existimo, cum altare illud ac ciborium, quod modo extat, condi coepit. Novae molitionis causa sacer ille thesaurus loco movetur; utque tutius asservetur, includitur pilae, donec ara erigatur; idque consciis duce tantum atque uno fortasse aut altero ex caementariis: interim operosa altaris substructio, sigillatae columnae, caelati fornices aliaque ornamenta rem in longum trahunt: moritur dux, et vel post illum statim, vel paullo ante unus aut alter ille, quem dux in secreti partem admiserat, nullo rei indicio relicto. At Ecclesia perfecta, altare etiam absolvitur; ac proinde de solemni utriusque dedicatione agi coepit. Quaeritur Marci corpus altari includendum, in cuius honorem altare ipsum et basilica sacranda est. At corpus nullibi apparet, ac quo loco conditum fuerit, mortalium nemo indicare potest. Amissum sibi carissimum pignus, sublatum, ereptum populus timet; cumque diu diligentissime conquisitum nullatenus reperiretur, ad preces et vota confugitur. Tunc demum reclusis repente latebris miro modo innotescit. Haec, nisi omnia me ludunt, haec rei gestae series: cetera, quae processu temporis historiae exornandae bona nimis sequiorum saeculorum credulitas adiecit, ad fabulas amandanda. Illud vero Contarenus ne, an Silvius pilae incluserit statuere non ausim: ille certe inclusit, qui altare moliri aggressus est: quod tamen hic ne, an alter ille fecerit incertum; et tamen ab alterutro factum, inspecta operis totius specie, non dubito. Est tamen aliquid cur id Silvio potius, quam Contareno tribuere malim: leve illud quidem, sed tamen aliquid. Quid porro? nempe quod *discissis marmoribus*, hoc est disruptis, corpus illud apparuisse uno ore historici nostri retulerunt (5). Atqui si ita se habet res,

---

(1) Lib. VIII. cap. III. part. I. — (2) Lib. IX. cap. IX. part. VI. — (3) Supr. n. III. — (4) Supr. num. IV. — (5) Infr. n. XI. et seqq.

ac (quod constanti traditione (1) proditum est) nonnisi anno MLXXI. Silvio regnante. parietes templi marmoribus tegi coepere, non illud certe nisi Silvius eo loco condidit, ab ipso alioquin in illa molitione reperiendum, si aut Contarenus, aut quis ante illum alius eo loco reposuisset. Cuius rei adhuc maiorem suspicionem ingerit Dominicus Finus, horum temporum scriptor, cuius *narrationem de electione Dominici Silvii ducis Venetiarum* ex duplici ms. bibliothecae marcianae edidit Galliciolus (2). Refert enim, Silvium in ducem nuper electum basilicam S. Marci nudis pedibus ingressum, *ob investituram ducatus baculum ab altari sanctissimi Marci suscepisse:* idque ex more fieri paullo ante tradiderat. Porro si altare S. Marci extabat in Ecclesia, ut vidimus (3), nondum completa, quodnam altare hoc fuisse putandum est? certe prius illud, quod Petrus II. Urseolus erexerat, ac in quo, ut puto, S. Marci corpus collocaverat. Nam si quod nunc habemus altare iam ab Urseolo, aut altero ex eius successoribus erectum fuisset, quis credat nonnisi anno post Silvii ducis inaugurationem XXIV. S. Evangelistae corpus illuc illatum fuisse, cum, ut ex ipsa altaris forma satis apparet, corpori illi excipiendo fuisset aedificatum? Profecto qui altare illud erexisset, is et sacrum illud pignus inferre voluisset. Quare statuendum puto, Silvium, qui *Ecclesiae perficiendae crebro operam dedit* (4), altare etiam renovasse, amotoque illo, unde *baculum investiturae acceperat*, et Marci corpore intra pilam ad tempus recondito, magnificum illud, quod nunc habemus, extruere aggressum fuisse; quod perficiendum deinde Vitali Faledro successori reliquerit. Quo posito, haud operosum est coniicere unde nam evenerit, ut loci, ubi sacrum corpus positum fuerat, notitia repente interciderit. Siquidem refert Dandulus (5), Silvium a Venetis, postquam annos XIII. regnasset *repudiatum ac de sede expulsum fuisse:* ubi licet nec interfectum narret, nec in exilium missum; nemo tamen persuadere sibi poterit, aut illum ducatu exutum diutius Venetiis commorari voluisse; aut id permisisse Vitalem Faledrum, qui illo abrogato Venetorum principatum adeptus est. Porro Silvius a patria extorris in tanta fortunae vicissitudine vix de corpore S. Marci cogitasse, multoque minus locum, ubi illud reposuisset, indicare curasse, putandus est; ita ut illo mortuo, nil mirum videri possit, omnem loci eiusdem notitiam periisse. Ceterum sive Contarenus, sive Silvius abdito illo loco sacra Marci lipsana condiderit, certissimum mihi est, ea non ultra annos L. delituisse.

IX. Nunc absconditi illius thesauri historia diligenter evoluta atque explicata, causis quoque eius rei, quantum in tanta saeculorum antiquitate ac scriptorum silentio licuit, conquisitis, fabulis denique ac popularibus traditionibus de diuturna eiusdem occultatione evidenter explosis; iam et de admiranda eiusdem *apparitione*, sive, ut nonnullis loqui placet, *inventione* dicendum; eademque operose propugnanda. Scio enim esse nonnullos, qui impiorum calumnias cavillationesque plus aequo metuentes, priorem illam *apparitionis* vocem omnino re-

(1) Supr. n. VI. — (2) Mem. Venet. append. ad lib. II. n. 1930. — (3) Supr. n. VI. — (4) Dand. lib. IX. cap. VIII. part. I. — (5) Lib. IX. cap. VIII. part. XI.

fugiunt: satisque sacri illius thesauri veritati ac Venetorum gloriae provisum putant, si, omni prodigii specie reiecta, hoc tantum omni asseveratione contendunt, fuisse illud a Faledro repertum, sive id casu factum fuerit, sive indicio aliquo, antea quidem neglecto, sed tunc demum animadverso, ut maxime, cum de aliqua re a plurimis quaeritur, fieri solet. Quorum quidem voluntatem laudo, consilium non item: nam quo tempore prodigia universa a nescio quibus hominibus in dubium vocari solent, in id maxime incumbere, ut, seclusis etiam prodigiis, ea vera esse ostendantur, quae in patriae ornamentum ac religionis decus maxime cedant; hoc cum optimi civis officium esse, tum hominis apprime eruditi, haud diffiteor: attamen in ea re de qua quaerimus praestari posse, nego atque pernego. Cum enim historiae cuiusque certitudo ex synchronis praesertim monumentis repetenda sit; si monumenta haec universa in prodigio aliquo eodemque publico et perspicuo asserendo consentiant; profecto prodigium illud ipsum nullo pacto aut reiici prudenter poterit, aut dissimulari. Atqui ea est monumentorum, quae afferemus, natura. Habemus testes gravissimos, coaevos, oculatos: sed eos tamen, qui non sine prodigio corpus illud repertum tradant. Qui itaque prodigium illud praetermittere nobis licebit? At universam narrationem impii homines ridebunt atque aspernabuntur. Quid ad nos? non haec ἀθέοις scribimus, aut pietatis osoribus, sed cordatis, religiosis, optime de Deo eiusque omnipotentia sentientibus; Venetis demum, quorum fides, pietas, religio tot saeculorum praeconiis, tot historicorum laudibus celebrata: eadem nunc quoque tot inter humanarum rerum vicissitudines fortunaeque casus perdurat, eandemque perpetuo, Deo dante, apud posteros duraturam speramus. His certe nil mirum videri poterit, omnipotentem Deum, qui petram in solitudine aliquando disruperat, ut sitienti populo aquae fontem sufficeret, eundem et in marciano templo marmora discidisse, ut latentem thesaurum quaerentibus patefaceret, venetumque populum de illius amissione sollicitum solaretur. Ridebunt ἄθεοι, nosque veluti credulos nimis ineptosque traducent. Rideant, per me licet; interim et nos illos veluti caecos ac deliros deflebimus. Quid autem erit cur iure tot ac tantas tragoedias movere possint? Rem credimus certam, exploratam, firmatam testibus et iis antiquitatis monumentis, quae, si reiicere liceat, iam de universae historiae fide actum sit atque conclamatum. Nam ut Dandulum (1) probatae fidei et diligentiae historicum, ut Iustinianum, Sabellicum, ut antiquos hagiologos Petrum Calo (2) et Iacobum de Voragine (3) ceterosque recentiores praetermittam; habemus eius rei testem luculentissimum Anonymum littorensem (4) saepe a nobis commemoratum, scriptorem illorum temporum, qui cum se asserat, translationi SS. Nicolai, Theodori et Nicolai alterius interfuisse, quae circa annum Christi MCI. contigit, apparitioni quoque sancti Marci, quae septennio ante contigerat, aut interfuisse putandus est, aut ab iis, qui ipsi interfuerant, accepisse: habemus Zenonem S. Nicolai in littore prope Venetias abbatem, qui

(1) Lib. XV. cap. IX. part. VI. — (2) Apud Bolland. ad diem. XXV. April. — (3) In S. Marco. — (4) Apud Cornel. dec. XII. in S. Nicolao.

monasterio illi ab anno MLXXII. (1) ad annum circiter MXCVII. sanctissime praefuit, cuius licet opus iamdiu interciderit, extabat tamen Bernardi Iustiniani (2) auctoris gravissimi tempore, qui eundem etiam veluti testem producit: habemus pervetustam in marciana aede picturam, imo omnium, quae in eo templo sunt, antiquissimam, totius rei seriem exhibentem; rudem illam quidem et inconditam, antiquam tamen, quamque harum rerum peritissimus Zanettius (3) ipso saeculo XI. confectam censet; sed cuius certe aetas non ultra priores saeculi XII. annos protrahenda est; ac proinde eorum iussu elaboratam, qui rem ipsam praesentes conspexerant: habemus, ut nonnulla minora praeteream, antiquissima marcianae basilicae *legendaria,* ut vocant, *apparitionem* illam diserte narrantia, ita ut *tantam habentes impositam nubem testium* (4), quicumque rem ipsam in dubium revocare voluerint, hi non modo criticae artis leges ignorare, sed delirare omnino ac desipere putandi sint. Iuverit testes ipsos modo memoratos in iudicium producere, eosdemque singillatim interrogare: ut ipsis auditis, quid denique credendum sit, eruditus lector statuat apud se.

X. Ac ut a *legendariis* incipiamus, quorum quidem fides apud nonnullos levior haberi solet, sed ab eruditis magni quandoque fiunt, tunc scilicet cum ea referant, quae vel iis, quibus ipsa scripta sunt, temporibus, vel proxima aetate contigere. Extat in marciana bibliotheca *legendarium* antiquum (5), quo olim S. Marci canonici inter matutina officia uti consuevere, ad cuius calcem homilia quaedam erudita satis atque elegans habetur anonymi auctoris, apparitionis quidem historiam breviter exhibentis; sed historiam ipsam deinde oratorio modo atque ὁμιλητικῷ disertissime illustrantis. Codicem illum ad saeculum XIII. vel XII. pertinere existimavit aliquando (6) v. cl. Iacobus Morellius bibliothecae marcianae custos, ita tamen ut ex codice saeculi XI. exscriptum putaret. Sed animadvertendum est, codicem quidem haud immerito ad aetatem illam referri: homiliam tamen hanc posteriori manu, saeculi scilicet XIV. conscriptam esse; quod miror certe virum diligentissimum effugisse, nisi fortasse alios etiam codices huiusmodi historiam exhibentes innuere voluit, quos tamen diu conquisitos reperire nequaquam fuit. Verum quicumque demum in hac re Morellio error obrepserit, non in eo tamen falsus, quod homiliam ipsam ad saeculum XII. pertinere existimavit. Licet enim paullo ornatior sit atque eruditior, quam reliqua eius aetatis monumenta esse consueverint, mirum tamen nullam in ea dicendi formam occurrere quae aridam illam et exsuccam Scholasticorum dictionem referat, quae saeculo XIII. obtinere coepit: nihil innui quod fabulam sapiat, qualia posteriores eiusdem apparitionis historiae multa comminiscuntur; sed animadversiones universas aut ex sacris litteris duci, aut ex sanctis Patribus: quae omnia non ita facile in posteriorum saeculorum scriptoribus invenire est. Sed nihil aeque me commovet ac admiranda illa stili similitudo, quae inter ho-

---

(1) Cornel ibid. pag. 4. et dec. XIII. part. I. pag. 67. — (2) Iustinian. de Origine Urbis Venet. circa finem. — (3) Della Berretta Ducale pag. V. Vide etiam Temanza Antica Pianta di Venezia pag. 29. — (4) Hebr. XII. v. 1. — (5) Cod. Eccl. clas. IX. cod. CCCLVI. ad calcem. — (6) Cicogna pag. 27.

miliam ipsam et Anonymi littorensis historiam translationis S. Nicolai, saepe a nobis memoratam, occurrit, quae et ipsa ὁμιλητικῷ fere stilo exarata est. Iidem utrinque modi, eadem dictio, iidem spiritus; ita ut, ubi utrumque opus legeris, statim suspicari subeat, unum eundemque Anonymum littorensem utrumque exarasse. Porro Anonymum illum saeculo XII. vixisse iam diximus, imo apparitioni ipsi fortasse interfuisse. Accedit eodem, Iacobum de Voragine episcopum ianuensem (1), qui medio saeculo XIII. floruit (2), Petrum Calo, cuius *de vitis sanctorum* immensum opus in marciana bibliotheca asservatur, et eodem saeculo floruit, licet serius aliquanto (3), Anonymum Danduli interpolatorem apud Ughellum (4), aliosque, dum inventionem illam referunt, iisdem fere verbis uti, quibus in homilia illa Anonymus noster, dum rem illam narraret, usus est. Porro aut ab Anonymo ipsi et rem et verba sunt mutuati, aut ab ipsis Anonymus: aut demum universi ab antiquiore aliquo scriptore accepere. At ea ab ipsis Anonymum accepisse nemo putabit, qui animadvertat, historiam apud ipsum simpliciorem esse atque nitidiorem, nulla falsorum miraculorum, aut fabularum admixtione contaminatam: quae ludibria nonnisi processu temporis addita sunt; tum narrationis stilum cum universa homilia apprime convenire: quo fit etiam ut existimem, ianuensem episcopum et Calotium non iam ex ipsa homilia, sed ex aliis historiis inde deductis et a nebulone aliquo interpolatis, in gratiam familiae delphinae, quam additiones illae maxime respiciunt, totum id, quod referunt, decerpsisse. Neque enim unquam inducar ut credam, viros illos integerrimos commenta illa ex suo cerebro procudisse. Nam credulos quidem fuisse constat: mendaces non item. Restat igitur, aut illos ab Anonymo accepisse quae tradunt, aut ipsos simul et Anonymum aliunde deduxisse. Elige utrumlibet, per me liceat: nam utrinque ad saeculum tandem XII. ascendas necesse est.

XI. Hucusque de scriptoris aetate et fide: nunc quomodo rem gestam tradat audiamus: *Translato*, inquit, *beatissimi Marci gloriosissimo corpore ab Alexandria in Venetiam, feliciterque deposito in basilicam ad eius honorem constructam, pulcro in oculis omnium scemate* (sic), *auro et marmoribus pretiosissime redimitam, contigit ut post aliquot tempora, ubi eiusdem pretiosissimum corpus quiesceret, nesciretur. Cumque post diligentissimam inquisitionem nemo huius rei conscius potuerit inveniri; toti Venetiae ieiunium triduanum indictum est. Post quod in cordis contritione ab omnibus observatum unanimiter, quarto die ad dictam eius basilicam convenerunt, in qua letaniis perfectis, processione disposita, multiplicibus suspiriis, orationibus ad Dominum effusis, profluentibus lacrymis, diutius Dei misericordiam implorarunt. Fidelis autem Deus, qui dixerat* (5), *petite et accipietis, pulsate et aperietur vobis: et iterum* (6), *de omni re quaecunque petieritis, fiet vobis a Patre meo* (7), *proximus existens omnibus invocantibus*

(1) In Legend. S. Marci. Vide Moreri in Iacq. de Vorag. — (2) Supr. lib. II. cap. IV. num. I. — (3) Vide Echard in Script. Ord. S. Dominici ad ann. MCCCX. — (4) Ital. Sacr. tom. V. in Patriarch. Venet. num. XX. — (5) Matth. VII. v. 7. — (6) Ibid. XVIII. v. 19. — (7) Ps. CXLIV. v. 19.

eum in veritate, preces eorum benignus exaudivit, et locum, in quo sanctissimum corpus latuerat, gloriosissime declaravit. Nam scissis marmoribus columnae circumpositis, arca, quae interius claudebatur, corpus ipsa concludens erupit, et in conspectu omnium per semetipsam mirificentius exilivit. Haec ille, ubi nihil absurdum, nihil exquisitum, nihil in alicuius gratiam confictum. Nulla hic aut exerti ex hiantibus marmoribus brachii mentio, aut manus protensae, aut annuli, quem nemo praeter *Dominicum Delphinum de la Ca' grande* (de maiori domo) ex Evangelistae digito potuit educere (1). Commenta haec sunt posteriora, ab ineptis veteratoribus excogitata, quae tamen saeculo Christi XIII. iam obtinebant. Quin imo tantum abest, ut Anonymus quidquam innuat quod hisce fabulis suffragari possit, ut potius uno ictu easdem evertat. Nam multa deinde de hoc *apparitionis* prodigio animadvertens, ait, mirum profecto esse, marmora illa aperuisse *Marcum, ante multa tempora mortuum, corpore quoque suo nervis arefactis soluto in pulverem; et unde prius susceptus fuerat, iam ex aliqua parte redacto,* hoc est redactus in terram, unde homo quilibet deductus est. Ubi voces illas *ex aliqua parte* diligenter attendas velim; quibus innuit, non omnino in terram Marcum redactum fuisse, cum adhuc humanam formam servaret, sed quia *nervis arefactis* contractisque atque exsiccatis carnibus, aliqua ipsarum pars (quod in *Mummiis* conditisque cadaveribus evenire conspicimus) in pulverem ac minutas veluti squamas dilapsa esset. Ceterum sanctissimum illud corpus integrum ferme fuisse, tum quae afferemus synchronorum auctorum monumenta demonstrant, tum feretri, sive capsae forma, in qua conditum fuit, iis prorsus similis, quas aetate nostra humanis corporibus condendis usurpamus. Sed de hac re et superius (2) diximus, et iterum alio loco (3) dicemus.

XII. Atque haec de Marci apparitione in legendariis. Sed quoniam de ipsorum antiquitate dubitare adhuc quis posset; quando illam multis quidem satis probabilibus rationum momentis confirmare conati sumus, sed nullum est quod rem necessario conficiat; alios etiam testes interrogemus. Secundus itaque prodeat littorensis Anonymus (nisi forte idem omnino sit cum praecedenti (4), qui historiam conscripsit translationis S. Nicolai, quique, ut alias monuimus (5), sub saeculi XII. exordiis floruit, remque ipsam fortasse propriis oculis usurpavit. Sic ille itaque (6): *Regnante itaque Vitale Faletro Veneticorum duce egregio, consummata est Venetiae Ecclesia evangelistae Marci, a Dominico Contareno duce nobilissimo fundata consimili constructione artificiosa illi Ecclesiae, quae in honorem XII. Apostolorum Constantinopoli est constructa: quando etiam sanctissimum corpus Evangelistae de loco, ubi in priori Ecclesia collocatum fuerat, sublevatum est, et ad videndum in medio positum, dum nova Ecclesia consecraretur. Qui* (sic) *totus integer et paratus, qui* (forte *quasi qui*) *missam cantaret, cunctis evidenter, fere quinque mensibus, manifestus apparuit. In quo spatio per eum etiam multa*

---

(1) Vide haec omnia in Calotii narratione apud Bollandianos ad diem XXV. Aprilis; et apud Ughellum loco cit. — (2) Supr. cap. V. adnot. 28. — (3) Infr. cap. XI. n. IV. — (4) Vide num. X. — (5) Supr. n. IX. — (6) Apud Cornel. decade XII. pag. 32.

miracula Deus omnipotens perpetravit. Haec ille rem paucis perstringens. Ubi tamen multa animadvertas velim. Ait primum, corpus S. Marci *de loco, ubi in priori Ecclesia collocatum fuerat, sublevatum fuisse. Priorem Ecclesiam* intelligit, quam Petrus Urseolus II. compleverat, quae *altera* prorsus a praesenti dici poterat, quae tam ingenti molitione, licet priori illa servata, a Contareno constructa est. Addit inde, sublatum Evangelistae corpus *ad videndum in medio* Ecclesiae *positum fuisse, dum nova Ecclesia consecraretur;* ibique *fere quinque mensibus manifestum apparuisse*, ac interim *multis miraculis* claruisse. Haec omnia etiam Calotius (1), ianuensis episcopus (2) aliique testantur: quin et ipse homiliae auctor prodigia nonnulla commemorat ad eius feretrum patrata. Ceterum cum, teste Dandulo (3), pretiosissimi thesauri inventio die XXV. Iunii anni X. Vitalis Faledri, Christi MXCIV. contigerit, Ecclesia vero et altare die VIII. Octobris anni eiusdem dedicata fuerint, simulque sub ara maxima sacrum corpus repositum; recte Anonymus noster menses fere V. illud in medio Ecclesiae fuisse tradit. Demum subiicit, Marcum *integrum fuisse et paratum quasi qui missam cantaret*. Integrum intellige, non incorruptum, aut carnibus vestitum; sed exsiccatum atque arefectum, quales esse solent *Mummiae*, quem deinde pontificalibus vestibus in viventis speciem contexere; quod nunc etiam in Sanctorum corporibus, quae integra sunt, aliquo modo apud nos fieri solet.

XIII. Anonymo littorensi littorensis abbas Zeno apprime concordat, ipse quoque eius rei testis coaevus, ut diximus. Scripserat ille chronicon, ubi apparitionis illius historiam diserte narrabat: verum opus illud iamdiu, nescio quo casu, misere periit. Illud tamen se legisse testatur Bernardus Iustinianus (4), remque ab illo eodem modo referri ac a ceteris dicit: addit insuper, tradidisse Zenonem, corpus illud integrum incorruptumque repertum fuisse; quam quidem sacri pignoris incorruptionem universis venetis scriptoribus persuasam fuisse ex chronicis etiam nonnullis mss. saeculi XV. comperio, quae mihi pro sua humanitate communicavit v. cl. dominus Placidus Zurla, camaldulensis abbas, et in seminario nostro theologiae ethicae et pastoralis professor, qui et alia mihi plurima in hoc opus adiumenta suppeditavit. Ceterum nollem, viro cuidam eruditissimo piissimoque unquam excidisset, quod de hoc ipso abbate Zenone disputans ait: potuisse illum quidem et synchronon esse, et prodigium referre; nec tamen hinc certum esse, prodigium illud contigisse. Nam si ubi de prodigiis agitur, publicis praesertim et inspectante populo peractis, vel ipsos coaevos scriptores inauditos reiicere liceat, quando erit, ut prodigium aliquod possimus admittere? Actum certe erit de prodigiis fere universis, cum tamen certo constet nullam aetatem fuisse, in qua non catholica Ecclesia novis portentis identidem coruscarit. Caute certe atque circumspecte in prodigiis huiusmodi admittendis sapiens quisque aget: at ubi adsit synchronus testis, nec modo synchronus, sed eiusdem

---

(1) Loc. cit. — (2) Loc. cit. — (3) Lib. IX. cap. IX. part. VI. et VII. — (4) De S. Marco lib. II. circa finem; et apud Cornel. dec. XIII. part. I. pag. 67. Apud Bollandianos append. ad diem XXV. Aprilis etc.

urbis incola, ubi actum aliquod miraculum dicitur, quique fortasse quae refert suis ipse oculis usurpavit, qualis abbas Zeno, qui cum suis monachis ad solemnem illam supplicationem absque dubio advocatus est: ubi miraculum refertur publicum, solemne, in omnium oculis patratum, quodque, si falso procusum esset, ii ipsi refutare possent ac falsi arguere, quibus inspectantibus actum dicitur; huiusmodi prodigium qui reiiciat, is mihi profecto severus nimis ac morosus criticus, ne quid asperius dicam, videtur.

XIV. Coaevis scriptoribus coaevum etiam pictorem addere iuvat. Extat in marciana basilica e regione altaris, ubi sanctissimum sacramentum servari solet, antiqua pictura tessellato opere elaborata, universam apparitionis historiam exhibens, eodem prorsus modo, quo a laudatis scriptoribus relata est. Siquidem bifariam ac in geminas veluti tabulas divisa, altera quidem flentem populum divinamque opem implorantem ostendit, altera vero hiantia marmora, fatiscentem columnam ac latentem thesaurum mirabili prorsus modo proferentem. Ac in priori quidem marcianum templum videre est, eadem fere qua nunc cernitur forma, stantemque ad arae maioris mensam episcopum, orantis specie, cui minister e contra adstat apertum librum precanti offerens, in quo verba haec leguntur: *Exaudi nos, Domine, quoniam etc.* quae porro eadem illa sunt, a quibus iuxta antiquissimum eiusdem basilicae ritum litania incipi solet. Orantem pontificem sacerdotes et ministri circumstant, alii quidem sacris vestibus induti, alii solis superpelliceis amicti, universi tamen ad terram prostrati; tum extra sanctuarii cancellos urbis proceres vestitu vario, viri, feminae, adolescentes, pueri et ipsi in terram proiecti, atque ipso oris ac corporis habitu intimum dolentis animi moerorem atque aegritudinem praeseferentes. At longe aliam rerum faciem in altera tabula adspicies. Nam patefactae pilae sacrumque depositum exhibenti adstat intentis oculis episcopus, rei novitatem atque insolentiam miratus; adstat dux; ille quidem sacris ministris, hic vero procerum corona stipatus: ille mitra redimitus, hic cornu gerens, sed cuius apex non e postica capitis parte assurgens et in anticam inflexus in frontem vergat, quale subsecutis temporibus duces nostri gestare consuevere; sed cuius vertex a fronte elatus leniter in posticam capitis partem inflectitur: adstant viri, mulieres, adolescentes, matres pueros complexae, turba denique frequens, novi prodigii speciem mirata, ac vultu ipso gestientis animi laetitiam praeseferens atque hilaritatem. Haec in pariete: at superius cubitalibus litteris, ac utramque tabulam complexa inscriptio haec refert:

PER TRIDVVM PLEBS IEIVNAT, DOMINVMQVE PRECANTVR.
PETRA PATET. SANCTVM MOX COLLIGIT, ET COLLOCANT.

Porro picturam illam aut saeculi XI. esse, aut ad summum saeculi XII. ineuntis putant harum rerum periti; idque inter ceteros censuit, ut diximus (1), vir

(1) Supra num. IX.

eruditissimus H. Franciscus Zanetti. Ac profecto, non esse illam ad posteriora tempora referendam, multa sunt quae ostendant. Nam et episcopi mitra humilis atque depressa, et ministrorum superpellicei ad talos usque promissi, et singularis illa ducalis coronae species, et clericorum corona, sive tonsura haud magna quidem, sed fere prope frontem ducta, et vestium forma inusitata nec alibi unquam occurrens, remotissimam sapiunt antiquitatem. Sed quod maxime ostendit, non posse eius musivi aetatem ultra medium saeculum XII. proferri, litterarum forma facit, quibus allata modo inscriptio exarata est; antiquos illos romanos characteres, quos antiquarii *semiquadratos*, vel etiam *quadratos* nonnunquam vocant, praeseferentium: ita ut fatendum sit, pictorem, qui tabulas illas elaboravit, vel ea coloribus ac lapillis effinxisse, quae ipse conspexerat, vel saltem eorum iussu, qui ea suis oculis usurparant. Sed nec illud praetereundum esse arbitror, quod in utraque tabula animadverti, dum ipsam paullo diligentius considero. Nam, cum utrinque marciana basilica depicta sit, eaque accurate et pro pictoris imperitia satis graphice atque eleganter, nescio quae tamen in pergulis, quae columnis incumbunt, differentia occurrit, eaque haud omnino contemnenda. Nam cum revera pergulae illae, qua parte maiorem Ecclesiae *navem* respiciunt, marmoreis tabulis anaglypto opere caelatis conclusae sint, quae loricae (1) locum sufficiant; utraque tamen pictura, continua illa lorica praetermissa, aliam exhibet perforatam, ac columellis constantem perpetuo ordine dispositis, cuius exigua adhuc pars extat prope ingentem illam fenestram, quae ad meridianum solem patet in ala transversa. Atqui siquis loricae, quae nunc extat, caelaturas atque sculpturas diligenter inspiciat, is oculos modo afferat paullum eruditiores, statim fatebitur, fuisse illam saeculo XII. exeunte, vel XIII. incipiente elaboratam: ac proinde picturas illas, quae priorem loricam exhibent, vel ad finem saeculi XI., vel ad XII. exordia esse referendas: ideoque haud inepte a nobis picturas illas produci, quibus apparitionis prodigium, iam aliunde demostratum, firmius adhuc et luculentius asseratur.

XV. Nunc vero tot ac tantis antiquitatis monumentis productis, possem et minora alia adiicere, exempli causa; Kalendaria et Homiliaria vetustissima, quibus die Iunii XXV. inventio S. Marci sub *apparitionis* nomine commemoratur; antiqua canonicorum S. Marci statuta, edita a Galliciolo (2), quae nonnulla commemorant a canonicis et duce praestanda (3) *in omnibus solemnitatibus S. Marci*, quae dicendi forma tres saltem festos dies innuere debet, nempe *natale*, *translationem* et *apparitionem;* decretam quoque ad diem XXV. Iunii quotannis solemnem supplicationem ac pompam, cui clerus universus, monastici ordines, cunctaeque urbis fratriae interesse, ac maiorem marcianae basilicae aram circumire iubentur; aliaque id genus: quae tamen praetermitto, cum vel XIII. saeculum minime excedant, vel incertae omnino aetati tribuenda sint. Utinam tamen haec *apparitionis* festivitas in veneto Kalendario perantiquo extaret, quod Romae

(1) Lorica, ital. *parapetto*. — (2) Memor. Venet. append. ad II. part. — (3) Cap. XXXVI. etc.

edidit anno MDCCLXXIII. vir eminentissimus idemque eruditissimus Stephanus Borgia! Verum extat illa quidem, sed posteriori manu adiecta, ita ut nihil inde confici possit. Quamquam nil mirum, in Kalendario saeculi XI. festum illud praetermitti, quod sub eiusdem saeculi finem est institutum: cum fortasse antequam *apparitio* ipsa contigerit descriptum fuerit. At non illud praetermittendum, quod de Henrico eius nominis IV. Romanorum imperatore refert Dandulus (1), illum scilicet, auditis quae de S. Marci apparitione ferebantur, *devotione motum, venisse Venetias, beatoque Marco reverentiam exhibuisse, et monasteriis plurimis immunitatum privilegia concessisse.* Equidem ubi primum haec apud Dandulum legi, vix putabam fieri potuisse, ut Henricus imperator, homo certe haud innocentissimus (2), nec religioni maxime addictus, quique tot calamitates in Ecclesiam invexit, Venetias religionis causa adventaret, praesertim quo tempore bello atrocissimo ac internecino distinebatur. Attamen ne assensum cohiberem, ac Muratorio subscriberem (3) suspicanti id alio tempore fortasse contigisse, perspecta Danduli fides ac diligentia faciebat: cui quantum tribuendum sit, intelliget quicumque, quod nos identidem facere debuimus, eius historiam ad diplomatica cuiusque aetatis monumenta exigere curabit. Verum omnem nobis scrupulum exemit ipsius Henrici diploma anni MXCV. Mestre datum, quod ex archio S. Zachariae Cornelius (4) vulgavit; ubi cum privilegia plurima monasterio illi concedat, ait de his a Maria Faletro abbatissa sibi supplicatum fuisse, quae, inquit, *dum ibi,* idest Venetiis, *causa orationis praesentes fuimus, nostram adiit clementiam.* Vix autem puto ultra annum, eorum, quae ab abbatissa postulatus fuerat, concessionem Henricum distulisse, ac proinde revera anno MXCIV. Venetias advenisse. At quid tandem principem minime profecto religiosum ac pium permovere potuit, ut Venetias *causa orationis* adventaret, nisi admirandae illius apparitionis fama passim vulgata atque diffusa, quae homines etiam haudquaquam pietati addictos ipsa sua novitate permovere potuit atque excitare? Neque enim is erat Henricus, qui sine prodigio aliquo ad haec religionis officia exequenda facile impelli posset. Nec alia fortasse de causa (5) Henricus V. Henrici IV. imp. filius, et ipse anno MCXVI. *Venetias accedens, limina B. Marci maxima devotione visitavit,* ut alios plures praetermittam, quos omnes eius prodigii fama accitos non dubitaverim.

XVI. Ex quibus certe colligitur, anno Christi MXCIV. corpus beatissimi patroni nostri fuisse revera repertum; certissimum quoque in eius inventione prodigium fuisse patratum, nec immerito inventionem illam a Venetis *apparitionis* nomine nuncupari. Id cum multis satis probabilibus argumentis ostendimus, tum vero maxime synchronorum scriptorum et monumentorum auctoritate, Anonymi marciani, Anonymi littorensis, Zenonis abbatis, et picturae antiquissimae in marcianae basilicae pariete, eodem, aut ad summum ineunte

(1) Lib. IX. cap. IX. part. VIII. — (2) Vide Muratori Annal. d'Ital. ad ann. MCVI. — (3) Ibid. ad ann. MXCIV. — (4) Eccl. Venet. Decad. XIII. part. II. pag. 359. — (5) Dandul. lib. IX. cap. XI. num. XX.

sequenti saeculo elaboratae. Quid plura ad asserendam et prodigii fidem, et sacri corporis possessionem requiras? Equidem non me latet, Augustinum Carlium suspiciones ac dubia bene multa de hac re ingerere (1); ac licet verissimum Marci corpus repertum fuisse nequaquam inficias eat, prodigii tamen fidem suspectam reddere; imo ita omnia permiscere, ut ipsam corporis possessionem Venetis incertam imprudens reddat: attamen quaecumque obiicit Carlius vel a nobis iam disiecta sunt, vel falsis omnino fundamentis nituntur. Nam quis illum docuit (2), marmora ab ea pilae parte hiasse ac concidisse, quae altare sanctissimi Sacramenti respicit, ut hinc prodigium suspectum reddat? quo fundamento nititur (3), ut ostendat prodigii huius originem a gloria illa esse derivandam, quam Veneti capta anno MCCIV. Constantinopoli adepti sunt, quae mihi sententia ipsa prodigio similis prorsus videtur? Undenam didicit (4), Vitalem Faledrum Dalmatiae et Croatiae ducem anno MC. appellari non potuisse; nec nisi post captam Constantinopolim duces ita vocari consuevisse, cum diserte tradat Dandulus (5), Vitalem centesimo et XII. ante illam urbem expugnatam anno *addidisse titulo suo Dalmatiae atque Croatiae et imperialis protosevastos*, quod ab Alexio *Crusobulio* (Chrysobullio) scripto obtinuerat; imo (6) anno Christi CMXCIX. Basilio imperante *ducis Dalmatiae* nomen assumpsisse Petrum Urseolum II. quando, devictis Dalmatis, Venetias victor reversus est? Undenam historia illa inventionis ducta est (7), quam ex suo ipse penu proponit? Mitto alia innumera, atque unum quaero. Ait Carlius (8), *se prodigio illi nullam fidem habere:* non idcirco reprehendo: facit Carlius quod eruditissimi viri atque religiosissimi ante ipsum fecere. Neque enim agitur de dogmate, sed de facto, criticis disputationibus omnino exposito. Subiicit deinde: *Attamen decere maxime arbitror, populum ab antiqua illa sua ac pia sententia minime revocari.* Quaeram modo. An *decet* populum aut decipere, aut deceptum non ad veritatem revocare? iterum: si *falsa* sententia illa, quomodo *pia?* denique: si *decet populum in sua sententia relinquere,* satis ne huic praecepto facit, qui contra ipsam sententiam scribit, et italice scribit, ut quae ipse disputat, lectorum vulgus intelligat? Haec certe inter se qui conciliet, *erit mihi magnus Apollo.*

XVII. Atqui haec, hisque similia, non ea sunt, quibus refutandis libeat immorari. Occurrendum potius malignis quibusdam ac suspiciosis hominibus, qui licet de hoc prodigio nihil ipsi conscripserint, falsis tamen rumoribus iniectisque callide dubitationibus ipsam Faledri et venetorum procerum fidem in ea re convellere ac elevare conantur. Aiunt enim, cum amisso Marci corpore nescio quae in vulgus de ipso vel furto sublato, vel divendito suspicio diffusa esset, populique ea tempestate in seditionem proni motus aliquis aut tumultus

---

(1) Diss. cit. n. X. XI. — (2) Ibid. pag. 70. 81. — (3) Ibid. pag. 77. — (4) Ibid. — (5) Lib. IX. cap. IX. part. II. — (6) Ibid. lib. IX. cap. I. part. XXXI. — (7) Ibid. pag. 81. — (8) Ibid. pag. 67. *Non vorrei esser tenuto per irreligioso, se non posso prestar fede alla storia raccontataci di quel miracolo; e trovo poi convenientissimo che si lasci il popolo nell' antiquata sua pia credenza.*

iam iam oriturus videretur, ducem ac proceres, quomodo impendentem sibi tempestatem averterent, diu multumque cogitasse; cumque animos per omnia versassent, callidissimo demum consilio certos homines misisse, qui clam ceteris pilam illam aperirent, ac excavato loculo, arcam ibi cum ossibus undecumque acceptis reconderent, quae deinde ipsa sanctissimi Evangelistae lipsana esse populus existimaret. Tum amota marmora restituisse loco suo: sed ita aptasse, ut levi impulsu subverti iterum possent atque collabefieri: eosdem vero homines prope pilam statuisse, qui, orante populo nulloque animadvertente, marmora illa impellerent, quibus cadentibus, corpus beatissimi patroni sui non sine prodigio sibi fuisse patefactum plebs credula, et semper falli facilis existimaret. Haec illi, a quibus primum illud quaeram, a quo ipsi acceperint? unde didicerint? quos eius rei testes proferant? haerent: silent: neminem proferunt. Ego ne itaque bonus ipsis saeculo demum post Faledrum septimo viventibus, testem vero nullum ex antiquitate proferentibus credam potius, quam Zenoni abbati, quam littorensi et marciano Anonymis, synchronis auctoribus rem candide ingenueque referentibus? At fieri potuit, inquis, ut Faledrus hac arte uteretur. Do ultro, si vis: at nonne multo magis fieri potest, ut tute ipse post tot saeculorum intervallum hallucineris? quid si nec fieri potuisse demonstrem? Et tamen fieri haud omnino potuisse certum est. Nam qui unquam fieri potuit, ut populus mota marmora, et iterum alio modo restituta non deprehenderet? qui fieri potuit, ut, immensa populi multitudine circumspectante, nemo fraudem detegeret, nemo locatos pone pilam homines, ac marmora iam iam casura impellentes animadverteret? an adeo ne stupidos et hebetes per ea tempora Venetos fuisse putas, ut huiusmodi ludibrio puerorum more decipi possent? an chartae aut folio similia marmora illa, ut nullo molimine moveri loco possent et subverti? quid si in summa pila sacrum corpus latebat, ut in laudata saeculi XII. pictura exhibetur? quid si non una tantum, sed plures simul marmoreae tabulae corruere? quod certe vox illa *discissis marmoribus*, qua homiliae auctor (1) utitur, videtur insinuare? quibus autem scelestissimae fraudis ministris Faledrus usus est? Profecto caementariis, marmorariis aliisque huiusmodi. Hisce ne hominibus tantae rei summam princeps committeret? his fideret? hos in societatem nefarii consilii vocaret? quid autem erat cur se religiosissimus princeps tanti sceleris labe commacularet! An ut populi furorem in suum caput casurum evitaret? atqui non ipse sacrum illud pignus abdiderat, sed qui ducatum ante ipsum tenuerant. Quam porro facile erat, totam eius rei culpam in Silvium ducem vertere, solio depulsum, extorrem, mortuum fortasse, populique invidia ingenti odiisque flagrantem? Quid quod de rumore illo in vulgus diffuso, nemo praeter Dandulum mentionem iniecit? Ceteri nonnisi populi luctum, preces, lacrymas, vota commemorant: animos vero in seditionem inclinatos ne ipse quidem Dandulus dicit. Vide igitur nonnisi somnia narrare, quicumque prodigium illud ad nefarias illas artes revocat, quibus vel ipsi scelestissimi principes vix aliquando uti solent. Quo loco

(1) Supra num. XI.

continere me nequaquam possum, quin aurea illa Emmanuelis Cicognae verba exscribam, quibus, cum hunc locum eruditissime, ut fere solet, pertractasset, disputationem suam concludit (1): *Erat,* inquit, *Venetorum per ea tempora in republica tuenda moderandaque sagacitas magna profecto atque singularis: sed par etiam sagacitati in Deum pietas atque religio: ita ut nihil dexteritas illa auderet unquam, quod vel leviter in religionis detrimentum posset redundare.* Non his artibus res veneta crevit, aut illas unquam secuti maiores nostri imponere populo consueverunt: principem vero, quem nemo unquam per VII. integra saecula tanti sceleris conscium dixit, nunc demum sacrilegae fraudis nefariique facinoris insimulare, non iam critici, sed inepti hominis est: non historici ingenui, sed calumniatoris impudentissimi.

CAPUT X.

QUO LOCO POST APPARITIONEM S. MARCI CORPUS CONDITUM FUERIT.

I. *Quinam de postrema inventione S. Marci scripserint.* II. *Die octava Octobris anni MXCIV. S. Marci corpus sepulcro mandatum.* III. *Quo loco incertum: attamen locus ille usque ad annum MCCCCLVII. duci, primicerio et procuratori Ecclesiae notus fuit. Eius deinde memoria omnis amissa.* IV. *Illud tamen sub ara maxima collocatum fuisse, multi deinde tradidere.* V. *Idque etiam Iustinianus et Sanutus confirmant.* VI. *Quod et multis coniecturis adstruitur.* VII. *Tum ex antiqua pictura in ipsa basilica olim extante.* VIII. *Immo ex duabus aliis picturis saeculi XIV.* IX. *Ex altaris magnificentia idipsum ostenditur.* X. *Descriptio interiorum arae partium.* XI. *Ex altaris constructione evincitur, S. Marci corpus ibidem requievisse.* XII. *Tum ex appositis fenestellis et columellis. Item ex ara duplici.* XIII. *Item ex lectulo marmoreo.* XIV. *Superiorum omnium conclusio.* XV. *Ex praemissis sequitur, sepulti corporis locum notum simul et ignotum fuisse.* XVI. *Id quomodo esse potuerit breviter demonstratur.*

I. Quae hucusque tum de S. Marci vita, tum de eiusdem lipsanis satis operose disputavimus, ea siquis accurate et diligenter expendat, quanto nobis labore constiterint facile intelliget: praesertim si in hoc studiorum genere aliquantisper versatus, experientia ipsa sua didicerit, quam sit operosum antiquorum temporum res gestas illustrare; eas maxime, quae cum unum tantum, aut hominem, aut civitatem respiciant, nec magno satis auctorum numero proditae sunt,

---

(1) Diss. cit. pag. 26. *La veneta avvedutezza un grado eminente occupava, dicemmo: ma in que' tempi del pari andava colla religione: nè quella permetteva cosa, che a danno di questa avesse dovuto ridondare.*

nec ab uno omnes; ut proinde nonnisi carptim ex variis scriptoribus ac disparatis vetustatis monumentis accipi possint. Nunc vero labore maximo perfuncti postrema duo capita aggredimur, alterum de loco ubi S. Marci corpus a Vitale Faledro conditum fuit, alterum vero de eiusdem sanctissimi corporis recenti inventione: quibus explicatis, satis iam producto operi finem imponemus. Porro ne nobis in utroque hoc capite laborandum maxime sit, faciunt nonnullorum civium nostrorum lucubrationes longe disertissimae, quorum diligentia atque eruditione quaecumque de hac re afferri possunt, ita diligenter expedita sunt, ut nihil aut plenius aut luculentius afferri possit. Siquidem cum anno MDCCCXI. sacratissima illa lipsana reperta essent, prodiit paullo post Emmanuelis Antonii Cicogna libellus inscriptus: *Sullo scoprimento del corpo di S. Marco evangelista, fatto nella Basilica Patriarcale di Venezia il giorno 7. Maggio 1811. Dissertazione storico-critica.* Hoc est: *Dissertatio historico-critica de corpore S. Marci in Basilica Patriarchali reperto nonis Maii anni MDCCCXI.:* ubi breviter Marci vita, et sacrorum lipsanorum vicibus expositis, de eo demum, quod sibi tractandum susceperat, extremo libro agit luculenter. Secuta est anno MDCCCXIII. Iacobi Filiasi viri cl. *De corpore S. Marci commentatio*, in qua quomodo corpus illud repertum fuerit diligenter describitur, ac multa afferuntur, quibus illud revera S. Marci esse demonstratur. Biennio post Leonardus Manin patricius venetus, et postremi Venetorum ducis ex fratre nepos, *Commentarium* edidit (1) *historico-criticum de vita, translatione et inventione duplici S. Marci evangelistae, urbis venetae primarii patroni*, ubi universa complexus, quae Cicogna secutus fuerat, multa ex iis etiam commemorat, quae in Iacobi Filiasi commentario recensentur. Ipsum tamen praecesserat d. Xantes Della Valentina, Ecclesiae et societatis S. Rochi in urbe nostra rector et capellanus, qui anno MDCCCVIII. Xavério Gambono Venetiarum patriarchae, sancti Marci corpus requirenti, ut ipsum publicae fidelium venerationi exhiberet, commentariolum quoddam obtulerat, ita inscriptum: *Memoria intorno al sito, in cui fu deposto dopo la sua apparizione miracolosa il sacro corpo dell' evangelista S. Marco:* id est: *Commentarium de loco, ubi post mirabilem apparitionem S. Marci evangelistae corpus conditum fuit:* quod commentarium extat apud me mss. In eo vir, si quis alius, venetarum rerum scientissimus, nihil fere ex se scribit; verum cum nostrorum, tum exterorum scriptorum locis ac monumentis productis ostendit, nonnisi sub ara maiori marcianae basilicae sanctum illud corpus conditum esse. Horum itaque lucubrationibus instructo mihi nihil aliud modo praestandum est, nisi ut quae ipsi magno labore singuli collegere, coniunctim proponam: ita enim diligenter et accurate rem universam pertractarunt, ut nihil fere sit quod ipsorum laboribus addi possit. Vellem ceteris, qui symbolam quasi suam in hanc rem contulerunt, et Augustinum Carlium accensere, qui de hoc ipso argumento dissertationem satis prolixam vulgavit anno MDCCCXI. Verum ut ille multa collegit, ex quibus non-

---

(1) *Memorie storico critiche intorno alla vita, translazione ed invenzione di S. Marco evangelista, principale protettore di Venezia. In Venezia* 1815.

IV. Utcumque tamen tam alto silentio loci illius notitia tegeretur, rumor tamen nescio quis nullo auctore prodiit in vulgus, sacrum illud corpus sub ara templi maxima delitescere, qui non inter nostrates tantum increbuit, verum etiam ad exteros emanavit. Nam Baronius (1), postquam mirabilem illam apparitionem retulisset, qua de capite praecedenti locuti sumus, subiicit statim: *Eius corpus collocatum fuit solemni ritu sub altari primario;* quod profecto accuratissimus annalium pater non ex suo cerebro eduxit, sed ex monumentis, quae sibi erant prae manibus, excerpsisse dicendus est. Ad nostros vero quod attinet, vix finem facere possem, si qui omnes id ipsum tradidere proferre vellem. Chronica mss. quatuor, a se ipso inspecta, profert Emmanuel Cicogna (2), recentiora illa quidem, utpote quorum tria ad saeculum XVI. quartum vero ad saeculum XVII. pertineat; aliud item saeculi XVI. exhibet in mss. Xantes Della Valentina, cui et commentariolum adiicit Francisci Allegri, qui cum canonicus S. Marci fuisset, et deinde Societati Iesu nomen dedisset, anno Domini MDLXXXV. pridie nonas Martii catalogum reliquiarum confecit, quae in templo S. Marci servantur; quem catalogum se et S. Carolo Borromaeo obtulisse ait, qui mense praecedenti Venetias advenerat, et tradidisse etiam Nicolao Da Ponte Venetorum Duci, quo iubente illum confecerat. Extat uterque codex a Xante memoratus in bibliotheca maninae gentis inter mss. num. CXCII. et CLXXX. nosque Allegri verba paullo post afferemus. His addi potest etiam Francisci Manassis marcianae basilicae initio saeculi XVIII. hypocanonici commentariolum de reliquiis, quae in Ecclesia illa asservantur, quod ille videtur iubente principe conscripsisse; quod quidem apud me extat ms. Hi porro universi luculenter affirmant, sacrum Evangelistae corpus sub ara maxima a Faledro locatum fuisse, ibique requiescere; quibus editi quoque subscribunt (3) Sansovinus, Stringa, Doglionus, Meschinellus aliique. Iuvat chronici cuiusdam fragmentum a Cicogna (4) allatum proferre, ut constet, quam asseveranter id saeculo Christi XVI. ille scriptor teneret. *Tunc dominus dux, una cum patriarcha* gradensi, *episcopis, clericis, nobilibus et populo Venetiarum reverenter et honorifice illud* corpus *suscepit, araeque maximae inclusit, ubi nunc quoque iacet supinum: nec quisquam de hac re ambigat, verum certissime teneat, ibi illud omnino esse etc.* Addit deinde: *Quo vero tempore eodem inlatum fuit, statutum est etiam ut locus, ubi esset, duci tantum et Ecclesiae S. Marci procuratoribus innotesceret: ego tamen qui mea aetate eius rei testimonium conspexi, id posteris etiam testari possum.* Quodnam *argumentum* sive *testimonium eius rei conspexerit* anonymus hic chronologus prorsus nescio: attamen tale fuisse, cui omnino credere par esset, profecto vi-

---

(1) Ad ann. MXCIV. — (2) Pag. 36. et nota 81. — (3) Cicogn. pag. 36. — (4) Ibid. *Alora ms. lo doxe, con el patriarcha, vescovi, chierest, nobeli et populo de Veniesia con grande reverentia et honor de li el tolse, e il mese nel altar grando, dove fina al presente si atrova colegatto, et de ciò niuno non dubiti, ma habbi per fermissimo, che siano li. etc. Et in quel tempo che fo traslatado, fo ordenado che solenemente* (leg. *solamente*) *el doxe, con li procuratori de la Giesia de san Marco sapese dove el fose: ma io che al mio tempo ne vitti* (leg. *vidi*) *testimonianza de ciò, posso alli futuri dimostrar, etc.*

detur; siquidem tantum ipsi tribuendum putavit, ut ipsi fidens, rem posteris testatam hinc esse omnino voluerit. Quae profecto auctoris confidentia illud mihi in mentem revocat, quod aliquando de se ipso Bernardus Iustinianus testatur (1); nempe cum se ad S. Laurentium patruum suum Venetorum patriarcham adhuc iuvenis contulisset, inter patriarchii schedas exiguum quendam libellum membranaceum reperisse, ubi universa Sanctorum corpora descripta erant, quae in urbe nostra vicinisque urbi locis servantur; cuius exordium a S. Marci corpore ducebatur, addito loco ubi illud quiescebat; quem tamen locum Iustinianus, patriis institutis obsequens, minime aperit. Puto tamen, anonymum modo relatum *vidisse* aliquid, quod evidentius adhuc et certius, quam iustinianeus ille libellus rem universam patefaceret. Nec aliter fortasse putandum de Allegro a nobis modo commemorato. Siquidem ait (2): *Ecclesia S. Marci VIII. idus Octobris dedicata est, ac reliquiarum loco in ea consecratione locatum est in ara maxima S. Marci corpus, ea ipsa arca inclusum, quae in ea pila, ex qua apparuit, reperta est.* Quis putet, virum piissimum simul et eruditissimum hoc ex suo cerebro, nullo auctore, tam fidenter scribere voluisse, praesertim in eo commentario, quod iussu Nicolai Da Ponte principis doctissimi concinnaverat, et S. Carolo Borromaeo obtulerat, homini non sanctitate magis et dignitate, quam doctrina et eruditione eminentissimo? Quid si, nondum cessante veteri instituto, id ex more a primicerio et procuratore acceperat Nicolaus dux; cessante vero veteris silentii causa, Allegro ipse communicaverat? Equidem id fidenter asserere nequaquam ausim: at quis ausit fidenter negare?

V. Verum ad superiora tempora progrediamur. Mitto modo Bernardum Iustinianum (3), qui cryptam sub altari (confessionem vocant) conditam tradit, *ut secretioribus reliquiis reponendis apta* esset; in qua tamen cum nullae unquam reliquiae conditae fuerint (nam ceterae marcianae aedis reliquiae prius quidem hinc inde ad latera maioris capellae, deinde in *thesauro* Ecclesiae servari consuevere) cum, inquam, nullae reliquiae conditae fuerint, nonnisi sacro illi corpori asservando extructa fuisse videtur. Hinc anonymus alius chronologus de eodem corpore loquens (4): *Illud,* inquit, *die octava Octobris eo demiserunt, ubi nunc est:* italice, *lo calorono dov'è al presente;* cryptam hanc ipsam duabus illis vocibus *lo calorono,* h. e. *demiserunt illud,* innuere volens, quae presbyterii pavimento subiecta est. Verum haec, inquam, missa facio; ac antiquiorem his omnibus testem produco, Marinum Sanutum iuniorem, qui extremo saeculo XV. floruit, quemque inter rerum italicarum scriptores edidit Muratorius (5). Is itaque in catalogo illo sanctorum corporum Venetiis asservatorum, quem historiae venetorum ducum praemisit, haec habet de S. Marco (6): *A S. Marco.*

---

(1) Loc. cit. — (2) Allegr. apud Xantem Della Valentina in schedis mss. *Fu consacrata la Chiesa di S. Marco a dì 8. Ottobre, e fu posto per reliquia in detta consecrazione nell' altar grande il corpo del detto santo, nella cassa istessa, qual fu trovata nel pilastro, dove apparse.* — (3) Loc cit. — (4) Ex schedis modo laudatis. Codex maninae fam. n. CXCII. — (5) Tom. XXII. — (6) Script. Rer. Ital. tom. XXII. pag. 437.

S. Marco vangelista. All'altar grande: ma non si vede: id est. *In aede S. Marci corpus S. Marci evangelistae in ara maiori. Non visitur.* Notam hanc, *non visitur,* corporibus omnibus apponit, quae sub mensa condita sunt. Iis vero, quae supra mensam, hanc alteram adiicit: *si vede,* id est: *visitur.* Idem vero Sanutus in Vitalis Faledri vita haec habet (1): *Die VIII. Octobris sub titulo S. Marci Ecclesia dedicata est, cum antea S. Theodori appellaretur: ac S. Marci corpus a duce, episcopo, primicerio et procuratore, amotis ceteris, sub ara maxima, ut fertur, secreto conditum est.* Vides itaque, iam trecentis ab hinc annis publica fama vulgatum fuisse sepulcri illius locum: imo Sanutum, qui publicam famam commemorat, in superius relato catalogo ita fidenter loqui, ut aliud quid fama ipsa firmius ac certius, quod sequeretur, habuisse putandus sit.

VI. Verum quod audacter atque manifeste Sanutus, id saeculo ante et sesqui subobscure innuerat Dandulus, qui altare, sub quo S. Marci corpus quiescit, non alio nomine appellare consuevit, nisi *altare S. Marci* (2). Cur S. Marci, si nulla in eo Marci imago, nisi exiguae quaedam in aurea pala icunculae, eaeque innumeris aliis Christi Salvatoris, Virginis Deiparae, sanctorum Angelorum et Apostolorum admixtae? Cur S. Marci, si nulla arae addita inscriptio, aut nota, quae Marci meminerit? Profecto nulla alia de causa, nisi quia S. Evangelistae corpus sub eodem requiesceret. Nec Dandulus tantum ita illud appellavit, sed communi omnium sermone ita vocari consuevisse certum est. Itaque sic nuncupatum reperio tum in antiquissima ducali promissione (ut vocant) quam affert in libro *De immunitatibus Ecclesiae S. Marci* Antonius de Faustinis eiusdem templi canonicus (3), tum in vetustissimis statutis canonicorum S. Marci editis a Galliciolo (4); quae monumenta Danduli aetatem vel aequant certe, vel fortasse etiam praecedunt. Sed quid Dandulum, aut statuta canonicorum, aut ducum promissiones commemoro? Mos fuit in urbe nostra antiquissimus (5), ut qui S. Marci corpus veneraturi ad Ecclesiam S. Marci accederent, altare illud devote circumirent, cumque circumpositae altari columellae, ne ad aram accedi posset, prohiberent, columnas podiumque altaris oscularentur: qui mos ad nostram usque aetatem perdurat; ita ut, dum ipsa divina officia peraguntur, id a feminis praesertim ne fieret, ego ipse qua eas aliquando deterrendo, qua increpatis aedituis aegre obtinere potuerim. Mitto lampades plurimas, quae ad nostram usque aetatem perpetuo ordine hinc inde suspensae accendebantur, haud pulcro sane adspectu, sed qui tamen antiquam illam ac rudem sequiorum saeculorum simplicitatem saperet, et ad Graecorum mores accederet: mitto solemnem supplicationem, quae quotannis ipso apparitionis fe-

---

(1) Ibid. pag. 479. *E dopo a di 8. d'Ottobre fu consacrata la detta Chiesa sotto il nome di S. Marco, che prima si chiamava S. Theodoro: e tolto il corpo sopradetto pel doge, vescovo, primicerio e procuratore di S. Marco soli, fu riposto, come è fama, nell'altar grande di detta Chiesa con grandissima credenza.* — (2) Lib. IX. cap. XI. part. I. Lib. X. cap. I. in praefat. et part. XXXIII. Vide supr. cap. IX. n. VIII. — (3) Apud Galliciol. Mem. Venet. lib. II. cap. XI. num. 982. — (4) Ibid. append. ad lib. II. num. 1879. 1884. 1895. — (5) Vide Macri Hierolex. ad vocem *Altare.*

sto die peragi solet (1), in qua ex antiquo instituto non iam inferiores tantum Ecclesiae alas, ut in aliis supplicationibus, sed presbyterium ipsum et aram maximam circumire solemni ritu sacerdotum et laicorum fratriae universae iubentur, quasi restitutum sibi eoque loco positum sacrum thesaurum gratulaturae: mitto denique solemnes quoque urbis et reipublicae ritus ad altare illud peractos; ducum et primiceriorum inaugurationes, tradita imperatoribus in hostes profecturis vexilla, oblata eorum donaria, qui sese voto sancto Evangelistae obstrinxerant, gratiarum actiones redditas, vel victoria de hoste relata, vel bello composito, vel urbe ab excidio et pestilentia servata, vel detectis coniurationibus, supplicioque sumpto de improbis et seditiosis, sexcentaque alia quae omnino ostendunt, Venetis non alibi sancti patroni sui corpus requiescere perpetuo persuasum fuisse.

VII. Addam adhuc alia eiusdem rei indicia longe maiora. Extat in minori fornice pilae illi incavato, quae medium tholum et meridianum sustentat, ac picturae illi adhaeret quam superius descripsimus (2); extat, inquam, picturae illi paene contigua pictura altera, ubi cernere est ducem facem manu gestantem sepulcro cuidam adstare, cui praesules gemini sacris vestibus induti, ac pontificalibus infulis redimiti, mortui hominis corpus committunt, addita epigraphe: COLLOCATIO SANCTI MARCI. Haud antiquam picturam illam esse, omnia ostendunt. Sacrorum indumentorum forma, latae antistitum mitrae, ducale diadema et vestis, qualem veneti principes nostra adhuc aetate gestabant, sepulcrum in urnae speciem conformatum romano more, omnia denique opus recentissimum produnt, patrum, aut avorum nostrorum aetate elaboratum. Verum quae prior inerat fornici illi pictura, quamque vidisse se Zanettius testatur (3), longe aliam rerum speciem exhibebat. Aderat altare Ecclesiae maius, quale nunc etiam videmus; geminique antistites, corpus hinc inde sustinentes, veterique cultu ornati, illud non iam urnae alicui committere, sed sub ara ipsa condere videbantur. Dux ipse etiam adstabat, sed vestium forma longe diversa: nec gestamen frontis in cornu speciem compositum erat, quod sero denique invectum est; sed vetus illud exhibebat, quod in apparitionis tabula aliisque antiquis musivis videre est. Tota denique picturae facies aetatem illam referre videbatur, quam exhibent geminae tabulae a nobis descriptae capite praecedenti (4); saeculum nempe XII. Porro putandum ne, pictorem, qui eam rei descriptionem concinnavit nondum fortasse integro saeculo elapso, ex quo gesta res fuerat, haec omnia pro arbitratu suo confixisse? Cumque illa aetate ea esset picturae indoles, quod eruditis omnibus constat, ut nihil sibi falsum, aut pro lubito excogitatum etiam elegantiae causa permitteret; sed si praesens exemplar adesset, illud adamussim exciperet ac simularet, ipsissimam quoque aedificiorum, vestium, locorum, personarum etiam, si fieri posset, et vultuum formam servaret, cuius, rei exempla marciana ipsa basilica paene innumera exhibet: adeo ne sibi indulsisse pi-

(1) Supra cap. IX. n. XV. — (2) Supra cap. IX. n. XIV. — (3) Vide Filiasi diss. cit. pag. 19. — (4) Num. XIV.

ctorem illum putabimus, ut locum et formam sepulcri, ceteraque universa pro ingenio confingeret, locatumque sub ara maxima Marcum exhiberet, quem alio omnino loco conditum esse constaret?

VIII. Addam huic picturae alteram a Xante Della Valentina aliisque (1) animadversam. Argenteam illam tabulam gemmis et margaritis distinctam, quam Petri I. Urseoli iussu Constantinopoli confectam, ac inde Venetias advectam alibi diximus (2), quaeque festis diebus exponi omnium oculis solet, reliquo omni tempore tabula altera lignea tegit, duplici sacrarum picturarum ordine decorata. Ac superior quidem imaginum ordo nihil ad nos: inferior S. Marci vitam septem tabellis expressam repraesentat, additis litteris picturam ipsam illustrantibus. Harum vero tabellarum, quae extima est ad *epistolae cornu,* haec verba habet inscripta: SEPVLTVRA S. MARCI (3), ubi *sepulturae* vox non sacri corporis depositionem, sed *sepulcrum* pro illius aetatis more significat. Porro in ea tabula ipsum, quod nunc extat, maioris arae ciborium (4) expressum videre est, quatuor columnis suffultum, in iisdemque exigua sigilla et columellae multiplici ordine insculptae, quales revera in alabastrinis ciborii columnis conspiciuntur. Ciborio urna subest quadrata, superius operculo clausa, quod geminae hinc inde ansae, sive annuli distinguunt. Urna vero ipsa quatuor brevioribus columnis incumbit, quam innumera circum infirmorum, captivorum, energumenorum turba circumstat, sancti Evangelistae opem imploratura. Pictura illa anno Christi MCCCXLV. ut ex apposita epigraphe constat, confecta est, eiusdemque cum laude Zanettius (5) et Lanzius (6) meminere: ille quidem operis antiquitatem, hic vero et elegantiam commendans. Est autem inscriptio huiusmodi... CCCXLV. (lege MCCCXLV.) MS. APL. DIE XXII. MAGISTER PAVLVS CVM LVCA ET IOHE FILIIS SVIS PINXERVNT HOC OPVS. De hac pictura antequam loquar, haec sunt animadvertenda. Primum, magistrum Paulum eodem illam anno pinxisse, quo Andreae Danduli ducis et procuratorum iussu interior pala pretiosissima instaurata fuit et renovata. Constat id ex versiculis aureae palae inscriptis, ubi legitur:

Post (idest postea) *quadrageno quinto* (sic) *post mille trecentos*
Dandolus Andreas praeclarus honore ducabat,
Nobilibusque viris tunc procurantibus almam
Ecclesiam Marci venerandam iure beati,
De Lauredanis Marco, Frescoque Quirino,
Tunc vetus haec pala gemmis pretiosa novatur.

Secundum, ligneam palam eiusdem ducis iussu confectam esse, non elegantem modo et decoram; verum etiam solidam et firmam, ut tot gemmarum ac unionum thesaurus tutius custodiretur. Tertium denique, Andream hunc Dandulum

(1) Manin cap. III. pag. 20. Filiasi pag. 22. Cicogna pag. 34. Petrus Bettio apud eundem loc. cit. etc. — (2) Supr. cap. II. n. VII. — (3) Vide Tabulam. V. — (4) *Ciborium*, h. e. tholus arae imminens, quatuor columnis incumbens. — (5) Della pitt. Venet. lib. I. — (6) Stor. pittorica tomo III.

illum ipsum esse, quem superius, addito ex Evangeliis iureiurando, professum audivimus (1), se bis inspexisse Marci sepulcrum; et cum procuratoris munere fungeretur, et postquam ad ducalem dignitatem evectus est. Hisce autem animadversis, sic statuo. Tabulam illam, Dandulo duce iubente, monente, opus ipsum disponente, pinxit magister Paulus: ergo quae in illa pinxit, rei veritatem exhibent; nisi velimus, Dandulum pictura illa proposita universo Venetiarum populo illusisse mendacio impudentissimo, et quidem in plura deinde saecula duraturo. Nec quis nobis silentium illud obiiciat, cui se solemni edito sacramento obstrinxerat dux. Nam cuiusmodi silentium illud esset, et in quo positum deinde ostendemus (2). At quod rem extra omnem dubitationem collocat illud est, quod cum anno MDCCCXI. altaris ara diruta fuit, urna quaedam marmorea reperta est, illi, quam in tabula expressit Paulus, similis prorsus, eodemque modo operculo marmoreo et ansis, sive annulis ornato contecta, columnis quatuor innitens: qua patefacta, sanctissimum illud corpus apparuit, quod nos Marci revera esse capite sequenti ostendemus. Et tamen urna illa ingentibus marmorearum tabularum molibus inclusa erat. Quis igitur Paulum docuit, nisi Dandulus (3), *qui vidit, et testimonium perhibuit, et verum est testimonium eius?* Nisi fortasse quis magistrum Paulum novum prophetam fuisse arbitretur. Cuius quidem pictura alterius etiam memoriam suggerit, quam mihi Petrus Bettio v. cl. bibliothecae marcianae praefectus videndam praebuit in antiquo missali, saeculo XIV. ineunte exarato; ubi S. Marci collocatio eodem fere modo picta est. Missale illud ad Ecclesiam S. Marci olim pertinuit; sed deinde in thesauro Ecclesiae asservatum, cum situ et loci humiditate corrumpi incepisset, Iacobi Morellii curis in regiam bibliothecam delatum est. Ac picturam illam iamdiu ante nos inspexerat Meschinellus (4); nec silentio Cicogna (5) et Filiasius (6) praeteriere.

IX. At nihil aeque ostendit, sacratissima illa lipsana sub ara maiori fuisse collocata, ac altaris ipsius magnificentia atque ornamentorum incredibilis plene splendor ac pretium: tum etiam singularis arae forma atque constructio, qua nulla corpori illi servando tutior ac munitior potuit excogitari. Dicam primum de apparatu atque divitiis: deinde de artificio atque soliditate. Iacet ara illa, ut diximus, sub medio fere tholo, qui imminet presbyterio, columellis olim ex africano, pario, et donyseo marmore, nequis propius accederet, undique inclusa. Arae ciborium imminet (7) ex eodem viridi Donysae marmore, quod ornamentis anaglyptico opere elaboratis ac auro obductis in arcus quatuor sinuatur, qui columnis totidem incumbentes, tentorii sive tabernaculi cuiusdam speciem repraesentant. In summa ciborii corona ad angulos singulos singula Evangelistarum signa eminent ex alabastro; medio vero fornici Christi Salvatoris imposita imago item ex alabastro. At columnae quatuor, quibus fornix innititur, ex orientali alabastro confectae, inauratis capitulis (siquidem minime auro parcere statu-

(1) Supr. n. IV. — (2) Cap. seq. n. II. — (3) Supr. n. III. — (4) La Chiesa ducale di S. Marco descr. tom. II. pag. 101. in notis. — (5) Lib. cit. pag. 35. — (6) Pag. 19. — (7) De Ciboriis vide Mabill. de Liturg. Gallic. lib. I. cap. VIII.

tum erat) in novem veluti zonas dissectae, novem exiguarum columellarum ac fornicum ordines sibi invicem superincumbentes exhibent, inditaque singulis arcubus et intercolumniis exigua sigilla, toto corpore extantia, ac pro illius aetatis barbarie marmorisque duritie satis affabre elaborata: ita ut columna quaelibet LXXII. columellas exhibeat, arcus totidem, totidem quoque exigua signa; atque illa omnia non addititia aut inserta, sed ex eodem lapide educta; simul vero acceptae columnae quatuor statuas omnino CCLXXXVIII. complectantur, totidemque fornices atque columellas (1). Mirum certe opus, sive materiem, sive artificium consideres, quodque vix ab illa aetate expectari potuisse videatur. Posticam arae partem columnae aliae quatuor, alabastrinis interiectae, exornant; quarum duae quidem ex pario marmore auream palam suffulciunt, duae vero pulcherrimae ex marmore donyseo Virginis Angelique illam salutantis signa, auratis capitulis innixa, sustentant. At imposita ara gradibus, in arcae modum marmoribus ex oriente devectis ex omni parte claudebatur: frontem vero ipsius sigillatum ex solido argento, auro inducto, *pallium* (2), ut vocant, tegebat; sollertis profecto et praeter aetatis suae morem peritissimi fusoris arte elaboratum. Mensae altaris aurea illa Urseoli tabula imminet, encausto opere et byzantinis picturis distincta; gemmis vero (3) MCXI., unionibus MCCC. ornatam dicam nescio, an oneratam. Haec perpetua ac immota arae illius ornamenta. Verum ubi solemniori pompa decoranda ara esset, inferebantur candelabra argentea magni ponderis auro obducta VI., lampades XXIV. et alia quaecumque sacrae liturgiae usibus inserviunt vasa aurea ac argentea: tum ex constantinopolitanis manubiis loricae aureae duodecim, coronaeque aureae totidem (4); loricae quidem MCLXXXIII. gemmis, margaritis vero IV. mill. CCXCIII. distinctae: coronae gemmis DCCCCXXV., unionibus vero MDCCXCVI.; ita ut, ceteris ornamentis praetermissis, pala simul loricae et coronae gemmarum III. millia circiter et CCXXX. exhiberent, easdemque magna ex parte maximi pretii: unionum vero VII. millia et CCCLXXXIX. Mitto, quae pone altare collocabantur, hastas, ut vocant, argenteas et pateras, lances, aulaea auro intexta argentoque, candelabra argentea ingentis magnitudinis auro contecta, qualia duo adhuc superant operis admirabilis, saeculo XIV. aut ineunte XV. elaborata, *fortunae monumenta prioris*. Mitto haec omnia, ac unum quaero: curnam tot altari illo decorando ditandoque profusae divitiae, tanta in illo extruendo magnificentia, in exornando instruendoque apparatu plusquam regio sollicitudo atque liberalitas? Nempe quia norant Veneti, patroni sui corpus ibidem requiescere: adhuc fortasse aliquid, non quidem splendidius, neque enim fieri poterat, sed elegantius atque magnificentius exhibituri, si melioribus ac peritioribus artificibus uti infanda illius aetatis barbaries sivisset.

X. Quod autem altaris cultus ac splendor satis per se aperit, id luculentius adhuc atque evidentius ipsius arae forma abditumque artificium demonstrat.

---

(1) Nonnulla ex hisce sigillis exhibet in hist. sculpturae Leopoldus Cicognara tom. I. — (2) *Paliotto, parapetto.* — (3) Vide Meschinelli loc. cit. tom. II. pag. 106. — (4) Meschinelli loc. cit. pag. 50.

Patet totius altaris massa in longum pedes circiter X., in altitudinem fere totidem, in latum sex; marmoreis tabulis ingentis magnitudinis composita, quae ferreis subscudibus uncisque connexae inter se atque colligatae, ita sibi invicem cohaerent, ut nonnisi magna vi diuturnoque opere divelli possint (1). Massae vero ipsius pars quaedam extat e pavimento, quae gradibus et columellis circumdata altaris aram efformat: pars altera longe maior sub pavimento deprimitur: quae subiectae presbyterio cryptae fornicem permeans, ac ipsam cryptam pervadens, columnis quatuor innititur (2): quas ceteris, quibus cryptae concameratio incumbit, crassiores solidioresque esse voluit artifex, ut superincumbentis molis ponderi ferendo essent pares. At quae inter ipsas patent intercolumnia, perpetuus columellarum ordo hinc inde et postica ex parte in loricae modum concludit (3); tum imposita columellis marmora, in transennae formam elegantissime cancellata (4), ad ipsam molis basin pertingunt; ita ut totum illud, quod massae subest, spatium tribus ex partibus intercludant. Anticum vero intercolumnium, non ita tamen ut impervium reddatur, ara clauditur, quae gradibus imposita columnarum altitudinem olim fere aequabat; nunc magna ex parte diruta lateritia fulcra tantum exhibet, quae marmoream arae mensam sustinebant (5). Porro quae pars ingentis massae pavimento supereminet (6), ea vacua, ac in loculi sive sepulcri speciem cavata, ubi altare anno MDCCCVIII. dirui coepit, inventa est. Pari modo pars altera, quae sub pavimento depressa est, duplicem et ipsa loculum sive sepulcrum continet, superius alterum (7), alterum inferius (8): sed quod inferius situm est, illud firmius et validius duplici marmorearum tabularum munimento undique clauditur, quas ferreae laminae plumbataeque invicem miro artificio connectunt. Itaque triplicem loculum ingens illa moles complexa triplicem quoque sacris reliquiis condendis exhibet veluti urnam, eamque satis amplam, humanoque corpori excipiendo opportunam. Sed nec illud praetermittendum, in postica altaris parte fenestellas geminas repertas, quarum una medium fere superioris arae tenebat (9), altera priori ad perpendiculum subiecta (10), massae partem in crypta latentem permeabat. Erat autem utraque haud ingentis magnitudinis; sed cui tamen non manus modo et brachia, sed et caput percommode inseri posset. Porro quae in crypta patebat, cum paullo altius collocata esset quam ab iis, qui pavimento insisterent, aut tangi posset aut pervadi, suppositis marmoreis quibusdam gradibus (11), accessu facilis reddebatur: superiori vero marmorea tabula parvis columellis suffulta secundum altare adhaerebat (12), quae homini in latus iacenti, aut supino excipiendo par erat; quaeque hinc quidem posteriori arae latere, illinc marmorea sponda in lectuli modum claudebatur. Haec totius molis species: cetera, quae in rem nostram non faciunt, praetermitto. Ea, si vacat, apud Filiasium (13) et Maninum (14) videre potes.

---

(1) Vide tab. VI. et VII. — (2) Tab. VI. litt. bbbb. tab. VII. o o. — (3) Tab. VI. ddd. tab. VII. litt. a. — (4) Tab. VII. litt. c. — (5) Tab. VI. a a. tab. VII. b. — (6) Tab. VII. litt. i. — (7) Ibid. d. — (8) Ibid. e. — (9) Ibid. z. — (10) Ibid. y. — (11) Ibid. f. — (12) Ibid. s. — (13) Filiasi pag. 7. et seqq. pag. 43. et seqq. — (14) Manin. cap. IV. pag. 23. et seqq.

XI. Enim vero altaris forma perspecta, quid de illa mihi statuendum videatur breviter animadverte. Ac primum quidem neminem puto mihi adversaturum, si dicam, ingentem illam lapidum molem tanta cura ac tam sollerti artificio elaboratam, ferreis subscudibus plumbatisque laminis operose connexam atque colligatam, non temere, aut nulla de causa extructam fuisse, sed certo consilio, dataque opera, nempe ut pretiosissimum aliquod pignus, atque carissimum tuto recondi posset. Quid vero sub altari nisi sancti alicuius viri, sive Martyris, sive Apostoli corpus asservari par erat? Hoc certe ferebat tum antiquus Ecclesiae mos, quo, ut saepe diximus, nonnisi sub altaribus Sanctorum corpora condi consuevere (1), tum Ecclesiae ipsius disciplina, quae sine Sanctorum corporibus, aut reliquiis altaria consecrari vetabat (2); tum denique *martyrii* nomen cryptis illis tributum, quae sub altaribus fodiebantur, eo quod nempe *martyrum* in ipsis corpora servarentur (3). Quod *martyrii* nomen ex graeco acceptum nostri in latinam linguam vertentes, concameratas illas cryptas, quae sub altaribus defossae erant, *confessiones* appellavere (4); siquidem *μάρτυρ* sive *μάρτυς* *confessorem*, *μαρτύριον* *confessionem* significat. Huiusmodi sunt, ut antiquissimam illam totoque orbe clarissimam S. Petri in Vaticano praetermittam, tum S. Zenonis crypta quae Veronae visitur in eius templo, tum patavina S. Iustinae alteraque S. Danielis in aede cathedrali, tum turcellana in templo S. Mariae, tum tarvisina aedis maioris; tum denique, ne ab urbe nostra discedam, venetae duae, antiqua una sub ara maxima S. Zachariae, recentior altera sub Ecclesia SS. Apostolorum Iudae et Simonis. At his omnibus longe augustior, nec fortasse ulli nisi veronensi S. Zenonis comparanda, confessio templi marciani, quam et nos in tabulis exhibemus (5), et Maninus ac Filiasius diligentissime descripsere. Ceterum, ut e diverticulo, ut aiunt, in viam redeamus, inspecta molis illius magnitudine, forma, firmitudine, soliditate, illud statim succurrit, fuisse illam Sanctorum corporibus asservandis aedificatam. Porro cuiusnam ne reliquias eo loco conditas existimaverim? Constat in marcianam basilicam tria tantum Sanctorum corpora illata fuisse. Nam de ceteris reliquiis non loquor, quas, norunt omnes, alio loco eodemque munitissimo universas fuisse asservatas (6). Sunt vero illa: S. Barbarae v. et m. Constantinopoli anno MIII. Venetias delatum (7), S. Isidori martyris Chio advectum anno MCXXV. (8), et S. Marci evangelistae. Atqui S. Barbarae corpus paullo post Turcellum translatum in templo S. Ioannis primum, nostra vero aetate in maiori Ecclesia S. Mariae conditum est (9): corpus vero S. Isidori prius obscuro loco positum, anno denique Christi MCCCLV. in capella a Dandulo aedificari coepta super altare situm est (10), ubi nunc quoque quiescit.

---

(1) Bona Liturg. Rer. lib. I. cap. XIX. n. V. — (2) Canon. Conc. African. apud Gratian. part. III. distinct. I. *de Consecr.* canon *Placuit*. — (3) Vide Du Cange, Macr. etc. ad vocem *Martyrium*. — (4) Iidem ad vocem *Confessio*. — (5) Tab. VI. — (6) Supr. n. VI. — (7) Dand. lib. IV. cap. VIII. part. XIII. lib. IX. cap. I. part. XLV. et LI. Cornel. Eccl. Turcell. pag. 106. — (8) Dand. lib. IV. cap. V. part. XXI. lib. IX. cap. XII. part. XIV. Cornel. Eccl. Venet. dec. XIII. part. I. pag. 108. — (9) Dand. lib. IX. cap. I. part. LI. Cornel. Eccl. Turcell. loc. cit. — (10) Cornel. Eccl. Ven. decad. XIII. part. I. pag. 108.

Superest igitur, nonnisi S. Marci exuviis servandis munitissimum illud sepulcrum fuisse aedificatum. Addit equidem Sanutus (1) S. Cyrum, quem Scodrae (2) olim quievisse ait, eiusque *cineres* post aram maiorem sitos dicit. Verum apud venetos historicos altum de illo silentium: nec quo loco post altare *cineres* illi locari potuerint divinare possum. Utcumque tamen se habeat res, S. Cyri corpori asservando nemo molem illam tam operosam erectam existimabit; praesertim cum S. Cyri lipsana, si Venetias unquam advecta sunt, nonnisi anno Christi MCCCCLXXVIII. translata fuerint, quo (3) Scodra Turcis dedita, universi urbis incolae patria relicta, abductisque quae sibi carissima erant, Venetiis magna ex parte recepti sunt. Hinc cum inter cetera etiam S. Cyri reliquiae huc allatae essent, placuit eas ad tempus post altare S. Marci reponere; ac ibidem eas esse haud falso Sanutus dixit, qui eo ipso tempore vivebat. Sed deinceps inde amotae, quo delitescant loco prorsus ignoro. Certe in altaris demolitione, quod ad Cyri corpus, nihil. Fortasse cum anno MDXXXIV. altare illud erectum est, quod post altare S. Marci conspicitur, ubi olim sanctissima Eucharistia, nunc insignis sanctae Crucis reliquia asservatur, cum, inquam, altare illud erectum est, S. Cyri lipsana eodem inclusa sunt. Verum, S. Cyro praetermisso, cuius non corpus, sed *cineres* Venetias advectos dicit Sanutus, nonne ipsa nobis ipsius molis firmitas atque soliditas satis ostendunt, nonnisi Marci corpori caute ac tuto custodiendo fuisse illam tanto artificio aedificatam? Equidem si superius allata Iustiniani verba perpendas (4), Venetos nempe S. Marci exuvias *eo loco sitas esse voluisse, unde nulla vis, aut ingenium, non ignis, non ferrum posset eruere;* profecto intelliges, nullum esse alterum in universa marciana basilica locum, in quem haec melius possent convenire. Si enim cum altare dirui coepit (5), artifices peritissimi, quibus scalpris, vectibus, malleis ceterisque artis suae instrumentis libere uti licebat, vix ad ipsum postremi loculi operculum post ingentes conatus diesque plurimos in opere insumptos pervenire potuerunt; ita ut, qui opus urgebat, Xaverius Gambonus patriarcha, de corpore illo reperiendo desperaverit: si Filiasius (6) testatur, vix se labore improbo duorum dierum multisque adhibitis artificibus aditum sibi ad illum loculum inspiciendum aperire potuisse: deinde interrupto ab ea parte opere, neque enim facile perfici poterat, satius existimasse (7) si, superiori ara penitus eversa atque sublata, ad illum ipsum loculum sibi viam patefaceret; ecquis unquam non videat, si S. Marci corpus eo loco repositum fuisset, nullo modo a furibus aut latronibus auferri posse, quibus et caute et noctu et silenter esset agendum et, quod omnium maximum puto, etiam celeriter; utpote quibus, orto sole et rima aliqua aut fractura patefacta, omnis prorsus eiusdem rei iterum tentandae experiendaeve spes intercluderetur? Nam de igne quid dicam, qui etsi Ecclesiam ipsam corriperet,

---

(1) Sanut. inter Script. Rer. Italic. tom. XXII. pag. 437. *In S. Marco. S. Ciro. Sono le ceneri dietro all' altar grande. Erano a Scutari.* — (2) Nunc *Scutari d'Albania.* — (3) Sabell. decad. III. lib. X. Sanut. inter Script. Rer. Italic. tomo XXII. pag. 1210. — (4) Supr. num. IV. — (5) Manin. cap. IV. pag. 23. Filiasi pag. 7. et seqq. — (6) Filiasi pag. 51. — (7) Ibid. pag. 52.

(corripuit (1) autem non semel) nihil praeter testudinum tecta comburere potuisset, cum in toto templo nihil praeterea ex materia constet, sed universa moles aut marmorea sit, aut lateritia? Qui tamen etsi muros ipsos, parietes, columnas everteret, quod tamen fieri nullo modo potest, nequaquam profecto loculo illi tam firmo, tam solido nocere posset, quique fortasse nec ipsa totius Ecclesiae collabefactae ruina laederetur. Porro cui bono tanta illius molis firmitas ac robur, tanta in ipsa extruenda tamque exquisita sollertia atque diligentia, siquidem non Marci corpus ibi erat reponendum?

XII. Nec geminas illas fenestellas, quas superius commemoravi (2), nec marmoreum lectulum altari adhaerentem, indictum praeteribo. Mos fuit antiquis Christianis, qui nec obsolevit adhuc, nec Deo dante unquam in Ecclesia obsolescet, Sanctorum reliquias reverenter tangere, devote osculari; ori, fronti, oculis et iis membris praesertim, quae morbo aliquo afflictarentur, religiose admovere; id quidem tum pietate ipsa in sanctos Dei servos, tum valetudinis recuperandae spe fiduciaque suggerente. Hinc Basilius (3), sive quis alius auctor commentarii in psalmum CXV. animadvertit: *Apud Iudaeos mortuorum exuvias immundas fuisse, martyrum vero pro Christo functorum reliquias venerabiles esse. Siquidem,* inquit, *nunc qui martyris ossa contigit, nescio quam accipit sanctificationis communionem ab insidente corpori illi gratia.* Eadem habet et hierosolymitanus Cyrillus (4), et in oratione de laudibus S. Theodori Gregorius Nyssenus. Iuvat huius verba referre: in rem siquidem nostram maxime faciunt (5). Is itaque cum dixisset, quicumque ad martyris alicuius bustum accedit, primum et basilicae formam admirari solere et sepulcri ipsius ornatum atque magnificentiam, subdit deinde: *Verum ubi elaboratis operibus, quae sensibus patent, oculos oblectaverit, cupit deinde ad sepulcrum ipsum accedere, utpote qui existimet, benedictionis cuiusdam ac sanctificationis instar esse vel ipsum tangere. Quod si pulverem sepulcro superfusum quis inde auferre permittat, pro munere pulvis accipitur, et quasi thesaurus diligenter asservandus terra colligitur. Ipsas vero exuvias contrectare, si cui tanta felicitas oblata fuerit, quam sit optabile, et vota ipsa exsuperans, norunt quicumque experti et invidendi huius desiderii compotes facti sunt. Siquidem qui illas intuentur, quasi vivens adhuc corpus ac vegetum deosculantur; ocu-*

---

(1) Vide Cornel dec. XIII. part. I. pag. 75. — (2) Supr. num. XI. — (3) Inter opera S. Basilii, append. tom. I. pag. 375. num. IV. Ὅτε Ἰουδαϊκῶς ἀπέθνησκον, βδελυκτὰ ἦν τὰ θνησιμαῖα· ὅτε ὑπὲρ Χριστοῦ ὁ θάνατος, τίμια τὰ λείψανα τῶν ὁσίων αὐτοῦ..... Νυνὶ δὲ ὁ ἁψάμενος ὀστέων μάρτυρος, λαμβάνει τινὰ μετουσίαν ἁγιασμοῦ ἐκ τῆς τῷ σώματι παρεδρευούσης χάριτος. — (4) Cateches. XVIII. n. XVI. — (5) Nyss. tom. III. pag. 580. Καὶ τοῖς αἰσθητοῖς οὕτω, φιλοτεχνήμασιν ἐνευπαθήσας τὴν ὄψιν, ἐπιθυμεῖ λοιπὸν καὶ αὐτῇ πλησιάσαι τῇ θήκῃ· ἁγιασμὸν καὶ εὐλογίαν τὴν ἐπαφὴν εἶναι πιστεύων. Εἰ δὲ καὶ κόνιν τὶς δοίη φέρειν τὴν ἐπικειμένην τῇ ἐπιφανείᾳ τῆς ἀναπαύσεως, δῶρον ὁ χοῦς λαμβάνεται, καὶ ὡς κειμήλιον ἡ γῆ θησαυρίζεται. Τὸ γὰρ αὐτοῦ τοῦ λειψάνου προσάψασθαι, εἰ ποτέ τις ἐπιτυχίᾳ τοιαύτῃ παράσχοι τὴν ἐξουσίαν, ὅπως ἐστὶ πολυπόθητον, καὶ εὐχῆς τῆς ἀνωτάτω τὸ δῶρον, ἴσασιν οἱ πεπειρασμένοι, καὶ τῆς τοιαύτης ἐπιθυμίας ἐμφορηθέντες. Ὡς σῶμα γὰρ αὐτὸ ζῶν καὶ ἀνθοῦν, οἱ βλέποντες κατασπάζονται, τοῖς ὀφθαλμοῖς, τῷ στόματι, ταῖς ἀκοαῖς, πάσαις προσάγοντες ταῖς αἰσθήσεσιν· εἶτα τὸ τῆς εὐλαβείας, καὶ τὸ τοῦ πάθους ἐπιχέοντες δάκρυον, ὡς ὁλοκλήρῳ καὶ φαινομένῳ τῷ μάρτυρι τὴν τοῦ προσβάλειν ἱκεσίαν, προσάγουσιν, ὡς δορυφόρον τοῦ Θεοῦ παρακαλοῦντες, ὡς λαμβάνοντα τὰς δωρεὰς, ὅταν ἐθέλῃ ἐπικαλούμενοι.

lis, labiis, auribus, sensibus denique omnibus admovent: deinde martyri veluti praesenti atque integro lacrymas dantes, quas amoris sensus ac doloris expressit, precantur ut pro ipsis intercedat, quasi Dei satellitem invocantes, quique, ubi velit, dona quaeque obtinere possit. Haec Nyssenus; quae nobis profecto ostendunt, quanta veneratione, qualive cultu sanctorum martyrum reliquiae semper habitae fuerint, quantaque sollicitudine tangere illas, videre, osculari veteres Christiani contenderent, quasi sanctificationem quandam ex earum visu contactuque percepturi. Id tamen cum nonnisi perraro fieri posset, siquidem marmoreis, argenteis, aeneis, aureisve loculis custodiri caute asservarique consuevere; loculos saltem ipsos, aut busta contingere, osculari, circumire avebant, eosque, ubi frequens multitudo adesset, quibus propius ad ipsam urnam accedere datum esset, beatissimos arbitrabantur. Quem morem Chrysostomus etiam respiciens in ea oratione, quae est de laudibus Ignatii antiocheni μεγαλομάρτυρος (1): *Non enim*, inquit, *corpora solum, sed et ipsae urnae Sanctorum spirituali gratia refertae sunt:* tum deinde subiicit (2): *Ita ut qui vel ipsam urnam fide tetigerit, multam inde egredientem virtutem attrahat.* Id itaque cum persuasum esset fidelibus, si quod martyris alicuius corpus ingenti aliquo monumento claudebatur, fenestras quasdam ac foramina in ipso mausoleo aperiri consuevere, quorum ope ad ipsam urnam propius accedere, eamque contingere possent, qui ipsum veneraturi advenissent. Porro fenestellarum huiusmodi haud semel mentio occurrit apud antiquos, easque memoratas videmus tum in libro Ardonis de vita Benedicti anianensis, tum apud Ughellum (3), ubi refert ex Puricello, Angilbertum mediolanensem episcopum in posteriori altari aperuisse angustum ostiolum duplex, per quod ad interiores reliquias patebat aditus; tum etiam apud alios (4): et easdem in antiquioribus sanctorum martyrum sepulcris nonnullis videre est, licet pro varia mausolei forma atque mole multiplex etiam ostiorum et fenestrarum forma esse debuerit. Sed nec illud praetermittendum, sepulcra illa columnis imponi eadem de causa plerumque consuevisse, scilicet ut sub ipsis etiam locus esset orantibus, infirmis praesertim (5), qui illuc in lodice aut culcita decumbentes deferebantur, tum energumenis etiam, maniacis, comitiali morbo laborantibus, quorum gratia lorica sine columellis locus ipse, ut in marciana crypta, circumdabatur, ne aut ipsi circumstantes laedere, aut ipsos populus visendi cupiditate opprimere posset. Hinc Patavii etiam S. Lucae et S. Matthiae tumuli, ex veteri S. Iustinae templo in novum translati, columnis incumbunt; et sub S. Antonii confessoris arca, ut vocant, loculus patet, quod portis etiam iisdemque firmis satis ac validis clauditur, ubi ex veteri more infirmi atque daemoniaci nostra etiam aetate nonnunquam poni solent. Vide quae de hac altarium et loculorum forma

---

(1) Chrys. tom. II. serm. de S. Ignatio, num. V. Οὐδὲ μὲν τὰ σώματα μόνον, ἀλλὰ καὶ αὐταὶ αἱ θῆκαι τῶν ἁγίων πνευματικῆς εἰσι πεπληρωμέναι χάριτος. — (2) Ibid. Καὶ θήκης μετὰ πίστεως ἁψάμενον πολλὴν ἐκεῖθεν ἐπισπάσασθαι δύναμιν. — (3) Ital. Sacr. tom. IV. in episc. mediol. — (4) Vide Mabill. libro cit. de altarib., Gregor. Turon. de Gloria Mart. lib. I. cap. XXXIII. XCIV. etc. — (5) Vide Adelhelm. Sagiensem de Mirac. S. Opportunae n. IX. tum libell. de Translat. S. Gorgonii cap. XIV. Gregor. Turon. de Glor. Mart. lib. I. cap. XXXIII. etc.

sapientissime disputat Mabillonius (1). Addam postremo, quod ex Gregorio turonensi (2) constat, huiusmodi sanctorum martyrum sepulcra, non modo qua parte in Ecclesia superiori extabant altari superposito decorata fuisse, verum et in inferiori crypta altare aliud habuisse; quale, eodem Gregorio teste, S. Petri altare Burdegalae (3) aetate sua visebatur.

XIII. Atqui haec omnia in marciano altari deprehendas. Adsunt fenestrae geminae (4) manibus, brachiis, capiti inserendo opportunae; adest sub ipso, inter columnas molem illam sustinentes, paratus infirmis locus (5) cancellisque conclusus; adest praeter superius, altare (6) etiam inferius, idemque ad ipsam molem conversum, quae *palae* praestet vicem; imo inferioris fenestellae latera ac postes, fumo atque fuligine nigrantes (7), satis ostendunt fuisse tempus aliquando, cum lampades cereaeve faces fenestrae illi voti causa accensae inderentur. Porro ecquid aliud haec omnia demostrant, nisi martyris alicuius exuvias eo loco requiescere, ac martyris tota urbe notissimi, utpote ad quem plurimi voti causa confluerent? hunc vero, quem denique eo loco, in eo templo, sub ara illa, nisi Marcum putabo? Quod vero ad marmoreum illum lectulum pertinet, quem superius memoravi (8), fateor me simile prorsus nihil in universa christiana antiquitate reperisse. Verum notandum est, lectulum illum, cum primum altare conditum est, nullum fuisse: additum vero processu temporis, et fortasse aetate haud omnino remotissima. Siquidem animadvertit Filiasius (9), ita locatum fuisse, ut fenestellae ipsi obiectum illam per transversum secaret; quae propterea, si quando esset recludenda, nonnisi ex parte aperiri posset, alteram interim partem lectuli ipsius sponda claudente. Porro, siquid divinare licet, crediderim, lectulum illum incommodo sane atque angusto loco paratum fuisse, postquam crypta altari subiecta marinis aquis per occultos meatùs penetrantibus repleri identidem coepit; quod saeculo XV. contigisse non dubitaverim. Refert siquidem Toderinius (10), anno Christi MDLXIII. sodales fratriae cuiusdam sub *S. Mariae Masculorum* nomine congregatae, quae in crypta illa orationis causa convenire consueverat, *tabulatum universum reficere, et aquam exantlare debuisse;* quae verba ex libris authenticis sodalitatis ipsius se afferre testatur. Si itaque eo anno *tabulatum reficiendum* fuit, iam antea tabulatum aliud extabat: quod tabulatum trabibus impositum, quas adhuc aquis supernatantes Filiasius adspexit (11), satis ostendit, iamdiu ante annum illum marinas aquas eo penetrasse, hoc est ab ipso saeculo XV. Quin imo cum saepe eveniat ut, aestivo praesertim tempore, maris aestus altius extollatur, nonnunquam etiam vento impellente ita se extollat, ut ipsas urbis vias ac plateas aquis operiat, haud puto omnino incredibile esse vel ipso saeculo XIV. accidisse nonnunquam, ut cryptae ipsius pavimentum undis impediretur. Id profecto cum primum Ecclesia condita est nequaquam evenire poterat, cum aestuariorum fundus depressior esset, nec in

---

(1) LL. cc. — (2) Loc. cit. — (3) Nunc *Bordeaux*. — (4) Tab. VII. z. y. — (5) Ib. c. tab. VI. ddd. — (6) Tab. VI. aa. tab. VII. b. — (7) Filiasi pag. 47. — (8) Supr. num. X. — (9) Pag. 9. — (10) *Memorie intorno all' antichissima scuola della Madonna de' Mascoli*. Ven. 1779. et 1791. cap. IV. *Convenne rifar tutto il suolo, e colar di fuora l' albergo*. — (11) Filiasi pag. 58.

eam altitudinem maris fluxus assurgeret, ad quam nunc ascendere illum videmus. Sed cum certum sit (1), et aestuariorum fundum et aquae superficiem sensim attolli apud nos, ita ut quae olim maxime edita loca videbantur ea nunc depressa sint, et aquis saepissime pervia: nil mirum saeculo XIV. ubi ultra modum fluxus excresceret, marcianam cryptam aquis patere coepisse, tum multo magis saeculo XV; ita ut demum saeculo XVI. mariani fratres illam omnino deserere (2), et alias se orationis causa transferre debuerint. Porro quotiescumque aquae locum illum tenerent, nullo modo infirmi eodem deferri poterant; quod fortasse in causa fuit, ut marmoreus ille lectulus pone altare statueretur, quem initio quidem nullum fuisse superius demonstravimus. Haec nostra coniectura: proferent alii alia et fortasse meliora.

XIV. Nunc his omnibus animadversis, quae latius exposuimus paucis complectamur. Ea est maioris arae forma in marciana basilica, ut omnia S. Marcum intra ipsam conquiescere persuadeant. Id et molis magnitudo ac firmitas (3), et apertae postica ex parte fenestellae (4), et subiectum moli spatium cancellis munitum, et ara duplex (5) superius inferiusque excitata, et obfusa inferiori fenestrae fuligo (6), et lectulus alteri appositus (7), et alia innumera haud obscure significant. His accedit ciborii et arae ipsius magnificentia atque apparatus (8), aurea vasa atque argentea ipsi altari imponi solita, gemmarum atque unionum vis paene incredibilis (9), communis Venetorum usus, qui altare illud sese S. Marco commendaturi circumeunt (10), supplicationes solemnes, in quibus pompa circum illud ducitur (11), aliaque id genus bene multa iam a nobis commemorata (12). Iis adde picturas vel antiquissimas (13), vel eorum iussu elaboratas, qui, quo loco Marcus requiesceret, optime norant (14), quae sub ara illa iacere ipsum ostendunt. Adde Sanuti (15) aliorumque (16) testimonia, quae id ipsum confirmant, sed praecipue anonymi a Cicogna producti (17), qui non rem modo fidenter asserit, sed illud adiicit, *vidisse se aetate sua eius rei argumentum, et id se posteris etiam testari posse:* haec quaeso omnia simul coniunge, et utrum alibi, quam sub ara maxima, S. Evangelistae corpus quaerendum sit, tute ipse perpende. Profecto alterutrum statuas necesse est. Aut illos, qui venetam rem moderabantur, ducem, proceres, senatores, viros gravissimos eosdemque magna ex parte religiosissimos, quibus auctoribus erecta moles illa est, et tot illa addita ornamenta, quique cetera omnia quae commemoravimus vel promovere ipsi, vel permisere, universis mortalibus illudere voluisse: vel certe gravissimo ipsorum testimonio standum esse, qui sin minus verbo, facto tamen ac ipsa re, quo loco sanctus Evangelista requiesceret nosmet docuere.

XV. Atqui, inquis, si ita est, quo tandem abiit severa illa silentii servandi lex, qua (18) dux, primicerius et procurator obstringebantur? aut quomodo

---

(1) Vide Temanza Pianta di Venez. pag. 9. nota a. Gallicioli. Mem. Ven. part. I. n. 32. 37. 38. App. ad tom. VIII. n. 36. 55. etc. — (2) Toderini lib. cit. cap. IV. pag. 26. — (3) Supr. n. X. XI. — (4) Num. XII. — (5) Num. XII. XIII. — (6) Num. XIII. — (7) Ibid. — (8) Num. IX. — (9) Ibid. — (10) Num. VI — (11) Ibid. — (12) Ibid. — (13) Num. VII. — (14) Num. VIII. — (15) Num. V. — (16) Num. IV. — (17) Ibid. — (18) Supr. num. III.

ignotus dici poterat sepulcri locus (1), quem ipsi reipublicae moderatores tot indiciis manifestabant? Nonne perlurus dicendus Dandulus, qui quam rem silentio obtegendam, interposito sacramento, spoponderat, eam exposita maioris arae tabula, seu *Pala,* non iam paucis arbitris aperuit, sed omnium oculis inspectandam obiecit? nonne stultissimi reipublicae proceres reputandi, qui, de qua re duci, procuratori, primicerio altissimum silentium indixerant, eam qua picturis, qua supplicationibus ad aram illam indictis, qua pompis per eam circumductis, qua fenestellis in ea patefactis, qua denique ipso totius altaris apparatu et magnificentia; non suis modo civibus, sed externis etiam, advenis, convenis, omnibus denique manifestarent? Equidem si magnum huic difficultati inesse pondus negarem, desipere me quisque iure crederet, vel etiam insanire: nec validius quidquam adversus sententiam nostram afferri posse confiteor. Attamen non id tantum est, ut non aliquo modo conciliari possit. Fuere qui silentium duci ceterisque indictum inficiarentur: omnia palam acta esse dicerent, omnia publica in luce: et tamen Marci corpus in ara maxima repositum omnino negarent. Haec quomodo simul stare possint non intelligo. Nam si omnia palam acta sunt, qui fieri potuit, ut vera loci notitia omnino interciderit, et interim tot simul indicia in locum illum conspirent, ubi tamen Marci corpus non esset? Verum hoc praetermisso, quicumque silentium indictum negant, hi Dandulo auctori gravissimo (2) fidem detrectent oportet, eumque impudentissime mentitum esse asseverent. At qui mentitum illum dicere possunt, qui locum illum non aliunde noverat, nisi quia in procuratorem adlectus, illum a duce et primicerio didicerat; quem morem per ea tempora servari consuevisse non modo ostendunt Danduli verba, cui fortasse nihil tribuunt; sed, quibus fidem denegare non possunt, acta ipsa authentica (3) Petri de Quadraginta cancellarii magni a Iustiniano relata? At mos ille qua de re inductus? an ut id reipublicae principi sub silentio innotesceret, quod actum publice esset, quod nemo Venetorum nesciret, de quo omnes, duce tantum ac duobus aliis exceptis, libere loquerentur? apage ineptum commentum. Fatendum est itaque, secreto corpus illud omnino repositum fuisse, *locumque,* ut optime habet Dandulus (4), *omnibus ignotum fuisse,* iis tribus exceptis, qui in partem secreti ex maiorum instituto admittebantur. At ut illud certum est, quicquid eruditissimo cuidam viro visum fuerit, ita certum etiam, Marcum sub ara maxima latere nemini ignotum fuisse. Nam ut omittam, id pro certo habuisse tum qui altare illud orationis gratia circuire, tangere, osculari consueverant, tum qui vel fenestellis immittebant manus, caput, brachia, tum qui in culcitis vel sub mole ipsa iacebant, vel marmoreo illi lectulo imponebantur (5), ut id, inquam, omittam: extat inter constitutiones antiquissimas canonicorum S. Marci, editas a Galliciolo (6), iuramentum, quod *custodes,* qui nunc sacristae appellantur, praestare olim, cum dignitatem illam adirent, consuevere; ubi inter cetera sacramenti verba, haec leguntur. *Iuro..... et quod non tractabo,*

(1) Ibidem. — (2) Supr. n. III. — (3) Supr. loc. cit. — (4) Supr. n. III. — (5) Supr. n. XIII. — (6) Memor. Venet. in appendice ad lib. II. capitulo XXXIX. num. 1901.

nec tractari faciam, quod corpus B. Marci et reliquiae Sanctorum in praedicta Ecclesia existentium furentur (sic), *vel tollantur. Et quam cito sciero vel percepero, quod aliquis velit tam praedictum corpus B. Marci, quam reliquias Sanctorum praedictas furari; omni timore, amore et mora postpositis, ero studiosus bona fide, sine fraude, manifestare primicerio, vel basilicanis per tempora* (forte *pro tempore*) *in Ecclesia S. Marci.* Capitulum hoc saeculo XIII. tribuit Galliciolus (1), ex eoque deducit, vulgo ea aetate Marci sepulcrum notum fuisse. Optime quidem. Nam nisi notum fuisset, ecquis unquam in ea Ecclesia, quae tam ampla esset, tot pilis, columnis abditisque locis referta, de corpore illo, ignoto loco iacente, suffurando cogitasset? Itaque per ea tempora et notus simul et ignotus erat Marci loculus. Notum enim tot indicia demonstrant: ignotum vero mos ille ac ritus solemnis, quo duci, procuratori, primicerio manifestabatur. Nec dicas notum quidem fuisse, eo quod vel eorum aliquis, quibus secretum fuerat demandatum, iusiurandum infregerit; vel adhibiti a Faledro duce caementarii, marmorarii aliique artifices rem incauti vulgaverint; et tamen rem nullo auctore in vulgus diffusam dissimulantes reipublicae principes, antiquum morem servasse, quod Emmanueli Cicogna (2) placuisse animadverto. Nam quid opus est violati iurisiurandi, secretique proditi homines illos insimulare, cum quod illi nonnisi fortasse submisse mussitantes prodere potuissent, id per se et tessellatae fornicum picturae, altaris apparatus ac forma, et patefactae orantibus fenestellae, et subiectus arae infirmorum locus, totque alia indicia, alta quasi voce proclamarent? Ea omnia certe ipsi silentii institutioni coaeva sunt, et ab iis ipsis profecta, qui silentium illud indixere: ita ut antiqui illi veneti proceres et quo loco Marcus iaceret ignotum omnibus esse voluerint, et iidem ipsi illum sub ara maxima conditum omnibus demonstrarent.

XVI. Qui profecto, nisi ineptos omnino ac stolidos fuisse velimus (quae certe nota antiquis Venetis a nemine adhuc, quod noverim, inusta fuit), aliud profecto cum silentium indicerent, aliud cum locum illum indicarent, spectasse dicendi sunt: ita ut in ipso altari proinde omnibus notissimo, ignotus iste solique duci et primicerio ac procuratori cognitus locus quaerendus sit. Nam qui sub ara maxima positum fuisse Marcum celare poterant, quam populo inspectante tam operose aedificaverant, cui extruendae tot caementariorum, marmorariorum fabrorumque cuiusque generis manus insudaverant, quamque non alium in usum paratam fuisse vel tardissimus quisque intelligere potuisset? Atqui id aperte fassi sunt, id et picturis exhiberi et innumeris indiciis confirmari siverunt; praesertim cum ea firmitate ac mole esset extructa, ut nihil marciano corpori, si eodem conderetur, aut ab igne, aut a ferro, aut a latronibus esset formidandum. At in quo tandem abnormis illius massae angulo corpus illud delitesceret, id vulgo ignotum esse voluerunt. Haec totius arcani summa; quod ducis, procuratoris et marciani antistitis fidei concreditum, nunquam, quod ipse noverim, ab illis proditum est. Hinc triplex ille in una eademque massa

(1) Num. 1902. — (2) Pag. 34. Vide etiam Manin. pag. 29.

loculus conditus (1), hinc tot illi in ipso molis sinu recessus atque labyrinthi, hinc denique ipsis molis illius structoribus ac fabris ignotus fortasse conditi corporis locus; cum facile omnino fuerit tot inter conditoria ita negotium administrare, ut caementarii ipsi atque marmorarii, quibus usus est Faledrus, locum illum ignorarent. Porro tot illae ambages nonne occultum omnino locum reddere debuere, quamvis sub ara maxima conditum pretiosissimum thesaurum nemo nesciret? Quod si processu temporis illud etiam, quod olim erat notissimum, e mente hominum excidit, nec iam quemquam reperire erat, qui corpus illud sub altare conditum esse certissime nosset, nil mirum. Nam et iamdiu obstructa crypta tota, illa inferior altaris moles ignota erat, ignota ipsa altaris forma, ignota fenestella ad arae tergus sita, vel saltem eius usus ignotus; ita ut mirandum non sit, Galliciolum ipsum dixisse (2): *Ineptum se prorsus habiturum, quicumque corpus illud in crypta quaerendum arbitraretur; utpote in qua, amoto veteri altari, nihil prorsus quod auferri posset adhuc superesset.* Nam quo alio modo loqueretur homo, qui cryptam illam nunquam vidisset? Quod si ita sensit vir venetarum rerum scientissimus, quid ni ita sentirent vulgares homines, qui loco ignoto sepultum Marcum audierant, nec nisi vacuam cryptam sub altari sitam esse arbitrabantur? At qui rem attentius pensitarunt, Cornelium (3) puta, Meschinellum (4) aliosque (5), hi certis indiciis ducti nobiscum omnino sensere: licet nos ipsa cryptae altarisque inspectione atque eversione edocti, ea argumenta afferre potuimus, quae illis nullo modo proponere licuisset.

---

(1) Supr. num. XI. — (2) Mem. Venet. append. part. II. num. 1902. *Sarebbe senza fondamento pensare che il corpo del S. Evangelista fosse nella confessione: perchè ivi non eravi che la Madonna oggi detta dei Mascoli, che indi fu rimossa nel* 1604. etc. — (3) Decad. XIII. part. I. pag. 70. — (4) La Chiesa duc. di S. Marco. tom. II. pag. 101. nota a. — (5) Ricciolium, Dolionum, etc. Apud Cornel. loc. cit. pag. 72.

CAPUT XI.

DE INVENTIONE ULTIMA CORPORIS S. MARCI EVANGELISTAE.

I. *Prooemium.* II. *Historia inventionis. Xaverius Gambonus patriarcha corpus S. Marci frustra requirit.* III. *Post Xaverium sacrum corpus requirunt marciani templi curatores, et sub ara maxima inveniunt.* IV. *Loculo effosso, corpus educitur. Eius descriptio.* V. *Reperta in feretro vascula nonnulla et annulus aureus. Tum aerei nummi argenteique.* VI. *Quaesitum de ligneo vasculo in Marci feretro invento.* VII. *Tum de cruce prope feretrum reperta.* VIII. *Item de plumbea lamina.* IX. *Quomodo ex hisce indiciis S. Marci corpus repertum fuisse conficiatur.* X. *Malignae de Faledro suspiciones amoventur.* XI. *Alia argumenta ad asserendam eius corporis veritatem.* XII. *Occurritur adversariorum difficultatibus. Ac primum solvitur difficultas ex aliis reliquiis deducta, sub ara illa repertis.* XIII. *Tum altera ex nummis ibidem inventis.* XIV. *Item alia ex lamina plumbea Faledri ducis.* XV. *Alia insuper ex S. Antonii reliquiis.* XVI. *Postrema demum ex aerea capsa, cui inclusum Marci corpus fuisse aiunt.* XVII. *Minores aliae difficultates. De iis obiter.* XVIII. *Conclusio.* XIX. *Operis peroratio.*

I. Hucusque coniecturis argumentisque ex antiquis monumentis ac ex altaris forma deductis actum sit. Nunc ad rem ipsam, prout acta est ac reperta, veniamus. Si, dum sepulcrum illud effoditur, quo loco massa illa maxime munita est atque solida, ac in ea urna, quae sub ceteris altius depressa crassioribus atque firmioribus tabulis compacta est, ligneus loculus purpureo strato contectus repertus esset, in quo demortui corpus cadaver iaceret, quod tamen dissolutum in cineres, nonnisi ossa, sed suo tamen ordine disposita, exhiberet: si ossa illa longa aetate exesa atque corrosa humidae cryptae salsedine, vel per ipsa marmora permeante, corrupta atque macerata ita mollescerent, ut vel leviter compressa digitis cederent, seque iampridem eo loco reposita fuisse ipsa teneritudine testarentur: si ad funeris caput lignea pyxis odoratis balsamis referta apposita esset: si arca ipsa lignea argenteis nummis, iisque multis, conspersa, devoti populi munuscula, quae in Sanctorum corporibus condendis afferri consueverant, quasi collecta repraesentaret: si nummi illi aut Vitalis Faledri aetatem, aut superiorem referrent, posteriorem non item: si aerea simul crux auro obducta, annulusque aureus sacerdotii et episcopatus insignia eodem loco inventa essent: si denique plumbea lamina accederet, quae saeculi XI. characteribus, rudi tamen stilo exarata, admoneret, *anno Christi MXCIV. die VIII. Octobris tempore Vitalis Faledri ducis* corpus illud eo loci fuisse collocatum: si haec omnia, nescio quo casu, simul convenirent, ecquem unquam eum esse existimares, cuius eo loco ossa condita inspiceres? Profecto aut omnia me ludunt, aut nullius profecto nisi Marci evangelistae lipsana illa esse diceres,

quae eo loco, eo tempore, eo cultu a Faledro duce condita reperisses. Atqui, quod ita contingere, si Marci corpus quaereretur, boni omnes maxime optarent; quod, si aliquando fieret hoc modo, bonos omnes atque adeo venetam urbem universam maxima laetitia perfunderet, quae patroni sui longe potentissimi corpus repertum fuisse dubitare nullo modo posset, id anno Christi MDCCCXI. ita Deo providente, feliciter contigit. Iuvat sacrae inventionis historiam venetis quidem civibus notissimam, externis non item, paucis referre; siquidem, ea relata, vel me etiam tacente, statim patebit, ipsissimum esse S. Evangelistae corpus, quod sub ara maxima marcianae basilicae repertum est.

II. Cum igitur anno Domini MDCCCVIII. (1) Xaverius Gambonus patriarcha corpus illud requirere statuisset, simulque altare S. Marci, quod nimis angustum illi videbatur atque impeditum, (illud enim columellarum septum ex omni parte angustabat) aperire atque dilatare, die IV. idus Maias antiqua structura demoliri coepta est. Erat ara illa in arcae modum erecta, quam stantes ex omni parte orientalis marmoris tabulae parietum more attollebant, superius vero abnormis magnitudinis tabula ex marmore veronensi claudebat. Amota mensa, vacua ara, atque in magnae capsae formam cavata reperta est, cuius latera stantes illae marmoreae tabulae ferreis laminis invicem connexae efformabant, imus vero fundus tribus item marmoreis tabulis simul iunctis constabat. At tabulae illae quidem ita dispositae erant, ut altera quidem ad dextrum altaris latus, altera ad sinistrum sita esset, tertia medium locum teneret; ipsarum vero iuncturae infimam capsae aream per transversum secarent. Porro mediae tabulae columella quaedam innitebatur, ad ipsam laterum altitudinem paene assurgens, cui capituli loco concha quaedam erat imposita satis affabre elaborata, quaeque mihi saeculi XIV. ingenium referre visa est (2). Ceterum nulla columellae nota, litterae nullae. Reliquiae Sanctorum aliquot in ipsa concha repertae, plumbeis thecis inclusae, quas interclusi aeris salsedo magna ex parte corruperat. Reperta etiam membrana quaedam et patriarchae tradita, quae post eius mortem nusquam reperta est. Testantur tamen qui ipsam inspexerant, theutonicis litteris, quas gothicas vocant, fuisse exaratam. Porro cum patriarcha vacuum omnino loculum reperisset, amota columella, quam nunc prope aram S. Clementis videre est, ipsa quoque altaris latera evertit, ita ut ara universa solo aequaretur. Tum tres illae marmoreae tabulae moveri coeptae, quae in arcae fundo conspiciebantur, quibusque tota iam eversae arae moles innitebatur. Ac media quidem, cui columella illa, quam superius commemoravi, imposita fuerat, nonnisi magno molimine atque aegre divelli potuit, utpote quae ferreis subscudibus, liquenti plumbo firmatis, contineretur: quae vero hinc inde positae erant nullo labore sublatae sunt. Illis vero remotis, loculus alter apparuit, vacuus omnino, sed in quo mortui hominis corpus percommode aptari posset (3). Fuit haec, labentibus saeculis VIII, IX. X. et XI., quo tempore

(1) Manin. pag. 23. Filiasi pag. 7. — (2) Tab. VII. i. arae mensa. x. columella: t. concha. — (3) Ibid. d. loculus inferior.

Sanctorum reliquiae magno studio conquirebantur, ac saepe furto ac fraude, nonnunquam etiam aperta vi (1) rapiebantur; fuit haec, inquam, nonnullorum diligentia atque ars, ut plures loculi in eodem sepulcro pararentur, quorum unus aut alter vacuus relinquebatur, quo ambiguo errore fures decepti, rapaces ab ipsis manus abstinerent: aut si quando rem essent aggressi, cum, una aut altera patefacta, vacuam utramque reperissent, iam de reliquiis ipsis eo loco inveniendis desperarent. Id, ut optime monet Maninius (2), et in S. Severini sepulcro videre fuit, qui, ut in historia saraceno-sicula legitur apud Muratorium (3), sub duplici urna eademque vacua iacebat, conditus ipse tertia quadam, duabus illis inferius sita; et patrum nostrorum memoria Clodiae patuit (4), cum in qua urna sanctorum martyrum Felicis et Fortunati corpora condita fuerant, urna altera superposita reperta est, quae nihil omnino nisi carbones aliquot contineret. Addere poterat Maninius, eadem forma constructum fuisse sepulcrum S. Nicolai (5), quod anno Domini MDCXXVIII., cum vetus Ecclesia demoliretur, a monachis littorensibus detectum est; et nunc etiam Buriani ad aram S. Albani martyris vacuam urnam ingentis magnitudinis ostendi, quae eiusdem sancti martyris loculo est superposita; atque ex veteri templo, ubi eodem modo locata fuerat, in novum, antiquitatis ostendendae gratia, translata est. Habemus igitur triplex eius moris exemplum apud nos, littorense, burianense, clodiense; ita ut nil mirum cuiquam videri debeat, idem omnino artificium, atque paene dixerim fraudem, asservandis etiam Marci lipsanis fuisse usurpatum. Ceterum ea fraus tanti fuit, ut vel ipse Xaverius antistes, cum, loculo illo effosso, nihil omnino reperisset, iam de Marci corpore obtinendo desperaret. Ingentem tamen ex rudi marmore tabulam, quae inferiori illi loculo substrata erat, amovit (6); eaque amota caementum durissimum reperit signino opere (7) elaboratum, quod malleo contusum amotumque marmoream alteram tabulam exhibuit, quae, veluti magnae cuiusdam capsae operculum, eiusdem capsae lateribus in labri modum excisis immissa erat (8). Operculo illi ansae geminae ferreae, sive annuli hinc inde additi erant, quales in feriali Danduli tabula pictor delineavit (9), qui tamen reclines, ac excavatis in ipsa tabula canaliculis inserti, liquatoque plumbo conclusi ipsi tabulae adhaerescebant: quam triplex etiam ferri lamina, ab uno ad oppositum capsae latus ducta, plumboque firmata, ita adstringebat, ut nonnisi magno labore inde posset avelli. Erant haec omnia, si rem serius expendisset antistes, haud dubia sacri corporis sub ea tabula latentis indicia. Siquidem operculum illud tale erat omnino, quale in laudata tabula Dandulus pingi iusserat. At ille, quaecumque demum eius rei causa fuerit, ab eo deinde requirendo abstinuit omnino. Qui tamen deinde admonitus, esse cryptam quandam sub altari, quae olim cultu populi frequens, nunc aqua oppleta obturatisque portis nemini prorsus pateret; posse illum, aditu sibi pa-

(1) Vide Muratori Antiq. Ital. diss. LVIII. — (2) Pag. 25. — (3) Script. Rer. Italic. tom. I. — (4) Relaz. Istor. del martirio, transl. invenz. de santi martiri Felice e Fortun. di Chioggia. — (5) Vide Cornel. dec. XII. pag. 85. — (6) Tab. VII. litt. m. — (7) Italis *battuto*, Venetis vero *terrazzo*. Vide tab. VII. litt. n. — (8) Ibid. litt. r. — (9) Supr. cap. X. num. VI Vide tabulam V.

tefacto, eo accedere, ac marmoreum illud monumentum ex inferiori parte pertentare, si qua corpus illud lateret; cryptam quidem ingressus est, sed moli illi neutiquam manum admovit, sive quod ipsum rei difficultas ab incepto deterruerit, sive quod iam sacri illius corporis inveniendi spem universam ex animo deposuisset. Ita re infecta Xaverius: paullo post obiit Mediolani; cum multa interim de tota illa inquisitionis historia in vulgus iactarentur, hominesque de ea re alii alia pro suo quisque ingenio ac lubito dictitarent. Sed nec illud praetermittendum, fuisse qui cum S. Marci corpus frustra quaesitum nequaquam reperiri posse crederent, alterius S. Marci martyris corpus Roma ex catacumbis advectum, quod in templo S. Augustini quiescebat, eo inferendum suaderent: quod corpus inde advectum in patriarchales etiam aedes illatum est. Id tamen factum non fuisse certissime constat. Nam post antistitis mortem corpus illud apud antistitem ipsum repertum est, suoque loco restitutum. Extant eius rei in patriarchali tabulario monumenta, cum in fraudis auctores gravissime post antistitis mortem quaesitum fuerit.

III. Haec Xaverius patriarcha, nec praeterea quidquam. Verum cum post Xaverii mortem palatio et marcianae Ecclesiae reparandis Nicolaus Vendramenus Calergius p. v., Iacobus Filiasius comes a nobis saepe laudatus, Antonius Diedo p. v. curatores publica auctoritate creati fuissent; ipsos statim sanctissimi illius thesauri, quem frustra Xaverius quaesierat, desiderium ingens incessit. Itaque anno Christi MDCCCXI. VII. (1) kal. Februarii cryptam ingressi (namque ea ex parte molem ipsam infringere et intima eius scrutari constituerant) statim operi manum admoverunt, non modo sacri corporis reperiendi cupiditate impellente, verum etiam urgente loci ipsius insalubritate et morbidi aeris atque pestilentis gravitate. Aderant simul praeter artifices Leonardus Maninius saepe a nobis laudatus et Augustinus Corrierius marcianae basilicae subsacrista, vir in his, quae ad basilicam illam pertinent, eruditissimus: quos non honoris tantum causa commemoro (quamvis et suus est honori locus) verum etiam ut constet, quaecumque hoc loco afferimus, ea nos ab oculatis testibus accepisse. Itaque aliquam ingentis molis partem dissolvere aggressi artifices, non quidem posticam ipsius partem, ubi fenestella illa a nobis superius memorata pandebatur, sed anticam, quae fere superioris arae podio suberat (2), diruere aggressi sunt. Ac primum magnam caementi vim, qua moles ipsa ab illo latere tegebatur, scalpris malleisque confregere. Ea vero amota, marmora quae ipsi suberant diffringere conati, mirum quantum operis laborisque insumpsere, cum ferri aciem marmorum rigor hebetaret atque retunderet, nonnunquam etiam validius percussa saxa ferreos scalpros infringerent atque comminuerent. Diu in opere illo laboratum: verum illud mirandum prorsus, quod marmoreo illo munimento discisso atque patefacto, marmoreus alter paries apparuit firmior adhuc atque solidior, ita ut rei difficultate perculsi artifices paene animos desponderent. Tum

(1) Memoria lapsus fortasse Filiasius pag. 50. id anno MDCCCIX. contigisse dicit. Verum Cicogna in ipsa opusculi fronte et Maninius pag. 25. annum exhibent a nobis relatum, nempe MDCCCXI. — (2) Tab. VII. litt. v.

vero acrius instare omnes, atque lapicidas urgere: hortari artifices Corrierius, ac ex ipsa loci munitione bene sibi ominari; non sine causa tam firmum ac tutum loculum fuisse extructum, ac profecto pretiosissimum illud pignus eo loco latere, quem tam solidum munitumque maiores nostri voluissent. Biduo parieti perforando insudatum: denique sub noctem exigua rima patefacta, per quam immissus baculus, dum vacuum locum pertentat, in mollius nescio quid incurrit, quod ligneae capsae simile visum est. Itaque rima latius deducta, ingestoque lumine loculus commodius exploratur, ac feretrum apparet purpureo panno contectum. Tum demum gaudere omnes, inventumque thesaurum invicem gratulari: osculari marmora illa, atque collacrymari: maiorum nostrorum consilium, ac omnia circumspicientem sapientiam extollere, qui pretiosissimum illud pignus tam munito ac paene inexpugnabili loco condidissent. Verum cum iam nox ingrueret, dominicus vero instaret dies, nec feretrum sine antistitis urbisque praefecti iussione loco movendum videretur, obstructa crypta, sacri corporis translatio in alium diem dilata est. Interim cum Filiasius ex infecti aeris contagione oculorum morbum contraxisset, ac alia nonnulla impedimenta intercessissent, res in diem pridie nonas Maii eiusdem anni differtur.

IV. Ea vero die constituta, cum animadversum esset, operculum illud ipsum annulis instructum, ac sub inferiori urna situm, quod Xaverius patriarcha detexerat, illud ipsum esse, quod loculum modo repertum inclusumque feretrum tegebat; placuit, omissa crypta, ex superiori loco ad ipsum descendere, eoque amoto sacrum pignus elevare. Itaque sub nocte adhibiti caementarii, qui altaris podium, nondum solide restitutum, dissolverent, ac rursus operculum illud detegerent. Itaque amotis ruderibus marmorea illa tabula reperta est, quam ubi quisque conspexit, Xaverii oscitantiam satis nunquam mirari potuit, quem ingens illa inter *palae* picturam et tabulam illam similitudo, de quaerendo sub ipsa Marci corpore nequaquam admonuisset. Tum vero triplex ferrea lamina, qua operculum illud lateribus nectebatur, evulsa est atque dissecta: haud aegre illa tamen: siquidem rubigo ac situs paene omnem exederat. Sed et ansae geminae, sive annuli diffracto plumbo, magna vi a canaliculis educti atque divulsi, immissoque per ipsos vecte, operculum magni ponderis e labris eductum amotumque. Tunc denique feretrum ipsum detectum; quod, ut diximus, purpureus pannus tegebat fimbriatis laciniis multicoloribus hinc inde pendentibus. Verum et salsus aer, qui saxa ipsa permearat, et ipsa temporis diuturnitas ita stratum illud corruperat, ut vel leviter tactum aranearum telarum more dilaberetur. At feretrum, quamvis ipsum quoque humor salsus pervasisset, firmius tamen atque compactius elevari commode potuit, tutoque in thesauri locum transferri. Aderat ea die praeter superius memoratos Ecclesiae marcianae curatores baro Galvagna urbis praefectus, aderat illustrissimus et reverendissimus Fortunatus Rosata canonicus atque, patriarchali sede vacante, cancellarius capitularis, qui rem in Acta redigeret, aderant nonnulli alii, interque illos Maninius et Corrierus; ita ut nihil tumultuario more et perperam, sed rite omnia ac legitime peracta fuerint, eo prorsus modo, quo in huiusmodi sanctorum corporum *recognitionibus* fieri consuevit. Ac primum capsa ipsa explorata est, quae cum

ad eam formam exacta esset et ad eam magnitudinem, qua lignei mortuorum loculi construuntur, latior scilicet qua parte caput et humeri, angustior qua crura et pedes siti sunt, ipsa sui forma atque specie insinuare videbatur, se non iam ossibus tantum nonnullis divulsis atque invicem dissolutis, sed integro humano corpori excipiendo paratam fuisse: ac proinde Zenonem abbatem (1) et Anonymum littorensem (2) nequaquam mentitos, qui *integrum et incorruptum* sancti Marci corpus anno Christi MXCIV. repertum fuisse testati sunt. Quod si non ita in hac ultima eiusdem *inventione* contigit, id salsi aeris humiditati tribuendum. Nam pollinctorum balsama, quibus hanc sacri pignoris conservati causam tribuimus alibi (3), ubi corpus exsiccaverint, illud incorruptum quidem et perpetuum servare possunt: at ubi illa humor, salsus praesertim, permearit, veluti iniecto fermento ebulliunt atque fervescunt, ita ut non modo vim suam amittant, verum ea ipsa, quibus insunt, corpora dissolvantur atque tabescant. Fuere qui capsam illam ex alexandrino sepulcro deductam crederent; falso illi tamen: nam ex historia translationis apprime constat, nullam ab ea urbe capsam delatam fuisse. Nam ubi ex alexandrino sepulcro effossus est Marcus, ubi serico tantum velo tectus iacebat (4), *foliis* tantum *olerum* contectus est, suillis carnibus superius impositis (5), tum navigii velis obvolutus (6), e quibus eductum *sub solario navis locaverunt,* funibus scilicet nautico more ex tabulato navis suspensum. Ceterum coniecturae locum praebuit aerea lamella capsae operculo clavellis infixa, quae eo sita fuerat, ut lignum carie perforatum clauderet muniretque, quod indicium erat capsam illam non iam novam fuisse, cum anno MXCIV. Marci lipsana sub altari condita sunt: sollerter id quidem, acuteque animadversum. At nequaquam necesse erat, loculum illum ab Alexandria usque arcessere, cum toties sub Urseolis aliisque corpus illud loco suo motum fuerit; et Allegrius alias a nobis productus (7) testetur, Marci corpus sub ara maxima conditum fuisse anno MXCIV. eo ipso loculo inclusum, in quo dum e pila se proderet inventum est. Porro inspecto feretro, eiusdem operculum ablatum est nullo negotio: vix enim capsae haerebat, clavis rubigine et salsedine paene consumptis: eo dempto, integri fere hominis ossa apparuere, serico linteo, sive *brandeo* (8) carnei coloris involuta, eoque ferme ordine disposita, quo in viventis corpore sita sunt. Verum ea omnia ita aer salsus pervaserat, ut ex illis nonnulla aere admisso in pulverem humore subactum ac fere in lutum dilaberentur: multa vero ita mollescerent, ut si ea vel leviter summo digito pressisses, statim in cerae calefactae modum impressionem reciperent: pauca denique, ea nempe quae durissima in humano corpore sunt, cranium, tibiae, ulnae, scapulae aliaque huiusmodi, firma adhuc ac solida viderentur.

V. At capsae fundum ingens argenteorum nummorum vis paene tegebat: ita tamen situ ac rubigine exesi erant, ut nullam fere typorum formam serva-

---

(1) Supr. cap. IX. num. XIII. — (2) Ibid. n. XII. Vide supr. cap. V. adnot. 28. — (3) Supr. cap. V. loc. cit. — (4) Supr. cap. IV. n. XI. — (5) Ibid. n. XIII. — (6) Ibid. — (7) Supr. cap. X. num. IV. — (8) De brandeis vide supr. cap. V. nota 28.

rent (1): aderant et aerea fragmenta plurima, aereorum nummorum reliquiae: siquidem citius aes, quam argentum rubigo consumit. Fuit hic veterum mos, ut in sanctorum corporum loculis, antequam sepulcro clauderentur, monetas aereas argenteasque religionis ergo coniicerent, ut apud Boldettum (2) aliosque a Maninio (3) et Filiasio (4) productos videre est. Certe cum fere ab hinc decennio S. Helenae corpus, quod in eius nominis insula quiescebat, defossum esset, ut Venetias deveheretur, in eiusdem sanctissimae imperatricis loculo argentei nummi longe plurimi reperti sunt: quod indicium est certissimum, hunc morem apud maiores etiam nostros obtinuisse. Ceterum praeter nummos alia etiam in marciano loculo inventa. Nam et annulus aureus repertus (5), haud magni quidem ille pretii, sed quem fortasse olim inserta palae gemma commendabat: at nunc pro gemma, gemmae locus: eam vero toto feretro diu quaesitam reperire non fuit; et lignea pyxis inventa concreto balsamo oppleta (6), cuius balsami exigua pars igni imposita suavissimo odore aedem perflavit; et incensi micae plurimae hac illac dispersae, et pyxis altera lignea pone Evangelistae caput haud omnino rudi ac ineleganti artificio elaborata (7). Habes omnia haec in tabula diligenter delineata, quae veluti totidem indicia sanctitatis sanctorum virorum corporibus addi consuevisse certum est. Nam incensum apud Christianos nonnisi Deo eiusque Sanctis adhiberi norunt universi: vascula vero balsamo oppleta saepissime in sanctorum martyrum loculis reperiri apud Maninium (8) testatur Boldettus (9). De annulo diu quaesitum. Suspicatur Maninius (10), Dominicum Contarenum, olivolensem episcopum, qui sancti corporis collocationi interfuit, illum e digito suo detractum S. Evangelistae fortasse obtulisse. Nam latinos episcopos aureis annulis uti per ea tempora consuevisse ex eo ostendit, quod Graeci inter cetera in quibus Latinos reprehendere ea aetate consueverant, hoc quoque vitio vertebant, quod eorum antistites huiusmodi annulos circumgestarent (11). Acute haec quidem et erudite. Verum cum gradensis quoque patriarcha, quicumque demum ille fuerit, nam tres anno illo ab Ughello (12) ponuntur; cum, inquam, gradensis patriarcha sacrae repositioni adfuisse putandus sit; imo revera adfuisse testatur anonymus a nobis alias (13) relatus; idque etiam confirmari possit testimonio antiqui musivi a nobis superius (14) ex Zanettio descripti, ubi non unus, sed gemini antistites, sacrum illud corpus curantes, picti visebantur, haud profecto mihi tutum videtur id olivolensi episcopo tribuere, quod aeque gradensi patriarchae tribui potuisset. Quid vero si ipsum Faledrum ducem obtulisse quis diceret? an annulum tam exiguum minime Venetorum ducem decuisse arbitrabimur? atqui haud multo maiorem, imo minorem fortasse, annulum S. Ludovici Gallorum regis apud moniales S. Clarae huius nostrae urbis vidisse memini, quem cum clavo Christi atque eadem theca inclusum mihi ipsae ostendere. Quid si annulum illum, Marci corpore nondum dissoluto, eiusdem di-

(1) Tab. VIII. fig. 4. — (2) Osservaz. sui Cimiterii de' Martiri. — (3) Pag. 33. — (4) Pag. 64. — (5) Tab. VIII. fig. 5. — (6) Tab. VIII. fig. 2. — (7) Tab. VIII. fig. 3. — (8) Pag. 30. — (9) Libr. cit. — (10) Pag. 35. — (11) Vide Theophylact. de errorib. Latin. n. 2. Oper. tom. III. — (12) Ital. Sacr. tom. V. — (13) Supr. cap. X. n. V. — (14) Supr. cap. X. n. VIII.

gito insertum existimem? certe nec absurda mihi sententia videtur, nec omnino spernenda. Cum enim ita sit exiguus, ut vix auricularis digitus immitti in ipsum possit, videtur profecto exsiccati potius corporis manui, quam viventis hominis convenire. Illud tamen certissimum, certi nihil hac de re afferri posse.

VI. Disputatum etiam de pyxide illa altera, et acrius quam de ceteris disputatum. Ubi enim aperta est, frustula in ea nonnulla serico involuta reperta sunt, quae ipsa quoque Marci reliquias esse, e Marci corpore divulsa, plerique existimarunt. Inerant etiam nummi aliquot, ceteris, ut visum est, in feretro repertis omnino similes, quos tamen cum non ita aerugo deformasset, eorumque typi adhuc extarent, cuiusnam essent aetatis facile agnitum est. De illis inferius agemus. At de reliquiis ingens deinde oborta dubitatio. Nam dum omnia diligenter scrutantur qui aderant, animadversum est in ligneo pyxidis operculo graecas quasdam litteras inscriptas esse, quas in adiecta tabula videre potes (1). Eas v. cl. Iacobus Morellius regiae bibliothecae praefectus legit: ΑΝΤΟΝΙΟΣ. ΑΓΙΟΣ. h. e. *S. Antonius;* ac reliquias ad S. Antonium celeberrimum apud Aegyptios monachorum patrem pertinere existimavit (2). Neque enim absurdum videbatur, aegyptios monachos, apud quos S. Marci corpus servabatur, sanctissimi patris atque institutoris sui reliquias aliquot possedisse, quas, ut sacratissimo loco servarent, iuxta Marci corpus collocaverint: Venetos vero, ablatis Marci lipsanis, illas etiam secum tulisse, et sacro pignori adiunctas perpetuo servasse. Verum haec, utcumque sollerter excogitata videantur, suspecta mihi tamen maxime sunt. Plurima siquidem subeunt, quae vix aut ne vix quidem cum hac sententia possint conciliari. Ac primum inscriptas pyxidi litteras, duas illas voces quas inde exsculpsit Morellius, nequaquam reddere, plura sunt quae persuadeant. Nam quod ille legit ΑΝΤΟΝΙΟΣ ΑΓΙΟΣ, *ANTONIVS SANCTUS,* ordine verborum inverso, non eam simplicitatem exhibet, quae in huiusmodi inscriptionibus apud Graecos servari consuevit, apud quos saepe invenies: ὁ ἅγιος Χριστόφορος, ὁ ἅγιος Πρόδρομος, ὁ ἅγιος Παντελεήμων, scil. *S. Christophorus, S. Praecursor, S. Pantaleon,* frequentius etiam: τοῦ ἁγίου Γεωργίου, τῆς ἁγίας Μάρθας *S. Georgii, S. Marthae* etc. nunquam vero Παντελεήμων ἅγιος, Γεόργιος ἅγιος etc. *Panteleemon,* sive *Pantaleon sanctus, Georgius sanctus, etc.* Vide ex his inscriptionibus bene multas ex marciani sacrarii thecis exscriptas apud Cornelium in decadibus (3). Verum haec levior animadversio. Scripserit pro lubito, quicumque litterulas illas sacrae pyxidi adiecit ordine praepostero, ac contra gentis suae morem verborum seriem inverterit: nunquam tamen ex illis notis id, quod Morellio visum est, elicies, hoc est ΑΝΤΟΝΙΟΣ ΑΓΙΟΣ (4). Nam in priori voce litterae ΑΝΤ. . . . Ν. ita dispositae sunt, ut littera Τ. ab extrema Ν. nimium distet, eaque pateat lacuna quae sola littera Ο nonnisi absurde et inconcinne suppleri possit hoc modo ΑΝΤΟΝΙΟΣ; nec secunda vox ΑΓΗ$^{\partial}$ per ΑΓΙΟΣ exponi potest, cum ΑΓΙΟΣ per Ι *iota* scriben-

(1) Tab. VIII. fig. 3. — (2) Manin. pag. 31. — (3) Dec. XIII. part. I. pag. 151. et seq. — (4) Vide Tab. VIII. fig. 3.

dum sit, hic vero non I. *iota*, sed H. *eta* habeatur. Illa etiam compendii nota ϑ posita extremo loco, non iam ΟΣ, quod ita ⊕ scribitur, sed aliud quippiam innuere videtur, quod tamen cuiusmodi sit statuere non ausim. Nec magis quid universis illis litteris innuatur, divinarim: hoc unum tantum contendo, voces a Morellio excogitatas nullo modo ex inscriptis operculo litteris extundi posse. Nec negaverim graecos amanuenses peccare saepissime in orthographia, et aliquando pro littera I. *iota* alteram H. *eta* apponere, praesertim postquam haec postrema, quae olim ut E. latinum efferebatur, per I. pronuntiari consuevit. Verum multa nimis in duabus tantum vocibus a scriptore peccari vult, qui illas legit ΑΝΤΟΝΙΟΣ ΑΓΙΟΣ. Nam is et inversum verborum ordinem, et prioris vocis litteras inconcinne distractas ac diductas, et H. pro I. subiectum, et notam ϑ loco alterius ⊕ positam fateatur necesse est. Apage incredibilem hominis oscitantiam in verbis duobus quater peccantis. At inquies: tu vero, qui interpretationem illam reiicis, quam porro ipse exhibes? Nemo me reprehendat, si nullam profero; satis enim mihi est in praesentia morellianam evertere, quae tot otiosorum hominum sermonibus ansam praebuit (1). Ceterum duo haec animadverte. Primum: Quodcumque demum litterae illae significent, optime tamen novisse antiquos Venetos quid lignea illa pyxide clauderetur. Id non sericum modo, quo frustula illa involuta erant, ostendit, sed multo magis monetae aliquot obsequii ergo eidem pyxidi inclusae; quae cum, ut dicemus (2), italicae sint, imo et venetae, et post alexandrinam translationem cusae, non iam ab Aegyptiis, sed a Venetis inditae sunt. Alterum est: Secundam illam vocem ΑΓΗ^{ϑ} si nominativo casu accipias, ita ut nihil apposita nota ϑ indicet, sed tantum ornamenti gratia addita fuerit, legendumque sit ἀγή, vel ἄγη, significare *vulnus, gaudium, fractura, fluctus, admiratio:* si vero siglam ϑ loco τοῦ Σ positam putes, eadem prorsus reddere, sed casu genitivo. At priorem vocem, ex qua litterae tres, vel quatuor exciderunt, interpretari non ita pronum. Possem coniectari, fortasse scriptum fuisse ΑΝΤΙΔΟΤΟΝ ΑΓΗΣ, *antidotum vulneris*, ΑΝΤΙΤΟΝΟΣ ΑΓΗΣ *repressor fluctus*, aut quid simile; quasi pyxis illa Marci reliquiis referta phylacterii, aut amuleti loco ad corporis morbos ac vulnerum dolorem, tum etiam ad fluctus sedandos adhiberetur: amant siquidem Graeci huiusmodi inscriptiones reliquiis apponere (3). Possem et alia multa coniectando proferre, quae tamen, ut verum fatear, ne mihi ipsi quidem arrident. Quaerant alii, si placet: illud tamen prae oculis habeant, dispersas illas litteras aliis interpositis colligare, Sibyllae potius opus esse quam critici. Ceterum si quid est tot inter tenebras, quod minus fortasse absurdum videri possit, putarem, pyxidem illam in alios ante usus comparatam, et qua fortasse pretiosum balsamum aliquod, sive unguentum e Graecia fuerat advectum, cuius gratia epigraphe illa addita fuerat ΑΝΤΙΔΟΤΟΝ ΑΓΗΣ *Antidotum vulnerum*, sive *fracturarum*, vel quid simile, paucis iis fragmentis excipiendis quae ex integro adhuc Marci corpore

(1) Vide Manin. pag. 31. — (2) Infr. num. XIII. — (3) Vide Cornel. dec. XIII. part. I. pag. 151. et seqq.

exciderant, adhibitam fuisse; et ideo adhibitam, quod adhuc balsami illius reliquiis ac odore imbuta, ipsis a corruptione servandis aptissima videretur. Nam sacrorum corporum vel exiguas particulas asservari diligenter, cumque ipsis sepulcro condi consuevisse, sanguinis vascula vel exigua, in sacris caemeteriis cum martyrum corporibus saepe inventa, demonstrant (1). Verum haec omnia non tam coniectando, quam divinando potius a me dicta accipi velim. Nemo tamen mihi auctor persuaserit, frustula illa, quae in Marci feretro et pone ipsum Evangelistae caput reperta sunt, ad alium quemlibet, quam ad Marcum ipsum pertinere. Si enim alterius essent, poterant illa quidem in eadem urna collocari: at cur eodem etiam feretro et tam insigni loco posita clauderentur, profecto non erat.

VII. Atque haec in ipso sancti corporis loculo omnia reperta. At extra loculum ipsum, qua parte martyris caput situm erat, capsula alia inventa, quae vix palmum in quadrum excederet, quaeque dum artifices opus urgerent nescio quo casu diffracta fuerat. Capsulam ansae geminae hinc inde ornabant ex aere inaurato, totamque extima ex parte eburneae tabellae tegebant, anaglypho opere caelatae, capsulaeque ipsi eburneis aciculis adfixae. Ansarum et tabellarum artificium satis elegans, ac X. vel XI. saeculi ingenium referens; cum antiquae elegantiae atque concinnitatis vestigia nonnulla adhuc extarent. Hinc et pavonis et aquilae et leonis et aliorum animantium effigies tabellae illae exhibent satis affabre elaboratas; tum flores circellis eleganter inscriptos, taeniolas, frondes, capreolos, maeandros flexuosis ambagibus in sese redeuntes, aliaque id genus (2). Interius capsula ipsa deaurata fuisse videbatur, quamvis longo situ aurum fere omne excidisset; interque ipsius diffractae latera, cimelium duplex repertum, aenea nempe crux auro obducta, et plumbea lamina litteris aliquot inscripta. Dicam itaque de cruce primum, deinde de lamina. Ac crux quidem (3) ex iis erat, quas collo suspensas episcopi gestare solent, hoc tantum excepto, quod eiusdem brachia, pes ac superior scapus, quo magis a medio ad extrema vergebant, latius aliquantisper diducebantur. Porro crux ipsa in duas partes diffissa; anterior una, posterior altera: utraque vero pars, in thecae modum cavata, ita alteri congruit, ut utriusque labris simul coniunctis vix rima aliqua appareat. Geminas hasce partes annuli ex summo atque imo scapo utrinque exstantes, invicemque inserti ac transmissa fibula connexi, constringunt; summo vero scapo annulus alter adiicitur, per quem traiecto funiculo crux ipsa collo suspenditur. Funiculi eiusdem reliquium, annulo illi adhuc insertum, inventum est. Fibula autem educta, sanctarum reliquiarum frustulis incensique micis referta crux inventa est, ut eae fere esse consuevere, quas Graeci ἐνκολπίους σταυροῦς *pectorales cruces*, Latini *phylacteria* a graeca item voce φυλακτήριον *custodia, conservatorium* appellarunt, eo quod et suspensae collo gestarentur, et Sanctorum reliquiae in ipsis asservarentur. Porro huiusmodi *phylacteriorum* frequens apud ecclesiasticos scriptores occurrit mentio; eaque

(1) Manin. pag. 30. — (2) Vide tab. IX. — (3) Tab. VIII. fig. 1.

non ab episcopis tantum, verum ab aliis etiam, regibus puta ac principibus, imo a cuiusque conditionis hominibus circumferri consuevisse plurimis exemplis ostendit Du Fresnius (1), quem, si vacat, adire poteris, quemadmodum et Gretserum in libris *De Cruce* (2). Hinc quamvis Maninii coniecturam non improbem, qui crucem hanc a Dominico olivolensi episcopo oblatam suspicatur (3); attamen illam non modo a gradensi quoque patriarcha (4), verum et ab aliis etiam donari potuisse non dubito; praesertim ab ipso Faledro, cum hunc *phylacteriorum* gestandorum morem praecipue apud viros principes obtinuisse Du Fresnius (5) ostendat; qui nunc nonnisi episcopis ac ditioribus tantum e plebe femellis reservatus videtur. Optime tamen animadvertit Maninius (6), allatisque exemplis nonnullis demonstrat, huiusmodi cruces haud raro in Sanctorum sepulcris reperiri, sive illas pii viri religionis ergo sanctis martyribus obtulerint, sive ideo positae fuerint, ut eius sanctitatem testarentur, cuius ipsae corpus tam insigni ornamento decorabant.

VIII. Dixi hucusque de cruce; dicam modo de lamina (7). Cruci proxima plumbea lamina reperta est, in qua ferreo stilo incisa huiusmodi inscriptio legebatur:

ANN ICARNE IHV XPI MILL. NO
NAG QVARTO. DIE OCTAVO ICHOAN
TE MENS OCTVB. TPR VITAL
FALETRI DVCIS

h. e. *Anno* ab *incarnatione Iesu Christi millesimo nonagesimo quarto. die octavo inchoante mense Octubrio. tempore Vitalis Faletri ducis.* Vox illa *die octavo inchoante,* non, ut quibusdam visum est, significat ipso die inchoante, hoc est mane: sed inchoante mense Octobris, ita ut idem sit ac die octavo Octobris. Siquidem ea aetate decem primi cuiuslibet mensis dies *inchoantis mensis* dicebantur; postremi vero decem *mensis desinentis* appellabantur. Ac primi quidem a mensis kalendis numerabantur, postremi versa vice in pridie kalendas mensis sequentis desinebant; ita ut, exempli gratia, *octava inchoantis Octobris* est eiusdem mensis dies octava; *octava desinentis Octobris* est eiusdem mensis dies XXIV. a qua ad pridie kal. Novembris dies VIII. numerantur. Morem hunc a Graecis nostri acceperant, qui eadem numerandorum mensis dierum methodo uti consueverunt (8), ac illos quidem ἱσταμένου sive ἀρχομένου μηνός, *instantis* vel *ineuntis mensis dies* appellabant, hos vero φθίνοντος, λήγοντος, ἀπεόντος μηνός, hoc est *mensis cadentis, desinentis, exeuntis.* Sed haec obiter. Illud potius animadvertendum, litterarum formam in plumbea illa tabella saeculum XI. quod praeportat, omnino referre: ac quamvis rudi manu exaratae sint, antiquam tamen romanorum characterum formam servare, quae, ut eruditi

(1) In not. ad Alexiad. Annae Comnenae pag. 248. edit. Paris. — (2) Lib. II. cap. XXVII. — (3) Pag. 28. — (4) Vide supr. n. V. — (5) Loc. cit. — (6) Ibid. — (7) Tab. IX. — (8) Vide Theod. Gazam de mens. Graecor. apud Petavium de doct. temp. tom. III.

omnes norunt, adhuc saeculo XI. perdurabat. Ceterum dubitari non potest, ideo tabellam hanc eo loco sitam fuisse, ut si quando contigisset tumulum illum effodi, quo die, quo anno, quove duce sacra illa lipsana ibidem locata fuissent, posteris innotesceret; quod in huiusmodi monumentis fieri solere eruditis notissimum est.

IX. Atque haec in sanctissimi illius corporis inventione reperta, nec praeterea quidquam: quae vero deinde secuta sunt referre nihil in rem nostram; aut quomodo illud corpus ex veteri feretro iam fatiscente et humore corrupto, in novum translatum fuerit; aut quomodo appositis omnibus quae cum ipso inventa fuerant, ac clauso loculo sigillisque munito, iterum sub ara maxima fuerit collocatum. Extant eius collocationis acta in tabulario patriarchali, quae mihi pro humanitate in me sua communicavit reverendissimus dominus Fortunatus Rosata, canonicus et patriarchalis cancellarius, qui ipse omnibus ex munere interfuit, ac in acta rem universam redegit. Sed Filiasius (1) etiam eandem rem fuse prosequitur, apud quem plumbeae quoque laminae, quae in rei gestae memoriam addita est, inscriptionem legere potes. Haec tamen, inquam, nihil in rem nostram. Illud potius pervestigandum, quomodo quae huc usque de inventione illa retulimus, evidenter ostendant, corpus illud, quod sub ara maxima inventum est, nonnisi Marci evangelistae esse posse. Ac primum neminem fore arbitror, qui in controversiam vocare velit, utrum sancti alicuius viri et inter caelites ab Ecclesia recepti corpus illud ipsum putandum sit, an potius alicuius ex christiana plebe hominis casu aliquo eo loco reconditi. Nam quod corpus sub altari reperias, loculo in altari ipso praeparato inclusum atque tumulatum, ita ut et super ipsum superius, et ante ipsum inferius divinum sacrificium offerri possit; hoc profecto viri sanctissimi esse, quemque inter divos Ecclesia recenseat, nisi omnino insanias, dubitare non potes. Adde sparsa religionis gratia numismata, adde sericis velis decenter obvolutum, adde adiecta aromata ac balsama honoris gratia, adde depositi funeris diem plumbeae laminae insculptum, adde feretrum non nigro, sed purpureo panno contectum, adde cetera omnia; profecto nunquam eo dementiae devenies, ut tam illustri loco ac tanta reverentia atque cultu communis conditionis atque virtutis hominem tumulatum arbitreris. Atqui si sancti alicuius viri atque beatissimi ossa illa sunt, cuius potius dicam, quam Marci? Nam quem nisi Marcum existimabo, quem in Ecclesia Marco nuncupata, in altari Marci nomine dedicato (2) honorificentissime conditum inveniam? Quem nisi Marcum putabo, quem in ara illa sepultum videam, quae et tutissima sit et fortissima (3), ac in eo praesertim monumenti loco, qui summo artificio atque ingenti molitione munitus, neque ab igne pervadi, nec ferro facile exscindi, nec a latronibus furibusque posset effodi? Quem nisi Marcum, super cuius corpus altare longe magnificentissimum impositum sit (4), peregrinis marmoribus extructum, admirabili opificio elaboratum, oneratum auro, argento, gemmis, unionibus, ita ut vix alte-

(1) Pag. 59. — (2) Supr. cap. X. n. VI. — (3) Ibid. n. X. — (4) Ibid. n. IX.

rum illi par, tota qua late patet Ecclesia, posset reperiri? quem nisi Marcum, cuius tumulus ita sit constructus, ut facilis ad eius urnam duabus fenestris patefactis accessus pateret (1), quibus vel orationis gratia Christiani accederent, vel aegri lintea et vestes imponerent, quae sanctificationem quasi quandam ex eius loculi contactu contraherent, vel denique per quas ore ac capite immisso, saxa ipsa loculi tangere atque osculari liceret? quem denique nisi Marcum credam, cuius tumulo marmoreus lectulus (2), infirmis excipiendis appositus adhuc exstet, quasi certissimum frequentiae illius indicium, qua olim ad illum ipsum tumulum undecumque accurri consuevit; et prodigiorum, quae illic patrabantur, longe clarissimum monumentum? Haec certe qui perpendat, nonnisi Marcum eo loco situm fateri debebit, Marcum scilicet, quem summo honore Veneti prosecuti perpetuo sunt; qui ne sibi aliquando eriperetur, summa cura atque sollicitudine iugiter praecavere; ad quem non modo ex urbe tota, sed ex externis etiam gentibus ac ex remotissimis orbis terrarum regionibus peregrinos adventare consuevisse, historicorum monumenta testantur. Quod si cui non ista sufficiunt, iam quaeram, cuiusnam corpus illud fuisse existimet, quod Marci esse inficiatur. Profecto si Marci non est, attamen fatendum est, ara illa inspecta, alterius esse martyris longe clarissimi, quem urbs tota atque adeo externae gentes devote venerarentur, ad quem deferrentur infirmi, quique late prodigiorum fama atque splendore claresceret: id enim tot illa arae adiecta indicia, fenestrae, gradus, lectulus, aliaque id genus ostendunt evidentissime. At quis hic tandem erit martyr toto orbe clarissimus? an Barbara virgo alexandrina? at illam Turcellum delatam iam vidimus (3). An Isidorus? sed quo loco Isidorus quiescat non ignoramus. An quis alius, cuius notitia longa aetate exciderit? At, praeter Isidorum, Barbaram et Marcum, alium Sanctorum neminem in marcianam basilicam illatum fuisse, nullus historicorum unquam docuit: nec ita hebetes, aut incuriosos fuisse maiores nostros quis dixerit, ut ad cuius tumulum undique occurri soleret ac portenta innumera quotidie conspici, eius vel turpiter nomen ignorarent, aut notum olim et certum turpius adhuc deinde excidere paterentur. Quid quod X. saeculi scriptor Sagorninus et Dandulus nihil omnino de hoc corpore memorant, nihil Sanutus aut chronologi ceteri; quamvis ceterorum, quae tota urbe dispersa sunt, et translationem et sepulcri locum diligentissime recenseant; imo acta ipsa ad litteram afferant?

X. An dices, quod ultimum est desperatae causae perfugium, Faledrum, cum alibi Marci corpus occulte deposuisset, corpus illud alterum, cuiuscumque illud tandem sit, sub ara maxima collocasse, ut furacium manuum ausus eluderet, obiectoque cadavere alterius, Marci corpus urbi gentique suae in perpetuum servaret? Proh hominum fidem! quid demum hoc aliud est, nisi Faledrum, ut civem optimum bonumque principem effingas, scelestissimum simul ac stultissimum comminisci; cuius tamen tot ac tanta cum pietatis et religionis, tum sapientiae atque prudentiae monumenta a nostris historicis efferun-

(1) Ibid. n. X. XII. — (2) Ibid. n. XIII. — (3) Supr. cap. X. n. XI.

tur? Nam quid scelestius quam Sanctorum corpora commutare, ac pro clarissimi et sanctissimi Evangelistae lipsanis, hominis corpus subiicere aut incertae virtutis, aut fortasse in aeternum damnati? Corpus vero illud regio prorsus apparatu decorare, illi marmoreum altare imponere, ad illud infirmos piosque viros venerandum colendumque advocare, super illud reverenda religionis mysteria conficere; vero interim Marci corpore neglecto, ac in abdito quopiam Ecclesiae angulo delitescente, ac situ ipso et squalore fortasse paullatim in cineres ac putredinem abeunte? Tu ne tanti sceleris religiosissimum principem, nullo teste, nullo monumento producto, inauditum, imo mortuum insimulare audebis; quod scelus, si hoc modo in civile iudicium etiam de vulgari homine afferres, satis tibi ad calumniatorum poenam subeundam esse posset? Et id Faledrum caritate in patriam permotum egisse existimabis, quod ne scelestissimus quidem princeps fecisse, nisi re omnino explorata, dicendus esset? Equidem si, ut Marci corpus civibus suis in perpetuum servaret, Faledrus fraudem hanc commentus est; putavit profecto, multum esse sancto Evangelistae tribuendum, utpote cuius apud Deum intercessio plurimum posset; ac proinde, religione ipsa ac fide impellente, ut thesaurum illum perennem urbi nostrae redderet, adductus est. Quam vero absurdum, hominem tam pie ac recte de religione sentientem in tantam deinde impietatem delabi? nonne ille scelestum non se modo, sed et stultissimum ostendisset? At finge id Faledro in mentem venisse. Id ne et antistites, quos certe res latere non poterat, id patriarcha, id primicerius, procurator, proceres denique ipsi sivissent? vide quot et quantos fraudis auctores confingas necesse est, quos tamen ne inter scelestos recenseas ipse pudor profecto prohibebit. Scelestos ne dicam, an stultos? atqui stultos etiam atque deliros. Nam quid opus erat, sepulcrum illud tam diligenter communire, siquidem non ipsum Marci corpus illi erat committendum? quid tot in ipsum ornamenta ac divitias conferre? quid ineptum mendacium scelestissime comminisci, et credulae populorum pietati tot illis indiciis illudere? Nonne satis erat in vulgus edere, Marci corpus occulte fuisse compositum: esse illud quidem in Ecclesia, ac parietum ambitu contineri: locum tamen silentio tegi, ut fraudi furtoque aditus clauderetur? quis illos reprehenderet? quis ambigeret? quis vel iniuratis non crederet, cum iam corpus illud per quatuor integros menses conspexisset? Mitto quae multa alia in hanc rem dici possent; imo neque haec ipsa protulissem, nisi mihi cum suspiciosissimis atque malignis etiam adversariis rem esse cognovissem.

XI. Audi nunc alia. Danduli ducis iussu, qui Marci sepulcrum bis a se visum, addito sacramento, testatur, tabula quaedam conficitur (1). In ea sepulcrum illud situm sub ciborio arae maximae, coloribus expressum, cernere est; ea prorsus forma, qua nos alias descripsimus, ac aeneis formis impressum exhibemus. Porro ubi primum tabula illa a Dandulo proposita est, potuit quis suspicari, sepulcri illius formam fuisse, ut assolet, a pictore pro lubito simula-

(1) Supr. cap. X. n. VIII. Vide tab. V.

tam, ut aliqua ratione Marci tumulum repraesentaret. At altare deinde evertitur, et Marci corpus requiritur. Defossa altius humo, sub ciborio marmorea arca repente obiicitur, illi per omnia similis, quae in pictura conspicitur (1). Idem operculum arcae labris insertum, eaedem ansae, sive annuli hinc inde appositi, tum columnae quatuor urnam illam, prout in tabula ipsa, suffulciunt. Operculo dempto, hominis corpus feretro inclusum apparet: quod profecto certissima indicia nonnisi beatissimi viri alicuius esse posse demonstrant. Cuius ne dicam? Nonne, si ipse adsim, Dandulum ipsum veluti praesentem intueri mihi videar, et intento digito nunc altaris tabulam, nunc effossum sepulcrum indicantem? Nonne loquentem etiam audire credam atque conclamantem, iam se antiquo illo sacramento exsolutum aperte testari, illud ipsum esse tumulum, quem aliquando inspexisset; et ideo in illa tabula pingendum adamussim curasse, ut, si casu aliquo in apricum prodiret, illud Marci esse, ipsius tabulae testimonio constaret? quid porro dicam de lamina prope corpus inventa? Referunt historici, (2), iique coaevi, die VIII. Octobris anni MXCIV. Marci corpus a Faledro reconditum: et annus idem ac dies, idem ducis nomen in lamina exhibetur. Aut igitur Marci corpus illud est, aut duplex corpus eadem die, eodem anno a Faledro eodem conditum dicas necesse est. At si duplex corpus, cur altum de hac re apud antiquos silentium? cur corpus illud, quod Marci esse negas, eo loco positum, ubi illud omnia ipsissimum Marci corpus esse persuadeant; nec tamen additum aliquid in plumbea tabella, quod posteros ab errore removeat? Omnia simul coniunge, ac quid de re tota sentiendum sit, tute ipse constitue. Equidem maiorum nostrorum sapientiam singularem ac paene divinam mirari satis non possum, qui cum pretiosissimum corpus ita sibi servandum esse proposuissent, ut et ab omni fraude tutum redderent, et tamen cultu suo minime destitueretur; ita rem universam sunt moderati, ut et quo loco ipsum quiesceret plurimi nescirent, et locum tamen illum universi colerent frequentarentque: et si quando repertum esset, idipsum quod iamdiu latuerat innumeris prorsus indiciis atque certissimis innotesceret: ita ut nisi veritati ipsi, manifestissimae licet, pervicaciter obluctari velimus, corpus sancti Evangelistae, quod Alexandria advectum maiores nostri suscepere, illud ipsum esse, quod sub ara maxima marcianae basilicae anno Christi MDCCCXI. repertum est, fateamur necesse sit.

XII. Sed quoniam morosis etiam ac fastidiosis nonnullis hominibus occurrendum est, qui levibus quibusdam coniecturis atque cavillationibus, quod negare omnino non possunt, saltem quibusdam veluti nebulis conantur obducere; his etiam, antequam operi finem imponimus, breviter occurramus. Ac primum obiiciunt (3), si corpus Marci revera in illo altari conditum fuisset, nunquam maiores nostros ipsi altaris mensae alias sanctorum martyrum reliquias, exiguo sepulcro excavato, indere voluisse: multoque minus columellam illam adiicere, quae intra ipsum altare reperta est, cuius capitulum reliquiis refertum fuisse

(1) Supr. n. II. — (2) Supr. cap. X. n. II. — (3) Filiasi pag. 20.

superius tradidimus (1). Ipsum Marci corpus satis esse potuisse, ut ecclesiasticae legi fieret satis, qua altaria sine Sanctorum reliquiis consecrari prohibentur. At qui haec opponunt, satis ne quae ipsi dicant intelligunt? Si reliquiae illae in mensa et sub mensa reconditae quicquam conficerent, ostenderent illae profecto, non iam Marci corpus, sed nec alterius ullius in altari illo quievisse: additae siquidem ideo fuissent, ne altare illud contra Ecclesiae leges Sanctorum lipsanis destitueretur; ac proinde etiam ostenderent, vel falsum esse, corpus aliquod in eo altari latere, vel, si quod demum repertum esset, illud Sancti alicuius non esse. Atqui corpus revera sub ipso inventum est, et illud Sancti alicuius esse iam constat: nihil ergo ex duplici illa reliquiarum theca concludi potest. Ac quo quidem tempore nullum sub altari illo corpus conditum fuisse adhuc constabat, poterant reliquiae illae fortasse in suspicionem aliquam homines inducere, ut Marci lipsana alio loco condita esse existimarent: nunc vero sacro illo corpore, cuiuscumque demum illud sit, sub ara invento, iam patet nec necessario additas esse, nec quicquam aut pro Marco, aut contra Marcum ex illis coniici posse. Optime tamen monet Cornelius (2), reliquias, quae in mensa sunt, eas sua aetate *canonicum quendam, qui nimis videri voluit in ecclesiasticis ritibus eruditus, inopportuna religione,* cum antea nullae essent, eo loco *includendas curasse:* quamvis id marcianus clerus traditione a maioribus accepta (3) id non a canonico, sed a Petro Diedo, qui anno Christi MDCCXVIII. in primicerium electus est (4), et qui solus id praecipere poterat, factum fuisse omnino dicat. Sed fortasse canonici alicuius suasione id primicerius fieri iussit, ac Cornelius antistiti amico atque adeo viventi parcendum sibi esse existimavit. Id vero ideo fecit Diedus, quod, cum quo loco quiesceret Marcus non omnino constaret, cavendum maxime putavit, ne, si alibi corpus eius positum esset, altare illud Sanctorum lipsanis omnino destitueretur; quae fortasse causa fuit cur multo ante Diedum, dum altaris mensa vel pervestigatur, vel restituitur, columna illa reliquiis insignita poneretur, quae in ipso mensae sinu reperta est. Etenim si verum est, quod ii retulerunt qui rei praesentes fuere (5), nempe membranam, quam in ea columna Xaverius patriarcha invenit, gothicis litteris fuisse exaratam, profecto dubitari non posset, reliquias illas non ante saeculum XIV. quando illae litterae in usu esse coepere, eo loco fuisse repositas; imo fortasse saeculo XV. vel etiam XVI. ineunte, nam ad medium saeculum hoc earum litterarum usum in ecclesiasticis libris perseverasse, ex ipsis qui adhuc extant antiquis eorum librorum exemplaribus deduci potest. Quid porro mirum, si saeculo XV. exeunte, vel XVI. incipiente, dum de Marci corpore utrum in eo altari requiescat ambigitur, columna illa cum reliquiis intra aram includitur; saeculo vero XVIII. dum eadem dubitatio suboritur et columna illa ignoratur, reliquiae aliae, parvo sepulcro defosso, in ipsa mensa conduntur? Quod si anteriori aetati columna illa adscribenda est, quo tempore sacrum illud corpus sub ara illa iacere duci, primicerio et procuratori notum erat (6); puto illos co-

(1) Supr. n. II. — (2) Decad. XIII. part. I. pag. 71. — (3) Vide Filiasi pag. 20. — (4) Corn. ibid. pag. 205. — (5) Filiasi pag. 21. — (6) Vide supr. cap. X. n. III.

lumnam illam addidisse, eo quod superiorem aram existimarent non pro una eademque cum inferiori habendam esse; sanctumque illud corpus ad inferiorem potius, quam ad superiorem pertinere: ideoque et superiori reliquias aliquas includendas esse censuerunt. Ac mihi quidem suspicio ingens oboritur, quae urna inter superius altare et inferius sepulcrum interiecta est (1), eam aliquando nullam fuisse; sed inferius sepulcrum per se stetisse, quatuor columnis innixum, operculoque, quale in pictura allata (2) conspicitur, contectum: ac proinde altaris etiam superioris mensam ab eo fuisse seiunctam, ac idcirco proprias sibi reliquias habuisse; utrumque deinde media urna coniunctum, sive firmitatis causa, ne superior moles aliquando subsideret, sive etiam ut tutius sacrum illud pignus asservaretur. Huic coniecturae non modo ipsa pictura suffragatur, a Dandulo procurata (3), sed ipsa etiam Danduli auctoritas, qui bis se corpus illud vidisse testatur (4); quod profecto videre, nisi tota mole disiecta, nequaquam potuisset, si eo modo, quo nunc est, extructum tunc temporis Marci sepulcrum fuisset. Verum, utcumque se habeat res, quomodo adiectae illae reliquiae unquam ostendent, Marci corpus non esse, quod aram ipsam penitus scrutati Veneti reperere?

XIII. Aliam porro difficultatem ex monetis deducunt, quae circa corpus illud inventae sunt (5). Aiunt, illas non iam ad saeculum XI. sed ad posteriorem aetatem pertinere, ac proinde corpus illud Marci esse non posse, quod XI. saeculo desinente conditum est, nec unquam deinde humanis oculis visum. Atqui huiusmodi argumentum quale sit, non video: id enim pro certo ponit, quod incertum omnino est. Nam quis illos docuit, duces, primicerios, procuratores nunquam corpus illud post Faledrum vidisse? Certe aliud Danduli verba superius allata (6) innuere videntur; ac dux ille, sin minus corpus ipsum, urnam tamen, qua illud quiescebat, profecto vidit. Nam qui illa tam affabre a pictore pingi potuisset (7), nisi ipsam dux, operis auctor ac magister, suis oculis conspexisset? siquidem aut ducem illum aut pictorem nemo, quod ipse noverim, adhuc inter prophetas aut inter hariolos numeravit. Si itaque inter tot illa numismata inventum aliquod esset, quod ad sequiorem aetatem pertineret, ostenderet illud profecto, fuisse aliquando feretrum illud reseratum: at non esse illud Marci corpus nullo modo demonstraret. At quantum illud est, quod inter illos nummos nullus est, quem ad sequiorem aetatem referre possis? Nihil de iis dico, quos salsedo et aerugo ita exedit, ut nullum iam typi vestigium supersit. At quorum adhuc forma deprehendi potest, sunt autem tres illi, quos in tabula exhibemus (8): quid quaeso habent unde elicias, illos post XI. saeculum cusos fuisse? Horum prior eodem typo cusus ac ille est (9), quem iamdiu edidit Cornelius (10), illustravitque apud eundem Dominicus Paschalico senator venetus, ex cuius munere in marcianam bibliothecam pervenit: exhibet ex una parte episcopum *pluviali*, ut aliis videtur, ut mihi vero *casula* indutum, addita

(1) Tab. VII. litt. d. — (2) Tab. V. — (3) Supr. cap. X. n. VIII. — (4) Ibid. n. III. — (5) Manin. pag. 32. — (6) Supr. cap. X. n. III. — (7) Supr. cap. X. num. VIII. — (8) Tab. VIII. fig. 4. — (9) Tab. VIII. fig. 4. A. — (10) Loc. cit. pag. 76.

epigraphe: ✠ S. MARCVS VENEC.I.M, h. e. *S. Marcus Veneciarum*, altera vero ex parte crucem globulis quatuor inter brachia ornatam, quam hae litterae ambiunt: ✠ ENRICVS IMPER. hoc est *Henricus Imperator*. Nummus alter (1) ex una parte punctum in medio habet, quem ambiunt quatuor hae litterae LVCA; quae Lucae in Thuscia excusum fuisse demonstrant, tum circa ipsas haec vox ✠ HENRICVS: altera vero ex fronte vox haec IMPERATOR in orbem scripta conspicitur, in cuius medio extat maiori forma littera H. quae et ipsa Henricum, cuius vocis prima est, significat, quamvis Muratorius (2) Ottonem etiam significare posse arbitretur. Postremus denique (3) quinque hasce litteras exhibet in crucis formam dispositas HNRIC, tum circa illas IMPERATO, h. e. *Henricus Imperator*, tum altera ex parte AVL. MEDIOLANI, hoc est *Aula Mediolani;* cum nempe cusus fuerit, ut *Aulae* sive conventus (4) Mediolani ab Henrico habiti memoriam perennaret. Porro quid in his nummis invenire est, quod non Henrico huius nominis IV. aut eius antecessoribus omnino conveniat? An Lucae et Mediolani nomen iisdem impressum? atqui certum est ab antiquissimis usque temporibus monetae cudendae officinas in illis urbibus erectas fuisse (5). An ipsorum forma, litterarum ductus, typorum ingenium? atqui haec omnia eiusmodi sunt, ut saeculo Christi XI. apprime respondeant. Equidem plures fuisse huius nominis imperatores non diffiteor: Henricum V. anno MCXI. Henricum VI. anno MCXCI. Henricum VII. anno MCCCVIII. At ne duobus hisce postremis tribui possint, facit characterum forma, quae remotiorem aetatem reddit: cur autem Henrico potius V. quam IV. assignari debeant, nullam unquam, quae satis probari possit, rationem afferent adversarii. Uterque imperator in Italia (6) fuit, uterque Mediolanum tenuit, ibique fortasse italicorum episcoporum et principum conventum habuit: quid est cur alterutri potius nummi illi adscribantur? Equidem scio fuisse (7), qui priorem illum Henrico IV. tribueret, eo quod Venetiis cusum putaret, cum S. Marci exuvias veneraturus advenit; at non ita aliis visum, qui Venetiis quidem cusum fuisse non diffitentur; additum tamen imperatoris nomen, ut apud illas gentes libere admitteretur, quae romano imperio subdebantur; quo posito nihil in eo est, quod Henrici IV. illum esse omnino demonstret. Verum non est cur in re tam incerta morari liceat, praesertim cum in numismaticis haud sane multum versati simus. Hoc unum urgemus; aut aliquo certo argumento ostendant adversarii monetas illas post Henricum IV. excusas; aut si id ipsis haud licet, nihil inde omnino deducant. Nam nec nos eas in praesidium causae nostrae producimus: neque enim nos latet, ex incertis nihil concludi. Ac illas ad Henricum IV. pertinere certe cognoscimus; at id alia prorsus atque illi ratione pervestigamus. Nam illi statuunt primum, nummos Henrici V. esse, quod tamen incertum est, atque inde Marci corpus non esse illud conficiunt: nos ex adverso, cum aliunde nobis certum sit Marci corpus illud esse, anno MXCIV.

---

(1) Tab. VIII. fig. 4. B. — (2) Antiq. Ital. diss. XXVII. — (3) Tab. VIII. fig. 4.C. — (4) Vide Du Cange in Glossar. Med. et Inf. Latinitat. ad vocem *Aula*. — (5) Vide Murat. Antiq. Ital. diss. XXVII. — (6) Vide Murat. Annal. d'Italia ad annum MXCI. et seqq. — (7) Cornel. decad. XIII. part. 1. pag. 76. Cicogna pag. 40. Manin. pag. 32.

ibidem conditum, hinc deducimus, nummos illos Henrico V. qui anno tantum MCXI. imperator creatus est, non esse adscribendos. Tali pacto illi quod certum est, argumento ex eo ducto quod est incertum, convellere nituntur. Nos ex adverso, ex eo quod certum est, id etiam quod incertum est illustrare conamur. Quod si Lirutus (1) prius illud numisma, in quo pro ENRICVS legit KNDNVS, quod pro arbitrio interpretatur CHRISTVS, ad posteriores Henricos pertinere putat, quid ad nos? Certe etiam Muratorius (2) legit CHRISTVS IMPERAT, et tamen ad Henricum IV. illud refert. At magna licet sit nobis utriusque auctoritas, nihil certe in eo est, quod uni alterive tribuendum esse persuadeat. Posset etiam quis ex inscriptione illa AVLA MEDIOLANI, quae in postremo numismate apparet, deducere haud absurde, Henrico IV. esse adscribendum; utpote qui diu in Italia moratus fuerit, et saepissime Mediolanum diverterit: sed cum etiam Henricus V. haud semel in Italiam descenderit, nec omnino certum sit tres illas litteras AVL. hoc sensu esse accipiendas, hanc etiam coniecturam haud magni facimus. Hoc solum contendimus, ex nummis illis nihil confici posse, perperamque produci ab adversariis contra nos, cum aequo iure a nobis adversus illos possint afferri. Verum non incertis hisce praesidiis causa nostra munitur: nec ex illis nummis, iterum dicam, *epocham* collocationis S. Marci deducimus, sed potius ex illa *epocha*, nobis aliunde bene perspecta, illorum nummorum aetatem certo argumento constituimus.

XIV. Sed nec ipsa lamina in sepulcro reperta expers censurae (3). Nullum, inquiunt, nomen inscriptum praeportat, nihil in illa de Marco: ergo corpus illud Marci non est. Eodem argumento utebantur Primasii aetate nonnulli, ut ostenderent epistolam ad Hebraeos non esse S. Paulli, eo quod in illa nullibi S. Apostoli nomen occurreret. Quid itaque Primasius (4)? *Si propterea*, inquit, *Pauli non erit, quia eius non habet nomen; nec alicuius est, quia nullius nomine titulatur*. Acuta sane responsio, ineptaeque difficultati opportuna. Nullum in ea lamina Marci nomen occurrit. Ultro do. Ergo corpus illud Marci non est? quaenam haec tam inepta ratiocinandi ratio? Si diceres; ergo ex illa lamina non constat corpus illud Marci esse, dixisses fortasse aliquid quod ab hominibus, haud rem subtilius investigantibus, aliquo modo probari posset: at ex eo quod Marcus nequaquam ibi legitur, corpus illud Marci revera non esse, nunquam profecto demonstrabis. Quid porro si addam, silentium hoc ipsum contra te esse? Nam primum quot in ea inscriptione sunt, quae etiam Marci nomine dissimulato, Marci tamen esse corpus illud ostendant? Certum est (5) anno MXCIV. die VIII. Octobris, Faledro duce, Marci corpus reconditum fuisse. Idem dies, idem annus, idem ducis nomen in lamina. Aut igitur duplex corpus eo die, eo duce sepulcro traditum; aut certe Marci illud est. Vis ne duplex fuisse? vis non illud esse Marci? demus id tibi parumper. At quae tanta haec fuit Faledri incogitantia, ne dicam stupiditatem, ut cum corpus ignoti hominis eo loco collocasset, ubi omnia posteris, si quando repertum esset, persuadere debebant nonnisi Marci

(1) Cicogna loc. cit. — (2) Antiq. Ital. diss. XXVII. — (3) Manin. pag. 27. — (4) Praef. in Epp. S. Paulli. — (5) Supr. cap. X. n. II.

illud esse; nomen tamen eius hominis praetermiserit, ut in errorem longe gravissimum laberentur? Loculus ipse tutus atque munitus, locus in tota basilica praeclarissimus atque honorificentissimus, arae splendor, omnia denique Marci esse ea lipsana insinuant. Quid Faledrus? Tabulam addit, nomen tacet. Tacet? Immo additis diei et anni notis adhuc maiorem errori ansam praebet, quo facilius posteri decipiantur. Haec qui ita egerit, hominem ne dicam an pecudem? et tamen non is est Faledrus, de quo ita sentias. Quid itaque? si corpus aliud eo loci Vitalis dux collocasset, profecto posteritati cavens, nomen illius addidisset. Ideo autem praetermisit, quia Marci corpus illud esset; quod si aliquando repertum esset, ne aliud omnino crederetur tot alia indicia prohibebant. Quare tantum abest, ut ex Faledri silentio concludi possit, ossa illa Marci non esse, ut potius ex eo ipso Marci revera esse apprime sequatur. Neque enim aliud omnino esse existimabo, quod die VIII. mensis Octobris anno Christi MXCIV. tam honorifico loco, tam splendide, tam caute se collocasse Faledrus ipse mecum paene loquens testatur. Mitto tot alia Sanctorum corpora eodem modo in monumentis reperta, quibus praeter chronicas depositionis notas nihil erat adiectum, nominibus dissimulatis: quae tamen quorumnam essent, ex illis ipsis notis deprehensum est; quin circumspectissimi sacrae rituum congregationis Patres, imo quin ipsi Romani Pontifices ambigerent: qui tamen in huiusmodi rebus quam se morosos ac difficiles exhibere soleant, norunt universi. Optime Maninius (1) exempla in hanc rem profert ex inventione corporis S. Cyriaci sub Benedicto XIV. sanctae Anastasiae praeterea, SS. IV. Coronatorum, et S. Damasi; quae omnes, una excepta S. Cyriaci, in ipsa Romae luce et sub oculis RR. Pontificum contigere.

XV. Aliam quoque difficultatem ex S. Antonii reliquiis cum Marci corpore repertis, et ligneae pyxidi inclusis deducunt (2). Verum quidquid de S. Antonio dicitur, id nullo certo argumento niti superius demonstravimus (3). Nihilominus demus quod illi maxime volunt; quae in illa pyxide inventa sunt, ea vel magni Antonii monachorum parentis, vel Antonii alterius, quicumque demum ille sit, lipsana revera fuisse. Quid inde porro? an insuetus mos est, Sancti alicuius corpore collocato, alias etiam Sanctorum reliquias cum eodem concludi? Atqui et chronicon cassinense (4) tradit, Alexandrum II. rom. pontificem, cum S. Benedicti altare super eiusdem corpus dedicaret, sanctorum etiam Apostolorum Philippi et Iacobi, tum S. Alexandri papae et Ss. Sebastiani et Cyriaci reliquias eodem reposuisse: et anno Christi MDXXI (5). iterumque anno MDCCLXXVII. in recognitione lipsanorum S. Celsi, vas duplex prope ipsa inventum Sanctorum reliquiis refertum, quorum nomina plumbeae laminae utrique vasi impositae inscripta legebantur. Verum, hoc etiam praetermisso, quid sibi tandem volunt, qui nobis pyxidem illam obiiciunt? Putant ne, reliquias pyxidi inclusas ex vicino corpore decerptas fuisse, an non? Si ex eodem decerptae non sunt, iam nihil ex illa pyxide contra nos. Nam erunt illae magni Antonii, integrum vero

(1) Pag. 27. — (2) Supr. num. VI. Manin pag. 31. — (3) Supr. num. VI. — (4) Apud Manin pag. 32. — (5) Manin ibid.

corpus B. Marci. Itaque, si quid conficere volunt, necesse est dicant fragmenta pyxidi inserta ad corpus omnino illud pertinere. Id vero quomodo ostendent? Deinde illud etiam aperiant oportet, quandonam corpus illud Antonii Venetias devectum? undenam? a quibus? quandonam illatum in marcianam basilicam? curnam eodem die, ac Marci corpus, depositum? Nam de his omnibus altum apud Sagorninum, Dandulum ceterosque historicos nostros silentium; qui tamen de aliis corporibus ad nos delatis loquuntur. Siquidem quo tempore maior religioni honor habebatur, haud exigua res aut levis sanctorum corporum translatio videri consuevit, sed magna prorsus atque memoranda, ac digna profecto, quae ab historicis posteritatis memoriae mandaretur. Dicent, obscuri fortasse ignotique martyris corpus esse, e romanis catacumbis advectum, ideoque eius translationem ab historicis praetermissam? at romanum ne putem, faciunt graecae litterae pyxidi inscriptae: obscurum vero ne credam, prohibent nummi tam multi super ipsum iniecti, aenea crux, aureus annulus, feretri cultus, templum totius urbis clarissimum, ipse denique munitissimus et splendidissimus templi locus, ubi quiescere inventum est. Haec quomodo extricent, prorsus non video.

XVI. Denique postrema difficultas ex eo ducitur, quod Marci corpus aeneae capsae inclusum in columna repertum fuisse dicunt (1), ac in eadem capsa a Faletro iterum sepulcro mandatum: cum tamen quae nuper sub altari reperta sunt lipsana, ea ligneo tantum feretro condita fuerint. Atqui optime monuit Emmanuel Cicogna (2), totam hanc aeneae capsae fabulam recentissimam esse, ac saeculo demum XV. exeunte fuisse excogitatam. Nihil de illa Dandulus, nihil Zeno abbas, nihil Anonymus littorensis, nihil Auctor homiliae a nobis allatae, nihil Petrus Calo, nihil Sanutus, Navagerus (3), tum Chronica mss. saeculi XIV. et XV. (4). Primus omnium arcae illius meminit Bernardus Iustinianus (5), qui tamen id ex suo cerebro commentus fuisse nequaquam dicendus est; sed ex populari aliqua traditione credulus nimis accepit, ab eoque qui post ipsum scripsere deinde decepti sunt (6). At ubi coaevi scriptores tacent, auctorem integris saeculis quatuor posteriorem proferre, est ne hominis, qui omnia ad criticas leges exegerit, quod sibi tantopere assumunt adversarii? Quantum autem est quod in iis, quae de arca illa tradit Iustinianus, sibi ipsi aperte adversatur? Nam quo loco capsam illam commemorat, ipsam non iam arcam vocat, sed *arculam aeream*, hoc est exiguam arcam: et tamen deinde subiicit ex Zenone abbate, Marci corpus *integrum et incorruptum* in pila fuisse repertum. At humano corpori integro et incorrupto non iam *aerea arcula* sufficit, sed magna ac patens, quae vel extensum in tergus, vel in latus decumbens excipiat. Porro quantum huius arcae pondus ac moles! siquidem non ductile sed fusile opus illud fuit; quae eorum sententia est, qui latinam vocem aes italice vertunt *bronzo* (7): neque enim illud aeris genus, nisi fusione mitescit, nec malleo flecti aut duci ullo modo potest. Verum leve nimis hoc est, ut diutius in eo refutando libeat immorari.

(1) Cicogna pag. 41. — (2) Pag. 41. — (3) Apud Murat. Script. Rer. Ital. tom. XXIII. — (4) Apud Cicogna pag. 42. alia etiam. apud me. — (5) De Orig. Urbis Venetae etc. Vide Cicogna not. 54. — (6) Cicogna pag. 42. Meschinell. tom. II. pag. 101. et seqq — (7) Meschinell. loc. cit. etc. Vide Cicogna l. c.

XVII. Atque haec fere ea sunt, quae ab adversariis afferri solent. Fuerunt et alia fortasse, cum primum sacrum illud corpus repertum est, in vulgus iactata: mirum enim quot tunc temporis hominum sermones fuere, ac quae et quanta non ineruditi modo ac stulti, sed litterati etiam viri atque prudentes de illa Marci inventione commenti fuerint. Sed cum ipse per ea tempora ab urbe ut plurimum abessem, nec pervidere ullo modo possem fore ut aliquando de hac re commentandum mihi esset; ubi primum re aliquantisper inspecta certum mihi fuit, quod corpus inventum esset, illud indubitato esse Marci; nihil praeterea quaerendum duxi; eorum, quae adversus hanc sententiam a nonnullis proferebantur, securus. Itaque, quaenam tunc temporis ab ipsis producta fuerint, omnino nescio: ea tamen nullius momenti fuisse, ut credam facit Cicognae, Maninii et Filiasii auctoritas, qui nihil praeter ea proferunt, quae hucusque refutavimus; Maninii praesertim, qui cum eorum hominum cavillationes prae ceteris convellendas susceperit, ac saepe provocatus in arenam descenderit, adversariosque magno robore animisque prostraverit; in his tamen ipsis difficultatibus enodandis consistit. Sed illud me maxime movet, quod licet tunc in contrarias partes acriter disputatum fuerit, vix tamen est quisquam hoc tempore, qui a nobis dissentiat; sive difficultates omnes tempus ipsum, et expensa diligentius res omnino dissolverit, sive Marcus ipse carissimorum sibi civium sententias conciliarit; ut, omnium mentibus animisque in idem conspirantibus, sanctissimum atque amantissimum patronum suum, quem iamdiu latentem doluerunt, nunc vero certissime sibi redditum restitutumque intuerentur, maiorum vestigia secuti nullis non sibi obsequiis demereantur.

XVIII. Quae cum ita se habeant, liceat mihi, longo satis atque operoso labore perfuncto, manum de tabula tollere; assertumque evidentissime, nisi omnia me ludunt, civitati nostrae thesaurum illum longe pretiosissimum gratulari. Nam si, ut ostendimus, Marci corpus, cum igni Alexandriae esset iniectum (1), absumere tamen flammae non potuere, sed ereptum discipuli atque aromatibus unguentisque curatum sepulcro tradidere (2): si reddita sub Constantino aug. Ecclesiae pace, statim Marci martyrium alexandrinum et in honore haberi, et advenarum frequentia celebrari, et clarere miraculis coepit (3); idque ad exitum VIII. saeculi perdurasse constat veterum auctorum auctoritate (4): si IX. deinde saeculo incipiente Venetias translatum est (5), idque tum coaevorum scriptorum testimonio certum est, tum ipsa alexandrinorum, atque adeo ceterorum orientalium Christianorum confessione: si in hanc urbem advectum maiores nostri non modo perpetuis obsequiis atque incredibili prorsus magnificentia coluere, verum etiam diligentissime asservarunt, ne aliquo sibi casu surripi, auferrive posset (6): si augiensium monachorum de ipso sibi a Iustiniano duce per Ratoldum tradito commentum (7) non iam inter fabulas, sed inter absurdissima deliria reponendum est: si illud, saeculo demum XI. labente deperditum (8), non

(1) Supr. part. I. cap. XXI. n. V. — (2) Ibid. et lib. II. cap. I. n. II. — (3) Supr. lib. II. cap. I. n. II. et seqq. — (4) Ibid. — (5) Ibid. cap. III. IV. et V. — (6) Ibid. cap. IV. n. XVIII. cap. V. n. 46. et seqq. — (7) Ibid. cap. VI. VII. VIII. — (8) Ib. cap. IX.

sine prodigio Veneti recepere, cuius prodigii plures eosdemque συγχρόνους testes proferre licet: si pluribus indiciis (1) iisdemque evidentissimis patet, non alibi illud, nisi sub ara marcianae basilicae maxima fuisse a Faledro duce collocatum: si demum, ubi sub illa corpus nescio quod nuper repertum est (2), alia praeterea indicia pone illud inventa sunt, quae illa lipsana ipsissimum esse Marci corpus monstrarent; nec si qui de ea re dubitare visi sunt, hi aut certi quicquam, aut solidi afferre potuerunt: quae denique causa esse potest, cur de sanctissimi illius pignoris possessione ambigamus, ereptumque nobis, aut adhuc latentem Marcum Veneti timeamus? Adest, adest adhuc ille carissimae civitati suae, eandemque paene sui oblitam, nec praeclara maiorum exempla in ipso colendo secutam, eo adhuc amore prosequitur atque caritate, qua, cum huc primum est delatus, complexus est.

XIX. Atque utinam patrum nostrorum pietatem aemulati sanctissimum urbis nostrae patronum novis quotidie obsequiis conciliare nobis ac devincire niteremur! quae et quanta ab eo nobis speranda! quam saepe inter aerumnas atque calamitates praesentem gloriosissimi martyris opem experiemur! Id profecto maiores nostri, cum ea essent sapientia, omnino pervidere; nec ullum obsequii genus adhiberi excogitarive potuit, quo non patroni sui memoriam, lipsana, nomen denique ipsum honestarent. Hinc illa toti orbi admiranda marmorei aureique templi moles; hinc divitiae ingentes, praesertim ex hostium manubiis in templum illud illatae; hinc solemnes ad Marci aram pompae supplicationesque quotannis decretae; hinc marciani leonis effigie ornata aedificia, vexilla decorata, cusa moneta; hinc vel devictae gentes, vel dedititiae Marci templo vectigales redditae; hinc nautarum, mercatorum, ducum, imperatorum preces Marco porrectae antequam navigationem susciperent; tum ab ipsis in patriam redeuntibus ad Marci aram gratiarum actiones redditae, oblata munera, vota suspensa et ea omnia praestita obsequia, quaecumque ab iis expectari poterant, qui beneficentissimum patronum et dulcissimo animi sensu atque caritate prosequerentur, et acceptorum beneficiorum memoriam amittere nullo modo possent. Quid porro Marcus? et ille quidem par pari reddens, quo impensius colebatur a civibus, eo impensius illis adesse, favere, patrocinari; eoque auspice, augeri civibus urbs haec opibusque, crescere quotidie veneta res, commerciisque late porrectis florere, ac velut novum orbis miraculum omnium in se ora convertere. Atque utinam qua illum caritate ac religione diu coluere, in ea ad haec usque tempora Veneti perdurassent! Verum avita illa pietate sensim defervescente, ruere paullatim omnia, ac retro lapsa referri; tum pessum ire, eoque adduci, ut carissimae sibi civitatis paene oblitus Evangelista sanctissimus videretur. Nec erat profecto cur id immerentibus accidisse conquereremur. Quid enim illi cura de nobis, cuius amor ex nostris animis et memoria ipsa paene exciderat; quemque vix obsequiis illis prosequebamur, quae maiorum nostrorum pietas ipsi decreverat, quaeque ex usu potius atque consuetudine, quam ex intimo animi sensu exhibere videbamur? At non ille

(1) Ib. cap. X. — (2) Supr. n. III. et seqq.

tamen omnem nostri curam, aut tutelam abiecerat. Nam cum nos tot inter bellorum turbines, quibus innumerae fere Italiae urbes atque adeo Europa universa agitata est, incolumes praestitisset; repente post septingentos annos ex quo eius lipsana latuissent, ea in lucem iterum repente proferri voluit, quasi neglectum corporis sui cultum incuriosis praesens ipse exprobraret, degeneresque Venetorum sensus in sui iterum amorem ac fiduciam excitaret. Tum demum commoti iterum accensique in Marcum civium animi. Multa siquidem a viris pietate et religione praestantibus de ipso vulgata: adhuc plura conscripta: cogitatum de eius sepulcro exornando: actum de veteri cultu instaurando atque amplificando; effusa statim in id opus civium omnium studia pronaeque voluntates. Nec quidquam Venetis in ea re, nisi auctor, defuit. Secuta biennio post memoranda illa urbis obsidio. Nihil eorum, quae obsessis civitatibus miseranda evenire solent, perpessi cives; idque, secundum Virginem Deiparam, a prudentioribus Marco tributum. Tum insperatus belli exitus, pax composita, Venetiae felicissimis auspiciis clementissimo Austriae imperatori Francisco I. concessae, ab eodemque in alteram Regni Langobardico-Veneti metropolim constitutae; ac tali pacto in antiquam dignitatem aliquo modo revocatae. Quid itaque reliquum est, nisi ut Marcum, quem toties veneti cives patronum potentissimum cognovere, nosque etiam ipsi sospitatorem longe amantissimum experti sumus, novis quotidie nobis obsequiis devinciamus, atque maiorum nostrorum exempla prosecuti, iis omnibus grati animi testimoniis colamus, quae et tantorum beneficiorum haud immemores deceant, et maiora nobis in dies ipsius patrocinii munera ac dona concilient?



T. I.


ROMA
Tres tabernae
Forum Appii
ADRIATICVM
MARE
ITALIA
Melita
MARE INFERVM
Puteoli
MACEDONIA
THRACIA
Philippi
Byzantium
PONTVS EVXINVS
Troas
Mitylene
ASIA MINOR
Chius
Ephesus
Miletus
Samus
Cephallenia
Rhegium
SICILIA
Zacynthus
Corinthus
Syracusa
LYCIA
PAMPHILIA
CILICIA
Coos
Unidus
Lystra
Rhodus
SYRIA
Ptolemais
Tyrus
CYPRVS
Sidon
Melita
CRETA
Salmon
Phoenix
Lasaea sive Thalassa
Asos
Clauda
IVDARA
Cesarea
IERVSALEM
Tempestas Pauli
AFRICAE PARS
ITINERA S. PAULI APOST.

Sinistrum operculi latus.

T. II.



11 12



Sedis latus dexterum.



G. Pila in qua Corpus S. Marci latebat.

H. Altare S. Marci, sub quo S. ejus Corpus requiescit.

I. Parietes qui priorem ecclesiam claudebant, a Contareno disjecti.

K. Fornix sub quo S. Marci collocatio picta est.

L. Fornix sub quo picta visitur Translatio Alexandrina.

M. Paries ubi picta est S. Corporis apparitio.



Extima ad cornu epistolae pictura inferior in tabula lignea, quae palam auream tegit.

a Altare magna ex par

b Columnae quatuor, ceteri superimpositae molis pondu

c Scalae ad urnam pre

d Columellarum ordo hin postica ex parte in lori concludit

e Locus diruti altaris.



f Sacrarium vetus

g Columnae basi destitutae.

h Suggestus lapidei circa cryptam.

i Mediculae.

k Fenestrae obseratae.

l Locus, ex quo descensus in cryptam.

m Janua, qua ingrediebantur palatium.

n Janua, qua patebat ascensus ad sacrarium.

Carci, secta in longum. T. VII.



a Columellarum quae loculo substrata ex parte in t

b Altare magn elaboratum.

c Marmora co solidiores, superimpo formam elegn nentes.

d Superior loce operculum ingentis

e Inferior locul

f Marmorei q columellis suffulta, per quam accessus ad fenestellam superiorem

t Concha.

v Antica pars molis, qua perforata, feretrum apparuit.

x Columella.

y Fenestella, quae massae partem in crypta latentem permeabat.

z In postica altaris parte fenestella superior, quae medium fere superioris arae tenebat.

T. VIII.



Fig. 3





INDEX CAPITUM.

LIBER PRIMUS.

CAPUT I. *De S. Marci gente et patria* . . . . . pag. 1
CAP. II. *Utrum Marcus evangelista idem sit cum Ioanne Marco, de quo in Actibus Apostolorum: tum cum Marco illo, quem in epistolis suis identidem commemorat S. Paulus* . . . . » 10
CAP. III. *Cur nam Marcus Petri filius dicatur, et utrum inter LXX. Christi discipulos numerandus sit* . . . . . » 17
CAP. IV. *Quo sensu Marcus S. Petri comes et interpres dicatur.* . » 21
CAP. V. *De Apostoli nomine Marco evangelistae a SS. Patribus et liturgicis libris tributo* . . . . . » 29
CAP. VI. *De Marci Evangelio, et quomodo illud a Petro accepisse dicatur.* » 39
CAP. VII. *De loco ubi Marcus Evangelium suum exaravit* . . . . » 48
CAP. VIII. *De anno conscripti a Marco Evangelii* . . . . . » 52
CAP. IX. *Qua lingua S. Marcus Evangelium conscripserit* . . . . » 67
CAP. X. *De charactere Evangelii sancti Marci* . . . . . » 80
CAP. XI. *De leonis hieroglyphico Marco inter Evangelistas tributo* . » 87
CAP. XII. *De codice Evangelii S. Marci Venetiis in basilica nostra asservato.* . . . . . » 92
CAP. XIII. *De aliis operibus S. Marco tributis.* . . . . . » 110
CAP. XIV. *De aquileiensi S. Marci apostolatu* . . . . . » 121
» » *Ad Caput XIV. Appendix.* . . . . . » 141
CAP. XV. *Ordo Actorum B. Marci breviter perscriptus ad ea, quae de libyca et alexandrina missione dicenda sunt* . . . . » 161
CAP. XVI. *De libyca missione S. Marci* . . . . . » 167
CAP. XVII. *De S. Marci apostolatu alexandrino* . . . . . » 170
CAP. XVIII. *De Therapeutis a Philone iudaeo memoratis; ac utrum illi Christiani essent, et a S. Marco instituti* . . . . . » 178
CAP. XIX. *De marmorea S. Marci cathedra Venetiis servata.* . . . . » 199
CAP. XX. *De anno martyrii S. Marci* . . . . . » 210
CAP. XXI. *Martyrium S. Marci* . . . . . » 223

LIBER SECUNDUS.

CAPUT I. *De alexandrino S. Marci sepulcro.* . . . . . » 229
CAP. II. *De translatione corporis S. Marci Venetias.* . . . . . » 241
CAP. III. *Quo anno veneta S. Marci translatio contigerit.* . . . . » 254

CAP. IV. *Acta translationis corporis S. Marci* . . . . . pag. 260
CAP. V. *Animadversiones in historiam translationis corporis S. Marci.* » 268
CAP. VI. *De commentitia corporis S. Marci ad Augiam Divitem translatione* . . . . . » 287
CAP. VII. *Acta, sive historia translationis S. Marci Venetiis in Augiam insulam* . . . . . » 306
CAP. VIII. *Animadversiones in historiam augiensis translationis corporis S. Marci evangelistae* . . . . . » 315
CAP. IX. *De inventione prima corporis S. Marci sub Vitale Faledro anno Domini MXCIV.* . . . . . » 331
CAP. X. *Quo loco post apparitionem S. Marci corpus conditum fuerit.* » 356
CAP. XI. *De inventione ultima corporis S. Marci evangelistae* . . . » 377

INDEX TABULARUM.

I. *Itinera S. Pauli Apostoli. (lib. I. cap. VIII. pag.* 56. *et seqq.)*
II. *Operculum Codicis Evangelii Marciani Venetiis in thesauro asservati. (lib. I. c. XII. p.* 107.*)*
III. *Cathedra S. Marci Venetiis servata. (lib. I. c. XIX. p.* 198.*)*
IV. *Ichnographia Basilicae S. Marci. (lib. II. c. IX. p.* 333. *et seqq.)*
V. *Extima ad cornu epistolae pictura inferior in tabula lignea, quae palam auream tegit. (lib. II. c. X. p.* 364.*)*
VI. *Ichnographia Cryptarum Basilicae S. Marci. (lib. II. c. X. p.* 367. *et seqq.)*
VII. *Crypta, quae subest presbyterio Basilicae S. Marci, secta in longum. (lib. II. c. X. p.* 367. *et seqq.)*
VIII. *Quae in feretro S. Marci reperta sunt. (lib. II. c. XI. p.* 382. *et seqq.)*
IX. *Alia reperta in eodem feretro. (lib. II. c. XI. p.* 382. *et seqq.)*

INDEX RERUM

Abilius ep. alexandrinus *pagina* 213.

Absida quid? 321.

Acta graeca et latina S. Marci 1. Quam ipsis parum fidendum 1. 2. Tum 139. et 143. Quid illis tamen tribui possit 143. Videntur origine aegyptia 168. 207.

Acta translationis augiensis S. Marci 306-314. Scripta saeculo XIII. 315. Eius rei indicia. ibid. tum 320. Animadversiones in Acta. 315-330.

Acta translationis venetae S. Marci Baronius omnium primus vulgavit 244. Antiquiora sunt saec. XII. 245. Negat Tillemontius, contra quem ipsorum antiquitatem tuemur 260. Nec interpolata fuere 261. Nec alterius historiae pars sunt *ibid.* Ipsorum antiquitatis indicia 269. 270. 273. 274. 276. 277. 280. 283. 284. 285. 286.

Aegyptii quomodo mortuorum corpora curarent 277.

Aegyptum S. Marcus convertit 161. et seqq. 167-169. Quomodo se eius praefecti gerent sub Moslemis 272.

Aethiopiae apostolus S. Marcus 163. 167-169.

Africae apostolus S. Marcus 168. 169.

Alcairo dicitur Phostati Babylonis 169. 272.

Alexandria a Persis capta anno DCXV. 129. Iterum a Saracenis anno DCXXXIV. *ibid.* vocatur *Racotes* 169.

Alexandrinae Ecclesiae traditio de Apostolatu S. Marci 170. Ab ipso fundatur *ibid.* et seqq. Augetur 174. Mos celebrandi missam vespere singulis sabbatis 217. Pascha dominico die perpetuo celebravit 220. Marcum vocat patrem 171. 276.

Alexandrini patriarchatus dioecesis 169. Provinciae *ibid.* Patriarchae ipsius ordinatio 171. 205. Tituli 171. Utrum a solis presbyteris consecraretur, disputatum contra Seldenum 175-177

Alexandrinus S. Marci apostolatus 161. De eius anno veterum scriptorum dissidium 162. Bis in Aegyptum perrexit Marcus 163. nempe anno Christi XXXVII. et LIII. 164. 165. Anno Caii Caesaris III. Marcus Alexandriam ingreditur. 166. Per annos XXII. alexandrinam cathedram tenet 167. Apostolatus huius testes innumeri 170. Traditio apud Aethiopes et Aegyptios constantissima *ibid.* Primus omnium Marcus Aegyptiis praedicat 171. Fundat Ecclesiam alexandrinam 171. 172.

Allegorica sacrarum litterarum interpretatio apud Therapeutas et Aegyptios 195.

Allegoristae 196.

Altare in antiquis Ecclesiis ad orientem 231.

Altaria reliquiis condendis destinata 368.

Altaris S. Marci magnificentia 365-367.

Ammoniacae provinciae apostolus S. Marcus 168. 169.

Angelitae haeretici qui? 237.

Angelium qui locus 227. 230. 236. Super Marci exuvias *Angelii* Ecclesia erecta 236. Dictus ille locus etiam *Soüari* 237. An Ecclesia illa erecta saec. VI. 238. Cur dicta *Evangelium* 239. Ecclesiae illius vices 240. Olim urbi inclusa, nunc extra urbem 241.

Animalia quatuor visa ab Ioanne et Ezechiele quid significent 87. 88. Quodnam cuique Evangelistae conveniat. 88-91.

Annianus a S. Marco conversus 173. S. Marci successor 173. 214. Hananias etiam dicitur 174. Consecratur a S. Marco 174.

Annulus aureus in S. Marci feretro 383.

Antonius (S) abbas quae de sepultura sua discipulis commendaverit 277.

Antonii (S) patavini miraculum. 283. Sepulcrum Patavii 371.

Apostoli linguis universis loquebantur 23. Singulares de hac re Hieronymi sententiae 24.

Urbem aliquam ingressi, Iudaeorum Synagogas petebant 26. Apostolorum genera quatuor 35. Apostoli per Iacobum, Ioannem et Petrum scientiae donum adepti sunt 36. Apostoli, praeter XII. primos, multi 37. Anno Christi XII. per orbem disseminantur 63. Ecclesias ubique constituunt 152. Vicarios episcopos in urbibus constituebant, quas sibi servabant 175.

Apostoli Iudaeorum qui? 38.

Apparitio S. Marci: vide Corpus.

Aquilae symbolum Marco tributum 89. 203.

Aquileia 136-138. Urbis eius amplitudo *ibid.* Eam frustra impugnat Tartarottus 149.

Aquileiensis apostolatus S. Marci 121. Quaestio de illo satis perplexa 121. Qui de illa scripserint 121. 122. Illum non ex historia, sed ex traditione accepimus 122. Quae traditio latissime est disseminata 123. Nempe apud Venetos, Histros, Foroiuliens 123. Tum apud Noricos 123. Tum etiam apud Gallos 123. Haec traditio iam saeculo VI. invaluerat 124. Traditionis huius saeculo IX. vigentis testes afferuntur 125. Immo et saeculo VIII. 126. Testimonia quoque Adonis et synodi mantuanae anni DCCCXXVII. 127. Afferuntur praeterea Procopii et Nazianzeni auctoritates 129. Idipsum confirmatur ex ipsa urbis aquileiensis dignitate 136. Aquileiensem apostolatum impugnat Tartarottus 141. Fabulam vocat, sed perperam 142. Ortam putat saeculo sexto, vigente schismate aquileiensi 145. Refellitur 145. 146. Putat receptam ob nimiam eius aetatis credulitatem 146. Iterum refellitur 146. 147. Tentat locum Nazianzeni a nobis productum, sed irrito conatu 147. Tum argumentum deductum ex Aquileiae amplitudine 149. Ipsi occurritur 149. Affert argumentum ex sera conversione urbium, quae ab Roma remotae erant, quod omnino prosternitur 151. Tum alterum ex catalogis episcoporum, quod item evertitur 154. Alia Tartarotti argumenta diluuntur 156. et seqq.

Aquileiensis Ecclesia a S. Marco fundata: Vide Aquileiensis apostolatus. Eius schisma 145. 204. Eius cum Ecclesia gradensi dissidia 204. 209.

Arcani disciplina quae? 184. 192. 195.

Aristobulus et Maria an Marci parentes 1. Quid de illis tradat Severus. *ibid.*

Augia Dives, sive Rhichenaw 288. Monasterium nobilissimum 316.

Authenticum quid ab antiquis dicatur 99.

Auxumitae alexandrino patriarchae subiecti 169.

Azanitae Iudaeorum qui? 38.

B.

Babylon dicta Alcairo 169. 272.

Balsamum in S. Marci feretro 383.

Barbarae (S) corpus 368.

Barnabae (S) acta non sunt a S. Marco scripta 110.

Benedictio S. Marci quid? 232.

Bennidion Alexandriae locus 173.

Bethaniae S. Marcus Evangelium annuntiat 168.

Bonus Tribunus metamaucensis 262. et seqq.

Bovis symbolum Marco tributum 90.

Bradea quid? 277.

Breves apud antiquos quid? 94.

Bucolia Alexandriae locus 225.

C.

Caliphorum magnificentia 273.

Calix ministerialis sive communicalis 119.

Canzir arab. Porcus 265. 279.

Capitulationes apud antiquos quid essent 94.

Capsula in S. Marci feretro inventa 386.

Caput S. Marci 205.

Carolus quartus imp. duos marciani autographi quaterniones Pragam mittit 104.

Carosus tyrannus Venetorum 292.

Cathedra episcopi quo loco poni solita 202. Velis olim tegebatur. 202.

Cathedra S. Marci alexandrina ab Heraclio Primigenio gradensi missa 124. 199. Servatur Venetiis 199. Eius descriptio 200. Videtur graeca 202. Immo alexandrina 203. De Heraclii donatione 203. 204. Cathedra alia S. Marci Alexandriae 205. Quid de cathedra veneta sentiendum 207.

Cathedra S. Marci aquileiensis 124. 206. 208. Gradum translata 208. Saeculo XVI. adhuc Gradi erat 209.

Cathedra S. Petri antiochena 204.

Cathedrae Apostolorum diligenter servatae 206. Pro certissimis primatus indiciis habitae 204. 209. Modestae erant atque humiles 207.

Cerdo ep. alexandrinus 213.

Cerinthiani Marci Evangelium reiiciunt 40.

Christiani pro Iudaeorum secta aliquando habiti 193.

Claudia (S.) 265. 278.
Claudius cur loco moverit iudicem latinae linguae ignarum 77. Quomodo censuram egerit 77. Iudaeos ab Italia pellit 55.
Codex autographus S. Marci asservatus Venetiis? 92. Magna de illo contentio et plurimae eruditorum elucubrationes 92. 93. Descriptio Evangeliarii foroiuliensis, unde hic codex distractus est 93. Ostenditur venetum codicem ex foroiuliensi fuisse divulsum 94-97. Idque non saeculo XIII. sed longe ante 97. Undenam factum, ut haberetur pro αὐτογράφῳ 100. Comoretti sententia reiecta 100. Ticino perperam advectum putat Dobrowskyus 101. Eiusdem Dobrowskyi coniectura de origine falsae apud Aquileienses sententiae refutata 102. Coniectura nostra proponitur 103. Evangeliarii quaternionem duo in Bohemiam advehuntur anno MCCCLIV. quinque reliqui Venetias anno MCDXX. 104. Pragensis pars adhuc integra perdurat: veneta situ computruit 106. Venetae partis, prout nunc se habet, descriptio 107.
Coenaculum quid? 284.
Confessio, h. e. crypta 368.
Constantiacus oppidum Venetiae maritimae 204.
Constantinopolitanae Ecclesiae tumor 117. Cur se a S. Andrea ap. fundatam iactaverit 145. Primatus super orientis patriarchatus 204.
Constantinus M. imp. novam in imperii provincias divisionem instituit 132.
Contarenus Dominicus, dux Venetorum, S. Marci templum amplificat 338.
Copti, seu Coptitae ab Ecclesia recessere saeculo V. 32. Ipsorum liturgiae 32. 112. Dicuntur Iacobitae 116. Monophysitae. 116.
Corpora Sanctorum sericis linteis obvoluta 277. Ea furto auferre haud vetitum existimabant homines aliquando 280.
Corpus S. Marci a Christianis in Angelio sepelitur 227. 230. Ibique servatur usque ad saeculum IX. 231. Falso tradunt nonnulli in cineres redactum ab Ethnicis 233. Refutantur 233. 234. Conditum fuit in Angelio 236. Vide Translatio veneta, augiensis etc. Integrum et incorruptum repertum 277. 348. et seq. Unguentis conditum 227. 277. In eius locum alterius cuiuspiam corpus Venetis obtrudere Aegyptii non potuere 278. Utrum absconditum a Ioanne Particiaco et S. Petro Urseolo 342. Ab incendio ereptum 333. Quomodo deinde amissum fuerit 344. Videtur Silvius dux abscondisse 345. Reperitur anno MXCIV. 348. Eius tamen inventio *apparitio* dicenda 345. 353. Historia apparitionis 348. Defenditur 349-352. Refelluntur obiecta 353-356. Idem corpus die octava Octob. MXCIV. sepulcro reconditur 358. Sepelitur intra basilicam, occulto loco 358. Quem tamen dux, primicerius et procurator haud ignorabant 358. Quae silentii causa. 359. Tamen sub ara maxima conditum constat 360. Silentium in quo situm 373. Corpus S. Marci repertum anno MDCCCXI. 380. Inventionis historia 378. et seqq. Inventum est in cineres dissolutum 382. *Brandeo* involutum 382. simul reperta numismata etc. Vide Numismata.
Crux aenea in S. Marci sepulcro 386.
Crux pectoralis 386.
Cyrenaeis Evangelium affert Marcus 165.
Cyri (S.) corpus 369.
Cyriacum Alexandrinae urbis Ecclesia 237.

D.

Damianitae haeretici 237.
Dies mensis quomodo Veneti supputarent 387.
Diptyca quid? 155.
Discipuli Christi Galilaei fere omnes fuerunt 2.
Discus quid? 119.
Dorscherus Io: Georgius scribit contra Venetorum traditionem de corpore S. Marci 242. Eius ingenium 243. et seq.

E.

Ebionaei Marci Evangelium reiciunt 40. Matthaei Evangelium corrumpunt 75.
Ecclesia S. Marci alexandrina a Saracenis incensa 205. 235. Vide Angelium extra moenia.
Ecclesia S. Marci veneta vestigales habet urbes nonnullas 251. Multa possidet in Oriente 251. 252. Eius structura 333. et seqq. Illam condit Ioannes Particiacus 333. Restituitur a S. Petro Urseolo 335. Completur a Petro Urseolo II. 336. Amplificatur a Dominico Contareno 337. Similis est constantinopolitanae Ecclesiae sanctorum XII. Apostolorum 338. Marmoribus et musivis a Dominico Silvio exornatur 341. Dedica-

tur die octava Octobris ann. MXCIV. 358. Eius splendor et magnificentia 365. Non semel conflagravit 369.
Ecclesia S. Sepulcri describitur 285.
Ecclesiae saeculi IV. quibus in locis potissimum aedificatae 236.
Ecclesias ab Urbe remotiores nonnisi III. vel IV. saeculo fundatas contendit Tartarottus 151. Refellitur *ibid.* Mira Ecclesiae dilatatio saec. II. 156.
Egino ep. veronensis 317.
Ephemereuta quis? 181.
Episcopos aliquando presbyterorum nomine indicant veteres 196.
Essaei, sive Esseni qui? 179. Non idem ac Therapeutae 183. Dicti ab NDN *mederi, curare* 185.
Evangeliorum ordo antiquissimus 64. Cur in aliquibus codd. immutatus 65.
Evangelistae per quatuor animalia designati 87. Quodnam animal singulis tribuatur 88. et seqq.
Evangelium S. Marci hebraeis idiotismis refertum, et cur? 3. A Marco revera conscriptum, licet id nonnulli negaverint 39. Sancti Patres illud Petro apostolo tribuere videntur 41. et seqq. Qua occasione illud Marcus conscripserit 41. Conciliantur Patres, qui Evangelium Marci tribuunt S. Petro, et quo sensu id tradant, ostenditur 42. et seqq. Evangelium Marcus scripsit Romae 48. Refelluntur qui alibi scriptum volunt 50. De anno, quo scriptum fuit, criticorum dissidium 52. et seqq. Refelluntur qui scriptum putant sub Caio 55. Tum qui sub Nerone 55. Ostenditur scriptum sub Claudio 55. et seq. Altera quaestio de lingua, qua Evangelium suum Marcus conscripsit 67. Refutantur qui vel coptica vel syriaca lingua scripsisse tradunt 67. Orientalium et Graecorum pro latina lingua testimonia 68. et seqq. Augustini et Hieronymi pro graeca 71. Baronii pro latina lingua momentum reiectum 71. Graece scriptum Marci Evangelium ostenditur 72. et seqq. Refelluntur alia Baronii argumenta 76. et seqq. Quaesitum, utrum Marcus ipse latinam Evangelii sui versionem elucubraverit 79. Stilus Evangelii S. Marci pressus atque humilis 81. Immo durus, ac hebraismis refertus 82. Cur Christi facta non ordinatim digesserit? 83. Cur pauci Marci Evangelium illustraverint? 84. De canonica auctoritate XII. postremorum versiculorum eius Evangelii 84. De duabus apocryphis laciniis ipsi a nonnullis adiectis 86. Eius Evangelii codex autographus. Vide Codex.
Evangelium secundum Hebraeos 40.
Euthychii alexandrini fides sublesta 234.
Exemplum, exemplatum, exemplare etc. 247.
Exometae iidem ac Auxumitae 169.
Ezechielis visio quid significet: vide Animalia quatuor. Quodnam cuique Evangelistae animal conveniat 88.

F.

Farmuti, sive Pharmuti, mensis nomen apud Aegyptios 216.
Fortunatus aquilei. patriarcha 205. Gradensem Ecclesiam diripit 205. 209.
Fortunatus gradensis patriarcha 209.

G.

Gaianitae haeretici 240.
Gebehardus ep. constantiensis 310. 322. Eius visio 310. 322. Mors 323.
Genesii (S.) reliquiae 296. Augiensis de ipsis fabella *ibid.*
Germanicae gentis laus 244.
Gnostici apud Clementem alexandrinum quinam dicantur 186.
Gradus insula. Eam diripit Fortunatus 205. 209. Tum Lupus dux 209.
Graeca lingua Romae notissima Apostolorum aetate 76. et seqq.

H.

Hebraei graece scribentes hebraeam φράσιν ut plurimum sapiunt 3. Christi aetate in Hebraeos proprie dictos et Hellenistas dividebantur 4. vide Hellenistae. Nomina sibi graeca vel latina assumebant 7. Hebraeorum consuetudines retinuere primi Christiani 28. 193.
Helenae (S.) corpus 383.
Hellenistae qui? 4. Non erant proselyti, sed Iudaei origine 4. Horum principes Alexandriae morabantur 5. Suas habebant synagogas Hierosolymis, ab aliis discretas 5.
Henricus IV. Venetias venit 353.
Henricus V. Venetias venit 353.

Heraclia urbs Venetiae 204.
Heraclii aug. in Venetos amor 204.
Heraeticl quanta sibi in Scripturis promittant 39.
Hermannus Contractus cur ita appellatus 304.
Herodis Agrippae mors 62.
Hieronymus Novum Testamentum latinum ad graecos codices emendandum exegit 74. Verum obiter, nec magna cura 96. Eius versio sero tantum obtinuit 103.
Hominis symbolum Marco tributum 89.
Hymnorum usus in Ecclesia antiquissimus 196.

I.

Iacobi (S.) ap. Liturgia 116. Cathedra 206.
Iacobitae: Vide Copti.
Ibraimus Aegypti praefectus marmora e Christianorum templis auferri imperat 273.
Incensi micae in S. Marci sepulcro 383.
Incorrupticolae haeretici 240.
Interpres Petri S. Marcus 22. et seqq. vid. Marcus. Apostolicis temporibus quinam dicerentur *interpretes* 22. Interpretum genus duplex 23. Putat Hieronymus ita dictos fuisse, quod quae Apostoli rudi stilo tradebant, ea politius et enodatius explicarent 24. Revera ita dicti, quod Apostolorum conciones ex una in alteram linguam transferrent 26. Tum quia quae strictim tradebant Apostoli, fusius exponerent *ibid.* Interpretes apud Iudaeos quinam 27. Eorum officia *ibid.*
Inventio prima S. Marci: Vide Corpus. Inventio secunda 377. et seqq.
Ioannes Marcus 2. Quid de illo tradant Acta Apostolorum 11. Marcus Barnabae consobrinus, a Paulo in epistolis commemoratus, idem cum Ioanne Marco videtur esse 12. Uterque tamen alius a Marco evangelista 14.
Iosephus Iudaeorum apostolus 38.
Isidori (S.) corpus 368.
Italia post Constantinum imp. quae diceretur 132. et seqq. Italiam Graeci vocant *Hesperiam* 136.
Iudaei cur in urbibus marinis plerumque degant 150.
Iudicium aquae ferventis etc. 320. Saepe ab Ecclesia damnatum *ibid.*
Iustinianus imp. Ecclesias haereticis adimit 239.
Iustinianus Particiacus. Testamentum 246. Eius αὐθεντία propugnata 247. Ecclesiam S. Marci condere incipit, area ubi aedificaretur aere suo comparata 256. Lex ab eo lata 262. 269. Magnificentia 291.

L.

Lamina plumbea litterata in sepulcro S. Marci 387.
Langobardi Italiam occupant 101. 204.
Laureacum Noricorum urbs 123. Eius Ecclesia a S. Marco fundata *ibid.*
Lectulus ad sepulcrum S. Marci 367. 372.
Leo V. imp. legem statuit, ne Christiani ad Saracenos pergant 257. 262. 268.
Leonis symbolum Marco tributum 88.
Libyae Evangelium nuntiat S. Marcus 166-169.
Lightfooti sententia de liturgia hebraice olim celebrata 24.
Linguae. Linguarum donum primis Ecclesiae temporibus commune multis 22. Alii unam, alii plures callebant 23. Non omnes ea, quae dicerent, intelligebant 23. Ideoque ut plurimum utendum erat interprete: Vide Interpres. Apostoli linguas universas, Deo docente, callebant 23. Neque egebant interprete, ut quae ipsi rudi stilo tradidissent, plenius et elegantius explicarentur 24.
Liturgia an aliquando hebraica lingua peracta 24. Liturgia Christianorum prima 189. 190.
Liturgia S. Iacobi 116.
Liturgia S. Marci 112. Duplex: graeca et syriaca *ibid.* Posterior perperam S. Marco adscripta *ibid.* Priorem alii recipiunt pro Marci fetu: alii reiiciunt *ibid.* Tutior sententia, quae genuinam statuit, sed interpolatam 113. Sententiae huius momenta. 115. Occurritur difficultatibus 116. Liturgia coptica τῶν προηγιασμένων Marci non est 120.
Liturgiae universae multa habent communia 113. Haec ab Apostolis repetenda *ibid.* Liturgiae quomodo et a quibus compositae 114. Non ante saeculum IV. conscriptae *ibid.* Plura ipsis addita processu temporis 118.
Lucas quo anno Evangelium conscripserit 64.
Lupus dux foroiuliensis Gradum diripit 209.

M.

Macurei iidem fortasse ac Marmarici 169.
Magnus (S.) Heracliam condit 204.

Mantuana synodus anni DCCCXXVII. 127.
Marci (S.) patria incerta 1. Fortasse Cyrene oriundus *ibid.* Marci parentes Aristobulus et Maria *ibid.* Quod incertum 2. An Petri Apostoli nepos ex sorore *ibid.* An galilaeus *ibid.* An rudis et ineruditus 9. Marcus genere iudaeus ex tribu Levi 2. Utrum hebraeus an Hellenista? 5. Videtur potius hebraeus *ibid.* Marci nomen hebraicum non est, ut nonnulli tradidere 7. Immo videtur non verum Evangelistae nomen fuisse *ibid.* Fortasse verum eius nomen erat *Mardochaeus* 8. Marcus an idem cum Ioanne Marco: Vide Ioannes Marcus. Marci plures in Novo Testamento commemorati 10. De hisce Marcis veterum scriptorum dissentio *ibid.* Marcus evangelista alius est a Ioanne Marco, de quo in Actibus Apostolorum 11. 14. Tum a Marco altero, de quo in epistolis S. Pauli 14. 15. Semel de illo mentio occurrit in epistola prima S. Petri 16. Marcus *Petri Filius* cur dictus 17. Non verus filius aut nepos ex sorore, ut nonnullis visum est *ibid.* Sed quia Petri discipulus, ideo filius vocatus *ibid.* Fortasse etiam quia a Petro baptizatus 18. Marcum LXX. Christi discipulis quinam adnumerant *ibid.* Refelluntur 19. Fabula de Marco Christi verbis de Eucharistia in scandalum ducto *ibid.* Afferuntur Patrum testimonia, qui Christum a Marco nunquam visum tradidere 19. 20. Marcus *Petri comes et interpres* 21. De *comitis* voce breviter dictum 22. De *interpreto* diligentius quaesitum 22. et seqq. Hoc nomine dicebantur qui ea, quae peregrina lingua in Ecclesia tradebantur, vulgari exponebant *ibid.* Hoc sensu Marcus *interpres* appellatur 26. Tum quia quae Petrus viva voce tradebat, scriptis mandavit 26. Tum etiam quia Petri dicta plenius et disertius auditoribus explicabat *ibid.* Alia interpretis officia a Marco praestita B. Petro 27-29. Marcus trium linguarum peritus 28. Marcus cur dictus *Apostolus* 29. V. Apostolus. Veneti hoc nomen Marco tribuunt, idque antiquo more, et ab oriental Ecclesia derivato 29. Afferuntur veterum loca, ubi Marcus *Apostolus* appellatur 30. Item Apostolum illum vocant libri ecclesiastici Graecorum, Moschorum, Slavorum, Armeniorum 32. Item liturgiae Copitarum, aliique ipsorum codices sacri *ibid.* Item *Canon*, sive liturgia Aethiopum 34. Quo sensu Marcus dictus *Apostolus* 35. Hoc nomine etiam dum viveret appellatus Marcus ostenditur 37. Marci Evangelium ab ipso revera conscriptum. 39. Vide Evangelium. Cur in Evangelio ea omittat, quae in Petri laudem cedunt 44. Quomodo illud a Petro accepisse dicatur. 43. 44. Cur *breviatorem* Matthaei illum appellet S. Augustinus 45. Quo sensu 45. et seqq. Quo loco Marcus Evangelium conscripserit 48. Romae scripsisse universa tradit antiquitas *ibid.* Refelluntur qui in Aegypto vel alibi scriptum volunt 50. Quo anno scriptum fuerit 52. Criticorum de ea re dissidium 53. Refelluntur qui scriptum volunt sub C. Caligula 53. et seqq. Tum qui sub Nerone 55. Scripsit sub Claudio 55. et seqq. Veterum scriptorum auctoritate ostenditur 62. Occurritur B. Ireneeo, qui post Petri mortem scripsisse Marcum existimat 65. Dissidium alterum de lingua, qua S. Marcus Evangelium conscripsit 67. Refutantur qui coptica lingua scripsisse tradunt *ibid.* Tum qui syriaca *ibid.* Recensentur qui latina lingua scripsisse existimarunt 68. Tum qui graeca, nempe Augustinus et Hieronymus 71. Baronii et Sirleti pro latina lingua argumentum refutatum 71. Ostenditur graece initio scriptum fuisse Marci Evangelium 72. et seqq. Alia Baronii momenta reiecta 76. et seqq. Utrum Marcus ipse Evangelium suum ex graeco latinum fecerit, quaesitum 79. Marci stilus pressus et humilis 81. Eius mira brevitas 81. Rudis tamen et asper 82. Cur in Christi factis referendis temporum ordinem non sequatur Marcus? 83. Cur pauci ex sanctis Patribus in Marci Evangelium commentaria conscripserint? 84. De XII. postremis eius Evangelii versiculis 84. De additamentis duobus eidem assutis 86. Marco cur leonis symbolum tributum 88. Hoc tamen magis Matthaeo convenire putat Augustinus, qui Marco hominem tribuit 89. Irenaeus vero aquilam 90. Nonnulli bovem 90. Sed prima sententia receptior 90. S. Marci codex autographus: Vide Codex. S. Marci opera alia 110. Acta S. Barnabae S. Marci non sunt *ibid.* Nec epistola ad Hebraeos *ib.* Melior coniectura de epistola prima S. Pe-

tri, sed certi nihil 111. Syriaca Novi Testamenti versio perperam S. Marco tribuitur *ibid.* Quid de Liturgia: Vide LITURGIA. S. Marci apostolatus aquileiensis: Vide AQUILEIENSIS apostolatus. S. Marcum urbis venetae locum adiisse, et naufragium paene fecisse tradunt nonnulli 140. S. Marci apostolatus alexandrinus: Vide ALEXANDRINUS apostolatus. Actorum S. Marci series chronologica 164. et seqq. S. Marcus Libyae, Aegypto etc. Evangelium nuntiat 167. Quam late porrectas provincias lustraverit 168. In Aegypto omnium primus Christum praedicat 170. et seqq. Fabula de pollice sibi a S. Marco abscisso 173. Annianum convertit S. Marcus 173. Pergit in Pentapolin 174. Consecrat Annianum, presbyteros praeterea et diaconos. *ibid.* An statuerit, ut alexandrinus episcopus a presbyteris consecraretur 175. et seqq. S. Marcus Therapeutarum institutor: Vide THERAPEUTAE. Idem aegyptiorum monachorum pater 198. S. Marci cathedra alexandrina: Vide CATHEDRA. S. Marci caput 205. Venetias delatum 248. 277. S. Marcus paschalis computi auctor 221. S. Marci Ecclesia: Vide ECCLESIA. S. Marci pallium 209. S. Marci martyrium. De ipso dubitatum 210. Asseritur 211. Dubitatum de anno martyrii 212. Sed collocandum sub anno Neronis VIII. 214. Afferuntur difficultates contra hanc hypothesin 215. Solvuntur 216. et seqq. Martyrium ipsum describitur 223. et seqq. Invidia Aegyptiorum in Marcum 224. Secedit in Pentapolin *ibid.* Revertitur in Aegyptum *ibid.* Comprehenditur 226. Raptatur *ibid.* Angelica visione recreatur *ibid.* Raptatus iterum, moritur 226. 227. Corpus in rogum iniectum repentinus imber illaesum servat 227. Christiani ereptum rogo sepeliunt *ibid.* S. Marci forma quae? *ibid.* S. Marci corpus: Vide CORPUS. S. Marci miracula 265. 266. 282. 283.

MARCI plures in Novo Testamento 10. et seqq.

MARCION haereticus cur Evangelia Matthaei, Marci et Ioannis reiiceret 3. 40.

MARCUM Aegypti episcopum nescio quem comminiscitur Falconius, qui Alexandrinos converterit 172. Refellitur *ibid.*

MARCUS Ioannes. V. IOANNES Marcus.

MAREOTIS alex. patriarchae subiecta 169.

MARMARICAE Evangelium nuntiat S. Marcus 166.

MARTYRIUM pro crypta 368.

MELCHITAE cur constantinopolitanas liturgias receperint 116. Catholici 274.

MENDIDION vel Mendion qui locus? 173.

MENSA propositionis 195.

MERINTHIANI Marci Evangelium reiiciunt 40.

MICHAEL imp. cathedram S. Petri antiochenam Venetis donat. 204.

MONACHORUM ex Therapeutis origo 188.

MONASTERIUM quid proprie significet 184.

N.

NARCISSUS Claudii libertus. 61.

NOBATAE iidem ac Nubienses 169.

NOMI idem Aegyptiis ac provinciae 169.

NORICI a S. Marco conversi 123.

NUBIAE apostolus Marcus. 167. et seqq.

NUMISMATA in S. Marci feretro reperta 382. Id passim in Sanctorum feretris fieri solitum 383. De illis quaesitum 393.

O.

OLIVOLUS venetae urbis insula 283. 284.

P.

PAGANI unde dicti 153.

PALA aurea S. Marci 249. 334. 366.

PALLIUM S. Marci 209.

PAPAE nomen episcopis olim commune 119. et seqq.

PASCHA. In ipsius termino statuendo veteres aliquando decepti 219. Iudaeorum supputationem sequebantur 220. Qua die inciderit anno Christi LXII. 222.

PASCHA Iudaeorum olim ultra diem XXI. Aprilis nunquam prolatum 215. Qua methodo Iudaei in eius supputatione uterentur 221. Paschae differendae causae plures 222.

PATENA 118. 119.

PATRIARCHAE Iudaeorum qui? 38.

PAULINUS patriarcha aquileiensis Gradum commigrat 100.

PAULUS apostolus circa tertium Neronis annum venit Romam 14. Itineris eius series describitur 56. et seqq. Epistola ad Romanos quo anno scripta 59. Epistolam eius ad Hebraeos non scripsit S. Marcus 110.

PAULUS diaconus sive Warnephridus contra Tartarottum defensus 144.

Pentapolis a S. Marco conversa 163. 167. et seqq.
Persae Aegyptum occupant. 129. 203.
Petrus apostolus Marci Evangelium probat 41. Eius Evangelii auctor habetur a nonnullis 42. Quo sensu id tradant Patres 42. et seq. Petri apostoli humilitas 44. Romanam Ecclesiam fundat 60. et seqq. Quo anno mortem obierit 65. Prima eius epistola fortasse a S. Marco conscripta 111. Eius cathedra Romae servata 206. Petri itinera 139.
Petrus Calo, sive Calotius 261. 348.
Petrus IV. Candianus a coniuratis occiditur 284.
Petrus Urseolus (S.) Marci Ecclesiam condit 334. Ducatum deponit 336. Filio suo ducatum vaticinatur. *ibid.*
Petrus II. Urseolus templum S. Marci perficit 336.
Phantasiastae haeretici 240.
Phostati idem ac Alcairo 169.
Phylacteria quae? 386.
Popo patriarcha aquileiensis Gradum occupat 100.
Porcus Mahumedanis interdictus 279.
Primigenius gradensis patriarcha 205.
Pyxis lignea in feretro S. Marci 383. et seqq.

R.

Racoti dicitur Alexandria 169.
Ratoldus episcopus veronen. saeculi IX. 288. et seqq. De anno eius mortis quaesitum 293. et seqq. Eius magnificentia 297.
Reliquiarum cultus quam antiquus in Ecclesia et late diffusus 244. Ipsarum mercimonium saec. X. et seqq. 318. Mos easdem osculandi 370. Furto olim ablatae 379.
Rihchenau vid. Augia.
Romana Ecclesia sub Claudio maxime floret 60. Fundata a Petro 60. et seqq. Eiusdem dissidium de ritibus iudaicis 61.
Rottolfzell qui locus 294.
Rusticus Turcellanus 262. et seqq.

S.

Saraceni Aegyptum invadunt 129. 203. 268.
Semnaeum Therapeutarum Ecclesia 180. Describitur 189.
Sepulcra martyrum sancta 370. Ostiola in ipsis aperta 371. Columnis imposita *ibid.* Columellis circumdata *ibid.* Duplici altari ornata 372. Quo artificio condita 378. et seqq.
Sepulcrum S. Marci alexandrinum describitur 231. 276.
Sepulcrum S. Marci venetum 365. et seqq. Vide Corpus S. Marci.
Serapica Aegyptiorum quo die celebrata 217. Vespere ordiebantur. *ibid.* Ea in urbe peragere non licebat 225.
Severus episcopus Aschmoninae scribit historiam patriarcharum alexandrinorum 1.
Silentium: Vide Corpus S. Marci.
Silvius Dominicus Venet. dux. S. Marci Ecclesiam marmoribus vestit 342. S. Marci corpus abscondit 344. Ducatu exuitur. 345.
Simon Zelotes an Aegypti apostolus. 172.
Souari: Vide Angelium.
Stauracius monachus alexandrinus 263. 285.
Stilus Novi Testamenti rudis, et hebraismis refertus 3.
Stroalia: 282.
Syriaca versio Novi Testamenti perperam S. Marco tributa. 111.

T.

Tarentini se a B. Marco conversos tradunt 131.
Tartarottus aquileiensem S. Marci apostolatum impugnat 141. et seqq.
Theodorus presbyter alexandrinus 263. et seqq.
Theodosiani haeretici 240.
Theopompi (S.) reliquiae 296.
Therapeutae 178. et seqq. Qui fuerint 178. Veteres christianos existimarunt, Photio excepto *ibid.* Recentiores multi negant, praesertim heterodoxi 179. Quae de illis tradat Philo 179. et seqq. Sancti Patres Christianos fuisse contendunt 182. Therapeutae ab Essenis diversi 183. Ostenditur Therapeutas fuisse christianos 184. et seqq. Duplex Therapeutarum genus 188. Ex ipsis orti monachi 189. Presbyteri et diaconi Therapeutarum 190. Libri 196. Hymni 196. 197. Choreae 196. 197.
Traditio de anno, quo Apostoli per orbem sunt disseminati 63.
Traditionem inter et historiam quid intersit 122.
Translatio augiensis S. Marci 287. Quinam de illa disputaverint 288. Fabula est 289. Qui illam tradiderint 289. Elevatur ipsorum auctoritas *ibid.* et seqq. Refutantur 291. et seqq. Reliquiae pragenses ex augiensibus 306. Acta huius translationis 306. et seqq. Refutationes 315. et seqq.

Translatio veneta corporis S. Marci 241. Qui de ea dubitarint 242. et seqq. Eius acta antiquissima: Vide Acta. Ipsius testes afferuntur 245. Sed praecipue Bernardus monachus 246. Et testamentum Iustiniani ducis *ibid.* Testes praeterea alii adducuntur 248. Asseritur ex peregrinis saeculi X. et XI. Venetias adventantibus 249. Ex antiquis picturis 249. Ex Venetorum post saeculum IX. in S. Marcum devotione 251. Ex donis templo marciano oblatis *ibid.* Solvuntur obiecta 252. De anno translationis huius sententia multiplex 254. Statuendus annus DCCCXXIX. 255. Quod ostenditur 257. Translationis historia 262. Animadversiones in historiam 268. et seqq.

Turriani Mediolano pulsi saeculo XIII. 97.

V.

Valens (S.) Sub eius nomine S. Marci corpus latuisse Augienses tradunt 297. Quisnam hic Valens. 298.

Valentiniani Marci Evangelium reiiciunt 40.

Veneti B. Marcum *Apostolum* vocant 29. Id ab orientalibus Ecclesiis didicere 30. S. Titum etiam *Apostolum* dicunt 36. Leonis insigne cur sibi adsciverint 91. Ipsorum in annis supputandis mos singularis 259. Reipublicae formam mutant saec. XI. 271. Ob ablatum S. Marci corpus reprehendendi ex parte, ex parte laudandi 280.

Venetiae maritimales 199.

Venetiarum urbs 140. Utrum ad ea aestuaria S. Marcus appulerit *ibid.* De ea urbe vaticinium a nonnullis confictum *ibid.* Eius urbis Ecclesia inter apostolicas haud iniuria numeranda 141. Venetiae plurali numero quando urbs illa vocari coepta 269. Venetiarum episcopi dicti *Olivolenses* et *Castellani* 283.

Venetici 270.



IMPRIMATUR

Fr. Hieronymus Gigli O. P. S. P. A. M.

IMPRIMATUR

Petrus Villanova-Castellacci Arch. Petr. Vicesg.

IMPRIMATUR

Fr. Hieronymus Gigli O. P. S. P. A. M.

IMPRIMATUR

Petrus Villanova-Castellacci Arch. Petr. Vicesg.